Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

FRANCISCI MARIÆ

MUSCETTULÆ

ARCHIEPISCOPI ROSSANENSIS

DISSERTATIO

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIO

PARENTIBUS INSCIIS VEL INVITIS

CUM

ALEXII SYMMACHI MAZOCHII

ADNOTATIONIBUS

EDITIO PRIMA VENETA,

CUI PRÆTER EE, QUÆ ROMÆ EDITÆ SUNT, ADDITA FUERUNT,

ACCEDIT NUNC

P. FRANCISCI XAV. ZECH

DE EODEM ARGUMENTO

DISCEPTATIO.



BIBLIOTECA NAZIONALE TORINO

VENETIIS,

APUD FRANCISCUM EX NICOLAO PEZZANA.

MDCCLXXII.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

Digitized by Google

Digitized by Google

TYPOGRAPHUS LECTORI SALUTEM.

PAucis te volo, Lector benevole. Dissertationem *De sponsalibus* &c. Illustrissimi, & Reverendissimi Francisci Muscettulæ Rossanensis Archiepiscopi, additionibus locupletatam Viri Clarissimi Alexii Symmachi Mazochii Canonici Metropolitanæ Ecclesiæ Neapolitanæ, a multis quidem expetitam, sed paucis vix pretio parabilem; quippe quæ distractis exemplaribus magna cum difficultate in Librariorum officinis vendibilis reperitur; iterum prælo suppositurus curavi, ut non solum novis additamentis decorata, quæ in editione Romana extant, prodiret in lucem: Decisionibus nempe Sac. Rotæ Rom. quibus juxta Muscettulæ sententiam ex juxto dissensu Patris exsequutio denegata est Sponsalibus Filiorumfamilias; & V. Cl. Virginii Valsechii Monachi Casinensis Responsum pro veritate, quo tenet, juste dissentiente Patre exsequutionem obtinere haud debere Sponsalia Filiorumfamilias, sequuta licet fuerit copula; cui subscripsisse complures viros doctos compertum est: sed Dissertationem præterea adjeci, quam de eodem argumento Ingolstadii edidit doctissimus Vir; isque in doctrinis Canonicis nostræ ætatis omnium eruditissimus P. Franc. Xav. Zech: qua Dissertatione & materia hæc mirificè illustratur, & Tractatus ipse omnimode completur, atque ita perficitur, ut nihil amplius deliderari posse videatur. Gratam igitur habe hujusce attentionis nostræ sollicitudinem, & vale.

[illegible] BIBL[illegible] TORIN[illegible]

Digitized by Google

EMINENTISSIMO AC REVERENDISSIMO DOMINO

ANGELO MARIÆ QUIRINO
S. R. E. CARD. BIBLIOTHECARIO
EPISCOPO BRIXIENSI

ALEXIUS SYMMACHUS MAZOCHIUS
D. D.

SI quod est hominum genus, cui interiores litteræ non tantum futuræ sint ornamento, verum etiam saluti, hos in primis viros esse intelligo illustri ex prosapia satos: quibus quum adjumenta omnia ad animum doctrinis optimis imbuendum abunde suppetant, etiam, ut ad eas impensius incumbant, necessitate quadam edomandæ ingenitæ ferociæ compelluntur; si paullulum modo cupiant sanioribus consiliis animum advertere. Nam majorum imagines, opes, deliciæ, quæque sunt bona cætera, quibus hi supra cæteros mortalium eminent, nisi, sic quasi ferventioris vini calices, infuso litterarum temperamento leniantur, quid aliud efficiunt, nisi ut eos blandiente fortuna ebrios in fœdissima quæque vitia præcipites agant? Maxime si assentatoribus, claræque juventutis corruptoribus (cujusmodi pestes a beatorum non sibi satis caventium ædibus difficilius, quam hirudo affixa cuti divellitur) si blandis inquam Sirenibus aures proniores admoverint. Nec alius facile generosis adolescentibus ab hujus contagionis afflatu receptus, quam in Musarum sinum ac litterarum secessum, patet. In quas ubi se illi penitus abdiderunt, tum hæ nimirum assiduæ & interiores magistræ spiritus illos ingentes comprimunt emolliuntque, atque a vitiis segreges ad virtutes excolendas comparationes efficiunt.

Hoc si uspiam alibi, in Tua potissimum, Amplissime CARDINALIS, gente ab antiquitate, splendore opibus inter Italiæ primarias numeranda, illustrium Heroum domi militiæque clarissimorum feracissima intellectum fuit: in qua numquam virtutum semina primum tam feliciter comprehendere, deinde in tam lætam segetem suboleſcere valuissent, nisi hoc ingenitum ac πατροπαράδοτον Domui Tuæ decus fuisset bonarum artium studia tum in suo solo eximie colere, tum Triptolemi instar in alieno quoque cura non segniore spargere ac fovere. Atque ut QUIRINOS omittam innumerabiles Græce ac Latine doctissimos atque eximie eruditos, qui vigent adhuc in hominum memoria ac porro vigebunt: ne alumnos quidem QUIRINIANOS omni ævo memorabiles producere præ multitudine tanta possum. Verumtamen unum saltem præterire fine piaculo qui possum, BENEDICTUM XI. Pont. Max. (1) qui quingentesimum (2) hunc prope annum Vene-

(1) Jo. Villanus in suo Chronico sic de Nicolao Boccasino, qui postea fuit Benedictus XI. posuit. *Questi nudriffi in Vinegia, quando era giovane Cherico, a insegnare a' fanciulli de signori de CHA QUIRINI.*

(2) Ideſt ante hos 488. annos: nam Nicolaus Boccasinus ann. 1240. ortus mox ann. 1254. in Domum QUIRINAM tranſiit, docturus QUIRINIANOS pueros. Vide Petrum Thom. Campanam in Vita Benedicti XI.

Digitized by Google

netis in Tuis ædibus pueros QUIRINOS erudiens, decurso scientiarum studio; sic ingentis spei tirocinia posuit, ut inde vir tantus prodierit, quantum res præclare ab eo in Generali Dominicani Ordinis Magisterio, in Cardinalatu, in Pontificatu gestæ declarant. Atque ut eo redeam, unde exorsus sui, ab ea est causa, ut quum tot Principes Italiæ familiæ ex summo repente loco sic deciderint, vix ut impressam orbitam tantæ magnitudinis post se reliquerint: contra Domus Tua post tot sæcula sibi constans ac veluti stataria suum tueatur gradum. Nimirum enim, ut ille ait, *Vis consilii expers mole ruit sua, Vim temperatam dii quoque promovent*. Atqui temperaturæ istius modum non aliunde Genus tuum, quam ex litteris hausit, tum domi excolendis, tum etiam fovendis ac promovendis foris: ex utroque enim immortalem omni ævo sibi gloriam peperit, hoc est eisdem, quibus quæsita est artibus, duraturam.

Hoc qui quale sit, minus fortasse intelligunt, eos in Te, QUIRINE CARDINALIS, ora atque oculos convertere jubeo, ut ex Te uno magno ac prope singulari Quirinæ prosapiæ surculo specimen ejus rei, qua de loquor, capere pro se quisque possit. Etenim (ne Antimachum Clarium, seu quis alius fuit, imitari videar, qui, notante Poeta, *gemino bellum Trojanum orditur ab ovo*) de pueritia Tua taceo, deque primis litterarum lineamentis Brixiæ in Nobilium Collegio ductis alacritate tanta, ut jam inde existimari posset, uti se dabat initia, quantus, ubi primum ad plenam frugem maturuisses, futurus esses. At ardor a puero conceptus adeo non in adolescente resedit, ut magis magisque in dies augesceret. Nondum enim ex ephebis excesseras, quum domus illecebras cælesti Sapientia, quæ Te igniculis exstimulabat suis, posteriores habens, in Casinensem familiam novo Christiano adoptionis genere Te adrogandum præbuisti. Quod quum ipsum per se sit in adolescente satis audax inceptum, non sine interiore Deo perficiendum; tum illud glorioſum, quod longe a patria id exsequi constitueris; neque occurſans animo paternæ domus imago, neve quis humanitatis affectus a proposito retraheret. Itaque Florentiam delegisti: in eam Te urbem, quæ ut ocellus Italiæ & litterarum domicilium jure celebratur, Divina providentia compulit; in qua tot uno tempore florebant eruditissimi Viri, quot vix alias umquam civitas illa produxerat. At vero vix tum quisquam vir paullo doctior habebatur, quocum non Tibi necessitudo arctior intercesserit; cum Salvinis autem, Bonarotiis, Averanis, Benedictis, Magalotiis, tot aliis usus ac sermo prope quotidianus. Atque in eo litterarum emporio brevi tempore Latinas Græcas Hebraicasque litteras, Philosophiam, Mathemata, Theologiam, Canones, Historiam, Philologiam, tamquam ἐγκύκλιον παιδείαν, sic imbibisti, ut in quam Te cumque partem dedisses, in ea facile Princeps evaderes, ac ipsos provectiores post Te relinqueres. Atque heic equidem plura libens prætereo: illud autem non queo prætermittere, quod juvenili admodum ætate unus ex omnibus delectus fueris, qui Casinensi juventuti, hoc est æqualibus Tuis Sacras Litteras de superiore loco interpretarere; & id tunc ætatulæ, docendi primordia exinde caperes, ubi graves annis cæteri discendi metam, ut sancte concludescant constituunt. Quam vero non segnis in eo fueris, adhuc nunc illa oratio declarat, *De Mosaicæ Historiæ præstantia* a Te scripta mirifice, qua Sacrarum Litterarum studiis Sodalium Tuorum ad Hebraicæ veritatis amussim dirigendis prolusisti. Exstat hodiedum oratio illa; nec sine litteratæ caveæ plausibus circumfertur, atque adolescentibus ea studia auspicaturis proponitur. Et ea Te nunc quidem cura vehemens stimulabat, ut quacumque posses, in Monasteria litteras elegantiores infunderes: quod & pro virili curatum per Te fuit; jamque Monasticis studiis lætior in dies color per Te redibat.

O beatam Urbem, Casinensem vero illam familiam beatissimam, si quidem Te atque conditionis Tuæ luce frui diutius licuisset. Verum ne hac quidem tenus spi-

Digitized by Google

ritus ingentes Tui conquiescere poterant; quos longe ulterius ardor litterarius rapiebat. Nam & paullo jam provectior ætas, & cum ætate gliscens litterarum amor ad peregrinationes suscipiendas faces subdiderunt. Itaque quod veteris totius recentisque memoriæ sapientes fecisse lectitaveras, ad id Tua sponte incitatus, itinera prope immensa meditaris: quorum sic Tecum rationem constituebas, ut ubi in Britanniam usque Bataviamque procurrisses, exinde Gallias peragrares, ac Lutetiæ Parisiorum quam diutissime considereis: nec tam id adeo ex inani illo visendi studio, quo cæteri vulgo ducuntur, quam virorum litteris præcellentium, quibus tum cæteræ orbis partes, tum illa in primis doctrinarum parens numquam non Lutetia circumfluit, colloquio fruiturus. Lutetiam igitur non tam accuris, quam advolas: ac biennio toto sic viris quotquot illa tum ætas ab ingeniis & industria felix protulit, primariis, præcipue vero sodalibus Tuis Benedictinis omnium sæculorum prædicatione dignissimis, affixus hærebas, ut non minus alacritas quam eruditio Tua esset apud omnes miraculo. Ac sane Te ibi diutius eruditissimorum conventuum dulcedo retinuisset, nisi ad graviora jam negotia matureſcentem, ad urbium Dominam amicorum ac bonorum Te omnium studia retraxissent; eam maxime stationem idoneam reputantium, in qua ingenii Tui vires sese exsererent.

Tanto peno suffarcinatus vixdum in Urbem æternam pedem intuleras, quum subito & Casinensium Tuorum optimum de Te judicium, ac simul Procerum, & haud paullo potior Pontificis vere Maximi CLEMENTIS XI. eluxit de Tuis litteris existimatio. Nam illi quidem in suis comitiis generalibus unum elegerunt ex omnibus, qui Congregationis Casinensis justam historiam perscriptam dares. Hic autem acerrimus æstimator ingeniorum CLEMENS sine mora gravioribus Te negotiis admovere cœpit; sed ejus generis, quæ non tantum fidem prudentiamque, verum etiam scientiam minime vulgarem requirerent. Atque ad ea tempora referendum est opus illud Tuum, quo quædam Officia Græcanica, ad quæ tum corrigenda, simul cum aliis Apostolico mandato incumbebas, & Romana Civitate donasti, & comites Diatribas quatuor adjunxisti multiplici eruditione suffertas. Qua Tu quidem scriptione satis præ Te tulisti, non in antiquioris Te solum Græciæ adyta penetrasse, verum & illam alteram Græcitatem fuisse Tibi perspectam; quæ quanto est ab indutu incomptior, & a barbari sermonis stribligine horridior, tanto majorem sui conciliat reverentiam, tanquam si oratorem quempiam alias disertissimum, postremo vi senii balbutientem cum voluptate audias. Ergo cum Corcyrensibus hoc est bilingui populo, ex Latinis Græcisque permixto Archiepiscopus dandus esset, haud diu deliberandum fuit, in quem potissimum INNOCENTIUS XIII. converteret oculos QUIRINUS profecto unus repertus est, salutem atque solatium insulanis tam Græcis, quam Latinis allaturus.

Ac bene est, quod quam, PRINCEPS Optime, opinionem de Te Pontifex præconceperat, non adæquavit solum, verum etiam superavit eventus. Nam qua in insula inter Latinum Archiepiscopum Græcorumque Præsulem concertationes antehac quotidianæ intercesserant, hanc Tu primo accessu pacatam reddidisti: quum tanta repente animorum conversio facta esset, ut vetus illa Græcorum protervia in venerationis sensus ac demissionis argumenta verteretur. Tantum profecto apud illum populum potuit, quod qui Græce doctissimus esses & habereris, ut Latinus Latinis, sic Græcis quasi domo Græcus, ac veluti ex Græciæ sinu profectus, censebaris. Quid porro miramur, si primo Tuo ad insulam appulsu *lapidis angularis* in modum *facientis utraque unum*, tantum auctoritate & gratia valueris, ut sublato intergerio pariete, qui utramque Ecclesiam dividebat, utraque plebs, uterque Clerus in miram animorum consensionem coaluerit? Adhuc occurrat animo pulcherrimæ illius diei species, quum Tu deducente Senatu, cæterisque Ordinibus comitantibus, in Divi Spiridionis processisti; quum in Templo tantus illa die Tibi a

Græ-

Digitized by Google

Græcis honos est habitus, quantus decessorum Tuorum nemini; quum & in honorificentissimo tribunali consedisses, & oratio Græce habita coram Te esset de Romani Pontificis, Tuisque laudibus. Magnificum sane fuit sine pugna, atque unius e Te opinionis impetu adipisci victoriam: at Te quidem non tam ipsa victoria, quam quemadmodum utereris opportune victoria, sollicitabat. Quæ ut & perpetua esset & utrique gregi fructuosa; præclarum illud ENCHIRIDION perscripsisti, opus non tantum insulæ Tuæ profuturum, sed & compluribus aliis hujus præsertim Neapolitani Regni Ecclesiis, quæ ex Latinis Græcisque plebibus coalescunt. De quo libro supervacaneum est plura dicere, quum satis se omnibus BENEDICTI XIII. adprobatione commendaverit. At etiam PRIMORDIA CORCYRÆ, librum auro contra non carum, inter curæ pastoralis laxamenta a Te conscriptum eidem debemus insulæ: quo libro, crede mihi *conturbasti*, ut ille (3) ait, *Græcam nationem*; & in Græca insula ad bene de meliore Græcitate sperandum vexillum extulisti. Nam eo videbaris curas atque cogitationes direxisse, ut detersa paullatim in Græca gente barbarie, ita demum cum politioribus literis simul Religio resloresceret. Ac sane perfecisses; nisi Te jam alio Divinæ Providentiæ tramites reservassent.

Nec enim totum, Doctissime CARDINALIS, quadriennium Corcyrensem tenueras, quum Romam ad adoranda Apostolorum limina profectus, dum reditum ad insulam maturabas, ecce tibi & Brixiensis Antistes ab eodem Pont. BENEDICTO XIII. renuntiaris, & brevi interjecto tempore in Amplissimum S. R. E. Cardinalium Collegium cooptaris. Quid heic ordinum omnium gratulationes refero? Quid diversa prorsus de delatæ dignitatis tempore hominum judicia? Nam qui Te vix de nomine norant, festinatos Tibi honores, tamquam per legis annariæ gratiam gratulabantur: at contra qui Te proprius perspexerunt, serius omnino, quam par erat, dignitatem illam virtuti Tuæ dilatam expostulabant. Sed enim nequit prorsus sero Tecum agi videatur, alacritas in agendo Tua mirifica facit.

Atque hic me locus ANGELE Cardinalis, rerum & magnitudine & multitudine plane obruit: nec enim unde incipiam, aut quo desinam, satis decernere valeo. In tot enim curas ex illo articulo temporis animum Tuum dispertivisti, ut centimanum Te fuisse oportuerit, ne non ad omnia sufficeres. Brixianam Diœcesim secundum Mediolanensem Italicarum ampliſſimam, & ad Rhæticos usque montes asperrimos pertinentem, infatigabili sedulitate universam perlustrasti, eoque Cardinalis tantus per juga devia perreptare potuisti, quo vix inalpinos homines prædandi cupido stimularet. Jam vero per Te Ordinibus Ecclesiæ decor & reverentia, populis pax atque concordia, Templis nitor est restitutus. Nam de Cathedrali Basilica superfluum est dicere, quæ tota de solido marmore surgens, magnitudine atque operis excellentia plane admirabili, uni Vaticano Templo possit concedere, non alii præterea. Atqui illam plus centum annos, ex quo ædificari cœperat, intermissam, atque in suis parietinis jacentem nactus, intra paucos annos, nec pecuniæ, nec sedulitati parcens, moli tantæ pene jam coronam imposuisti; atque id, quod maxime admirandum, Romæ scalptis operibus atque illo transductis: Salomonis exemplo alibi saxa edolantis, quæ Templi usibus aptarentur.

Quamquam, ut quod res est, fatear, Romani artifices non uni Brixianæ magnificentiæ, sed & Urbanæ, Auctore Te, serviunt: qui eisdem & Divi Marci, Tituli Tui, ædes atque Basilicam summa elegantia ornandam locasti; & Altare miri operis in Brixiani Templi usum per Te antea elaboratum, quum postea illius Basilicæ magnitudini impar reperisses, Romæ in Divi Gregorii in Monte Cælio erexisti, alte-

(3) Cic. Ad Att. II. 1. ubi de Comentario consulatus sui a se Græce conscripto.

Digitized by Google

altero interim Brixianæ magnificentiæ pari locato ſcalptoribus. Ut plane mirari ſubeat, unde Tibi tot opes ſufficiantur: niſi illud eſt, quod quas cæteri mortalium divitias ad faſtum atque luxum transferunt, eas Tu Domino, de cujus manu acceperas reddis, elegans (4) ſanctiſſimi Regum dictum ſcite ad eam uſurpare ſolitus.

Verum quid ago, qui ab litterarum laude ſive Tibi in Tuo parta, ſive in alios transfuſa primum exordium neſcio quomodo ad magnificentiæ locum ſenſim delapſus reperior? At de hac, deque aliis pluribus ornamentis Tuis alii dixerint (nec omnia poſſumus omnes) dum ego ad litteras redeo: quarum ſedem ita Brixiæ collocaſti, ut quæ urbs antea non inculta cenſebatur, nunc demum Athenæ alteræ videantur. Sic enim ſe res habet. Quocumque Te infers, eo & Muſæ comites individuæ ſequuntur. Tecum illæ peregrinantur, hoſpitantur, ruſticantur. Idem dum Brixiæ Antiſtitem numeris omnibus abſolvis, Romæ Vaticanum Bibliothecarium imples: dumque Bibliothecam hanc maximam tuorum exemplarium gaza ditas, interim non modo Brixiam, ſed & urbes univerſas ſcriptis a Te operibus comples, quæ lucro cupidis dono mittis. Te auſpice, dum Romæ S. Ephrem opera Græce Syriace ac Latine nitore maximo lucem aſpiciunt, interim Brixiæ Antiſtitum ſcripta illuſtrari curas. Scriptis a Te voluminibus litterariam hiſtoriam Italia a renatis uſque in Italico primum ſolo elegantioribus litteris refert acceptam. Nulla Tibi abit dies, quin chartas illinas, quin prœla typographica exerceas, nunc hos nunc illos Tuarum epiſtolarum alloquio dignatus, quos non quaſi longe infra Te poſitos, ſed quaſi pari Tecum loco affidentes, ita Tu quidem compellas; non pro Tribunali ſedens, ſed de plano cum omnibus agens, ut quidem JCti loquuntur. Quorum in numero quod me quoque eſſe voluiſti, binis ad me litteris miræ dignationis datis, id vero eſt quod mentem perculit meam, & nunc quoque ubi recurrit ea cogitatio percellit.

Sic enim, QUIRINE Optime, ſe res habet, ut initio inſtitui dicere: litteræ cujus ſemel viri nobilis animum obſederint, ingenitam animi ferociam mitigant emolliuntque; & civilitatem inſtillant. Ad ſummam haud temere elegantiores litteræ, vulgo *humanæ* vocantur: quod ita interpretor, quod his demum datum ſit, ut *hominem* efficiant, hoc eſt ſociabilem, quique uſurpare illud queat, Homo ſum, humani a me nihil alienum puto. Itaque pro eo ac debeo, hoc juxta cum bonis omnibus Deum Opt. Max. aſſidue rogo, ac votis omnibus flagito, ut Te *humaniſſimum* Principem litterariæ & Chriſtianæ rei incolumem diutiſſime præſtet, atque egregie ſemper de utraque merendi animum viteſque ſuppeditet.

Interim qui tam humanus ſis, non gravaberis, QUIRINE Eminentiſſime, ſi tantum mihi tribuerim, ut hoc tantulum opuſculum, ſed argumento utiliſſimum, quod de filiorum familias nuptiis inſcribitur, a me inter operarum typographicarum feſtinationem non leviter auctum, apparere ſub tuo nomine ſiverim. Patere hoc, Cardinalis ampliſſime: nam ita factum oportuit. Nihil ſane majorem libris exiſtimationem conciliat, quam ut ait Halicarnaſſenſis Dionyſius (5) προσωπεῖον τυλωυγὸς προκείμενον τῇ λόγῳ. Etenim quemadmodum ſtructores ædium pulcherrimis Jonici aut Corinthii operis columnis exornant fores, ut non modo ingredientium, verum prætereuntium oculos in ſe convertant, ſimiliter ego nomen in frontiſpicio tuum nitere volui, ut quamlibet intus curta ſupellex eſſet, a Tui certe nominis inſcriptione decus, atque auctoritas huic libello apud Lectores exiſteret. Dabam Neapoli Anno CIↃIↃCCXXXXII.

(4) 1. Par. XXIX. 14. *Tua ſunt omnia, & quæ de manu tua accepimus, dedimus tibi.*
(5) *Perſona ſplendida libro præfixa.*

A ij

AD ÆQUOS LECTORES

De Dissertationis Archiep. Rossanensis fato.

QUod consilium Dissertationis hujus Auctori Clariss. fuit, ut olim ad eam conscribendam expugnari animum suum siverit; idem me quoque impulit, ut illam, eisdem planæ de caussis profuturam, cum bona Auctoris venia ad publicam utilitatem recudendam curarem, neque id vero fine adnotationibus aliquot atque additamentis. Itaque ubi tantum in vestibulo, uti par est, ejus Dissertationis historiam paucis expedivero: tum vero de mea qualicumque industria in editione curanda lectorem non diu morabor.

FRANCISCUS M. MUSCETTULA Patricius Neapolitanus ex Mileti Ducibus, Professione Cler. Reg. Theatinus, antequam ad Archiepiscopatum Rossanensem promoveretur, diu Romæ in Domo S. Silvestri in Monte Quirinali substitit, Theologus & Canonista inter primarios sui temporis habitus. Quumque Apostolicorum Cleri Examinatorum, quos Eminentiss. Vicarius & Illustriss. Vicesgerens in suis Consistoriis adhibent, Decanus esset: ea res magnam illi apud utrumque auctoritatem conciliavit, apud Vicesgerentum autem (hic tum erat Dominicus Zaulis is, cujus exstat in Statuta Faventina satis copiosus commentarius,) etiam intimam gratiam & amicitiam.

Interea circiter an. 1711. sub CLEMENTE XI. P. M. magna uno tempore disceptationum connubialium multitudo Romæ fuit inter filios filiasve fam. invitis parentibus nupturientes, necnon patres filiorum votis obstructantes. Itaque cum fora omnia passim perstrepebant istiusmodi certaminibus, tum in primis Vicesgerentis Zaulii Curia. Quocirca ut ei malo occurreret Zaulius nihil opportunius factu putavit, quam si universæ caussæ jugulum peteret, ac viris aliquot Theologiæ ac disciplinæ Canonicæ apprime gnaris, in iisque Muscettulæ nostro, negotium daret, ut de summa re prius ipsi secum mature aliquamdiu reputarent, mox sententiam quisque suam in conventu coram se dicturi. Eo in conventu utramque, quod ajunt, paginam Muscettula fecit. Nec enim dubiis rationibus ex Theologiæ & Canonum penu depromptis liquido demonstravit, grave crimen a filiis admissum iri, si quidem parentibus merito dissentientibus obnitentes, ita demum nuptias male ominatas ineant; proinde non posse judices effrænatorum adolescentium indulgere votis, quin simul eodem se ipsi crimine obstringant. In hanc vero plerique, aut omnes, Muscettulæ rationibus fracti, pedibus ivere sententiam.

Tamen ne sic quidem Zauli tunc animus conquievit: verum Theatinum nostrum auctoritate, amicitia, ac maxime obedientiæ viribus (qua nihil umquam apud hunc Nostrum fuit antiquius) pertulit, uti totam responsi sui rationem scripto complecteretur. Atque ea tum prima origo Dissertationis hujus fuit, quæ principio non ultra priora tria *Dubia* Auctori nostro processit. Quam dissertationem manu exaratam clam is Zaulio concredidit, utique ad instruendum judicis animum, minime omnium suspicatus, eam in vulgus forte fortuna manaturam. Verum contra accidit. Nam ea primo Zaulius uno alterive advocato legendam amice tradere: tum hi rei novitate (si novitatem appellare licet, quod est *Antiquitus cælo & chao*) pellecti, prius ipsi pro se quisque describere, mox suum exemplum aliis describendum commodare: ita ea fieri omnia, quæ solent in iis rebus, quæ præter pervulgatam opinionem afferuntur.

Sub hæc Theatino (nihil dum gnaro interea, eam lucubrationem jam circumferri) duas præterea quæstiones Zaulius enodandas proposuit, de sponsalibus filiorumfam. jurejurando firmatis unam, alteram de stupro sub matrimonii promissione oblato.

Digitized by Google

oblato. Quas difficultates quarto, & quinto *Dubio* enucleatas eidem *in* manus dedit. Atque ita demum Dissertatio illa duobus Dubiis auctior ferri per manus hominum non sine virorum sapientissimorum adprobatione ac suffragio cœpit: ac brevi tempore Muscettulæ, nec opinantis, nomen ob eam scriptionem manu exaratam celebrari.

Atqui eadem *causidicis* (sic enim Noster non semel suos adversarios in Appendice appellat, eo nomine advocatores, procuratores, actores, & universum pragmaticorum genus intelligens) haud æque ac cæteris grata accidit. Ex quorum numero unus in matrimonialibus caussis versatis. & celebratis. (*a*) cujus nomini parcit, causam hujus generis unam ad se delatam nactus, scriptionem anno 1712. publici juris fecit, qua Muscettulæ Dissertationem manu scriptam evertere se posse speravit: quo successu (*b*) alii judicaverint. Nihil ea res pacatissimum Theatini animum perculit: nec, qui ad eam causam unius obedientiæ armis evictus, non autem studio partium incensus, descendisset, pro eadem sibi putavit, tamquam pro aris ac focis dimicandum. Itaque, si verum amamus, non tam is, quem dixi, advocatus primarius, quam idem ille Vicesgerens Zaulius Auctori huic nostro tunc temporis bellum intulit: nec ante urgere atque instare destit, quam eisdem ac antea viribus expugnatum adduceret, ut causidici scripto aliud scriptum opponeret: cui quidem *Appendicis* nomen dedit, quam infra Dissertationi pone comitem cernis incedere. Ea in Appendice adversarii argumentis quatuor sigillatim respondet, atque ita, ut inde veritatis causa, quam propugnandam susceperat, multo quam antea luculentior evadat. En cur initio Appendicis pag. 267. *tertio se manum calamo admovere* dicat, utique qui bis antea opus retractaverat, semel *Dubiis* prioribus tribus, iterum duobus posterioribus. Atque eam quidem Appendicem haud secus, ac præviam Dissertationem, itidem manu exaratam, ubi Zaulio remotis arbitris tradidisset, officio se defunctum existimavit. Nec enim umquam providit animo, fore tempus aliquod, quo ea universa lucubratio per formas typographicas publica fieret.

Interea temporis dum Noster jam inde ab anno 1718. Rossanensis Archiep. consecratur, nihilque minus, quam de hisce concertationibus cogitans, in Cathedræ suæ muneribus totus erat: contra Zaulius (qui ex Vicesgerente Assessor S. Officii renuntiatus fuerat) commodum Commentarios suos in Faventina Statuta novis additionibus auctos prælo subjiciebat. Quos ille tanto se magis lectoribus commendaturos ratus, si Muscettulæ Dissertationem, qua de tamdiu loquimur, comitem sibi adjunctam haberent; pro vetere amicitia per litteras cum Rossanensi agit, uti opusculum suum publici juris fieri patiatur: idque impetrat. Ita anno 1723. priori Zauliano volumini ad calcem ea Dissertatio adjuncta fuit, verum mendis typographicis misere corrupta, quippe Auctore absente evulgata. Sed commode id tamen accidit, quod Auctorum (quorum locos ubique plena manu Noster sedulo inspersit, ad amoliendam scilicet novitatis calumniam) citationes satis pulchre se in ea editione habent: si quidem ex pluribus, quas conferre libuit, facere judicium de cæteris liceat. Itaque in corrigendis citationibus parum laborandum putavi mihi.

Non omittendum hoc duxerim, quod idem ille Advocatus, de quo supra mentionem feci, quum ante hos decem aut circiter annos *Disceptationes* suas *Ecclesiasticas* (sic enim id opus inscribitur) pluribus tomis comprehensas evulgasset; tomo septimo

part. 2.

(*a*) Is est Dominicus Ursaya Advocatus, & Canonum in Gymnasio Sapientiæ primarius interpres: cujus Disceptationes Ecclesiasticæ pluribus tomis comprehensæ circumferuntur.

(*b*) Non optimo plane successu, si causæ eventum spectamus; quippe cujus victoria penes patrem impedientem stetit. Nam post moras alias ex aliis consulto a judicibus interpositas, tandem Pontificis objurgatione fractus sponsus resipuit. Deinde ad Ursayæ Allegationis pretium quod attinet: si cui forte cupido sit, eam primum cum Muscettulæ Appendice, rogo, conferat? Deinde & eamdem Ursayæ scriptionem conferat cum Disceptatione 14. quam ipse postmodum tom. VII. suarum Disceptationum inseruit, hinc enim perspici potest, quam parum ille suæ causæ confisus fuerit. Vide & seq. Adnotationem.

Digitized by Google

part. 2. Disceptationem inseruit (quæ est numero XIV.) in qua suum cum Muscettula instauravit certamen: sed plane infeliciter. Et hanc tamen Disceptationem Noster brevi altera Appendicula Italice (quam ad opusculi calcem exstare animadvertes) facili negotio convellit. Cui refutationi plura quidem de meo (c) addere potuissem, si otium ac voluntas esset. Sed redeo ad Muscettulæ Dissertationem a Zaulio editam.

Nam cuicuimodi illa prior Dissertationis editio fuerat: ea certe parum satis desiderio ac publicæ utilitati fecit. Quem enim heic certe facile reperias, qui Statuta Faventina norit? aut si norit, eorum curam ad se pertinere putet? vel si tamen id putet, quid in extremo recessu eadem thesauri recondant, suspicetur? Aut si vel hoc tandem suspicetur, tamen enormia duo volumina comparare sibi pensi ducat non mediocri pretio, tantum ut Dissertationem hanc non longissimam nanciscatur? Scio eam Neapoli pluries a pluribus conquisitam, nec umquam rimantibus occurrisse, propterea quod de Zauliano opere nemo heic fando audiverat, ac multo minus illam in fundo tam vasti operis delitescere: nam Zauliana volumina a nostratibus tabernis ac bibliothecis absunt. His de caussis viris dignitate & auctoritate principibus non invitus morem gessi, ut eam permissu Auctoris Clarissi (qui utinam valetudine satis commoda uteretur: plura enim, uti professus est, de suo penore addidisset) ut eam inquam perpurgatam perpetuis prioris editionis mendis, seorsum edendam curarem, usui tum Fori utriusque, tum etiam Pastorum non mediocri futuram. In eo dum eram, dumque quotidiana typographorum specimina recensere satago: libuit principio, amicis hortantibus, aliquid paginis extremis illinere, quod posset rem, qua de agitur illustriorem efficere. Verum, uti fit, dum plura quotidie meditando extruuntur; ac nihilo in dies minus nova seges suboritur: postremo etiam justam de filiorum fam. sponsalibus Mantissam, duasque præterea Diatribas (omnes inter hæc domi natas) inter Auctoris Dissertationem ejusdemque Appendicem immittere non dubitavi: non facturus, ita me Deus juvet, si suspicatus initio fuissem, eas justo longius processuras. Sed nemo istud vitio mihi verterit, quasi qui a Dissertatione Appendicem, tamquam membra poetæ discerpserim: nam si nihil aliud, formarum certe typographicarum diversitas satis ipsa per se Auctoris textum a nostris quibuscumque additamentis discriminat. Quædam etiam hinc atque inde decerpta, eodem tamen pertinentia, in Auctarium ad finem contuli. Quæ omnia, cujusmodicumque sunt, cupidos rerum harum æqui boni facturos, haud temere, præsertim fretus conscientia recte facti, confido.

CON-

(c) Hoc tamen nequeo prætermittere, quod Ursaya, Vir cæteroqui Optimus & Clarissimus, in sua interdum commoda peccat: præsertim qui tom. 2. part. I. integram Disceptationem tertiam in eo insumpserit, ut ostenderet, posse Papam gravibus de caussis, præsertim propter imminens scandalum, & graves offensiones dissolvere matrimonium ratum. At id mirifice caussam Ursayæ sauciat. Quid enim? Si scandali metus tanti visus est, ut ejus caussa contradictum matrimonium rescindi a Papa possit, quis non videt, impares invitis parentibus nuptias (ex quibus vix umquam est, quin gravissima scandala suboritura prævideantur) nullo modo fuisse ab initio contrahendas, imo a Pastoribus modis omnibus impediendas? Nullam crede mihi argumentum validius afferri potest, quo qui præposteræ nupturientium libertati impense favent, efficacius jugulentur. Et tamen idem ille Ursaya, qui caussæ ad se delatæ serviens, matrimonia, quibus parentes dissentiant, impediri posse, etsi graves offensiones inde immineant, acriter negavit, alibi, quia sic alterius caussæ rationes postulabant, ex metu gravioris scandali, non quidem impediri matrimonia contrahenda (quod longe levius est) sed dissolvi contracta posse, defendit. Hoc illud nimirum est, non ad rei veritatem, sed ad caussarum opportunitatem calamum attemperare, ac Pythonissum in Jurisprudentiam invehere.

Cæterum de eo, quod propter gravioris scandali metum Pontifex distrahere ratas nuptias possit, videantur dicta a Rossanensi nostro non uno loco. Ubi nos quoque in Adnot. 40. quædam adlevimus: nisi quod ejus Adnotationis priora verba, nescio quomodo luxata, sic sunt reponenda: *De vinculi solutione, non de tori separatione id esse capiendum &c.* Quam laxaturam rogandus est lector, ut manu medica in eum, quem dixi, modum sanet.

Digitized by Google

CONSPECTUS
HUJUS VOLUMINIS.

Pag. 1. Proœmium.
Pag. 2. Dubium I. An Filiifam. Per honestas nuptias injussu patrio Contractas graviter peccent. Ad quod hæ sunt Mazochii adnotationes longiores: Pag. 11. adnotatio 5. Quid Jus Civile de his nuptiis scripserit. Paulli Antonomia dissolvitur. Pag. 7. adnotatio 7. De Pœnis istiusmodi Nuptiarum. Pag. 18. adnotatio 17. ad Cap. Tua nos commentarius.
Pag. 22. Dubium II. De Filiorumfam. indignis Nuptiis invitis Parentibus. Pag. 29. adnotatio 23. De indignis, hoc est imparibus connubiis.
Pag. 33. Dubium III. De Pastorum Officio in hujusmodi Conjugiis.
Pag. 45. Dubium IV. De Sponsalitiis Filiorumfam. præsertim Juramento firmatis.
Pag. 67. Dubium V. De Stupro sub fide Matrimonii oblato.
Pag. 81. Alexii Symmachi Mazochii Mantissa de Sponsalibus injussu patrio factis civiliter consideratis.
Pag. 101. Ejusdem Diatriba I. ad Canonem Illiberitanum LIV.
Pag. 110. Diatriba II. De Ritibus Sponsaliorum.
Pag. 123. Muscettulæ Appendix, in qua nonulla solvuntur argumenta opposita adversus Theses in Dissertatione stabilitas.
Pag. 153. Auctarium Monumentorum, quibus Muscettulæ Theses validius confirmantur.
Pag. 165. Muscettulæ Responsio ad Francisci Ursayæ Disceptationem XIV. Tom. VII. part. 2. pag. 219.
Pag. 169. Appendix nova nonnullarum Decisionum Sacræ Rotæ Romanæ, quibus ex justo Parentum dissensu denegatur exsequutio Sponsalibus a Filiisfamilias initis.
Pag. 179. Responsum Pro veritate P. Virginii Valsechii Monachi Casinensis a Florentina Theologorum Universitate, aliisque pluribus Theologis, Canonistis, Doctisque Viris adprobatum.
Pag. 219. Index ad Muscettulam.
Pag. 223. Index ad Adnotationes, Mantissam, Diatribas, &c.

DE

DE SPONSALIBUS ET MATRIMONIIS QUÆ A FILIISFAMILIAS CONTRAHUNTUR PARENTIBUS INSCIIS, VEL RATIONABILITER INVITIS DISSERTATIO THEOLOGICO-LEGALIS.

PROOEMIUM.

Matrimonii finis, dignitas, myſteria, & utilitas num. 1.
Quomodo ineundum, & abuſus circa hoc num. 2.
Occaſio ſcribendi hanc Diſſertationem num. 3.

SAnctum Matrimonii fœdus ad humani Generis propagationem naturali jure inſtitutum, etiam in lege Gratiæ ad Sacramenti dignitatem a Chriſto Domino elatum fuit: quo, & maxima noſtræ Fidei ſignificantur myſteria, conjunctionis videlicet, vel Dei cum Anima juſti per vincula caritatis, vel Divini Verbi cum humanitate per hypoſtaticam unionem; vel denique Chriſti cum Eccleſia, quam tradens ſemetipſum pro ea, ſibi deſponſare dignatus eſt (1): quodque non pauca hominibus bona conferre compertum eſt, tum in levamen miſeriarum, qui-

(1) Poteſt & quartum myſterium, idque morale aſſignari, nim. ut matrimonium ſit ſymbolum conjunctionis mentis cum corpore, ſive rationis cum appetitu; ea tamen lege, ut imperium ſit penes partem ſuperiorem. Hujus ſymboliæ ſignificationis aperta ſunt veſtigia Geh. III. 16. ſi hæc conferas cum Gen. IV. 7. Nam utrumque locus prorſus eiſdem verbis Hebraice concipitur. Priore loco, ubi Evam Deus alloquitur conjunctionis maris cum femina lex ea præcipua traditur, ut quidem Hebraice id ſonat: *Ad virum tuum erit converſio tua*) Heb. *theshukatech* h. e. *converſio tua*, ſive famulatus tuus, nam ſervorum eſt ad herum converti, a cujus ore pendent, *& ipſe dominabitur tui*. Poſteriore vero loco ſic Deus Caino dicit: *Sed ſub te erit appetitus ejus*. him. peccati ſive concupiſcentiæ: at Hebraice eadem hic verba occurrunt: *Ad te erit theshukato* i. e. *converſio ejus* (nempe concupiſcentiæ, tamquam famulæ) *& tu dominaberis illius*. Ex eiſdem plane verbis utrobiq. uſurpatis licet elicere, in copulatione tum maris cum femina in connubiis, tum rationis cum appetitu in homine, imperium penes nobiliorem partem, obſequium penes ſequiorem ex Divina inſtitutione eſſe oportere: imo connubia rite inita anterioris conjunctionis, nim. mentis dominæ cum appetitu ſibi ſubjecto, ſignificantiam complecti. Hanc quam tradidi, ſymbolicam connubii ſignificantiam, eam tamquam certam & ſuo tempore tritam ſumpſit ſibi Philo in *Legis allegoriar.* altero (edit. Francof. 1691. pag. 71. B.) ubi illud *Mulier quam dediſti mecum* Gen. III. 12. ſic ἀλληγορεῖ, ut tamen pro certo ponat, Adami nomine venire νοῦν *mentem*, per Evam vero τὴν αἴσθησιν *ſenſum* ſignificari, Hoc, inquam, pro certo ponit. Cæterum quæ ibi cavillatur, quaſi non plane per omnia ſenſus menti pareat, ea tum futilia ſunt, tum nihil depoſita ſymbolica ſignificatione detrahunt. Verum de his ſatis: de quibus a non nemine alibi diſputabitur. Ex eo porro fit conſequens, eas nuptias, quas recta ratio non conciliat, videri carere ea, quam dixi, myſtica ſignificatione, ac proinde ex defectu myſterii eſſe illicitas. Talium connubiorum, quæ ratione duce non fiunt, ambitu continentur ea omnia, quibus Divinæ humanæve leges obſiſtunt: quorum numero ſunt ea etiam matrimonia, quibus parentes cum ratione reluctantur.

Digitized by Google

quibus est natura imbecillis obnoxia; tum in sanctificationem Animarum per Gratiæ justificantis augmentum, necnon collationem Sacramentalis auxilii ad mutua caritatis officia inter conjuges exercenda, ad compescendos concupiscentiæ stimulos, & ad procreandam sobolem, ea videlicet intentione (ut loquitur S. Augustinus *de nupt. ad Valer. cap. 4. t. edit. Antverp.*) *hac voluntate, hoc fine, ut qui ex eis filii nascuntur, in Dei filios nascantur, ac ut eos ex membris hominis in membra transferant Christi.* Unde & terrena Jerusalem S. Mater Ecclesia de suorum Civium multiplicatione lætetur, & aliquando Cælestem illam in æternum mansuram Parentibus una cum filiis ingredi, Deo miserante, contingat: *Quod si provenerit, merces erit de Conjugio plenæ felicitatis. S. Aug. ibid. cap.* 8.

2. Fœdus hoc tot nominibus sacrum, *magnum Sacramentum* ab Apostolo *ad Ephes.* v. 32. dicitur, atque *honorabile in omnibus connubium ad Hebr.* XIII. 4. conclamatur, nullatenus *ductu libidinis* (*Tob.* VI. 22) ineundum: sed cum Dei timore, ac desiderio filiorum, in quibus cælestes benedictiones parentes consequi mereantur (2). Porro mirum æque, ac lacrymabile præcipue hac nostra ætate portentum protulit adolescentium quamplurium impudentia, de quibus non immerito cum Angelo dixeris *Tob.* VI. 17. *Hi conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se, & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut Equus & Mulus, quibus non est intellectus.* Siquidem non pietate ducti, sed libidine victi, eas sibi statuunt copulare uxores, quibuscum conversari, vel alloqui sine decoris, ac honestatis discrimine non liceret. Inde odia inter Consanguineos, ac diffidia perpetua: inter ipsos conjuges concupiscentiæ ardore extincto, jam pudore correptos quotidianæ rixæ, violationes innumeræ: inde familiarum nobilium depressio, in filiis instituendis perniciosa socordia: Inde denique tot tantaque mala, sive inspiciatur Reipublicæ discrimen, sive animarum jactura; quod non sine animi mœrore inspici, ac vix sine justorum fletu valeat memorari. Quodque maxime zelum excitat, eo pervenit insolens audacia, ut ad hujusmodi matrimonia contrahenda ab Ecclesia præsidium petere non erubescant. Dispensationem super denunciationibus petulanter quærunt. Instant mandari Parentibus, ac Consanguineis, ne audeant impedire. Quæ, & similia si denegentur; tanquam de conculcata libertate, ac prodita ab Episcopis Pastorali cura conqueruntur; in hoc gravius peccantes, *quod putent peccato suo auctoritatem lege quærendum. S. Amb. lib.* I. *de Abrah. c.* 7.

3. Hujus inscitiæ dixerim, an petulantiæ? retundere linguam, os coercere (faxit Deus, ut contingat) & cupidinem moderari eorum, quorum interest, Nos urget Imperium: quod pro modulo nostræ imbecillitatis præstare conabimur; dum sive ad solidioris Theologiæ principia, sive ad Canonicas Sanctiones attendentes, fines libertatis in matrimoniis contrahendis Jure Naturali, Divino, & Ecclesiastico requisitæ sequentibus propositis dubiis aggredimur designare.

DUBIUM I.

An Filiifamilias contrahentes matrimonium alioquin honestum Parentibus inconsultis, vel invitis mortaliter peccent.

Filii contrahentes matrimonium inconsultis, vel invitis Parentibus regulariter peccant; Sanctamque Ecclesiam hujusmodi matrimonia semper detestatam esse, atque prohibuisse. Id probatur.

Ex

(2) Locus Tob. VI. 22. (unde) hæc sumpsit Auctor) ex nostra Vulgata sic habet: *Accipies virginem cum timore Domini, amore filiorum magis, quam libidine ductus, ut in semine Abrahæ benedictionem in filiis consequaris.*

Digitized by Google

Ex sententia graviuum Theologorum & Canonistarum, qui sedulo expenduntur a num. 4. usque ad 10.

Ex sacro Concilio Tridentino, aliisque antiquioribus Sacris Canonibus, etiam Ecclesiæ Orientalis a num. 11. usque ad 14.

Ex Conciliis Provincialibus omnium fere Nationum a n. 15. usque ad 20.

Ex auctoritate SS. Patrum a num 21. usque ad 24.

Ex sacris testimoniis veteris, & novi Testamenti, dicto num. 21. & num. 25.

Ex Civili Politia, seu Jure Civili, & Municipali omnium fere Regnorum, & Nationum a num. 28. ad 30.

Leges Civiles, & Sæcularium Principum sanctiones ad rem conciliantur cum Jure Canonico num. 31. & num. 125.

Reprobantur aliqui DD. asserentes, hanc filiorum obligationem esse de honestate, ac decentia, non autem de necessitate, num. 26. & 27.

Declaratur libertas in matrimoniis requisita, & ostenditur, illam non tolli, nec minui ex præfata filiorum obligatione erga Parentes a num. 32. ad seqq.

Dilucidantur Sacri Canones, qui in oppositum allegantur a num. 36. ad 40.

Causæ legitimæ, ex quibus aliquando excusari possunt filii resistentes paternæ voluntati in matrimoniis, n. 41. & 42.

4. NON est nobis sermo de aliis circumstantiis, quibus reddi valeat illicitum matrimonium, sed unice inquirimus, quid sentiendum de Filiis matrimonium, alias forsitan honestum ac laudabile, ineuntibus; absconditè tamen, ne Parentibus innotescat: vel ipsis conscijs, sed ratione aliqua ductis renuentibus consentire. Sunt ne damnandi lethalis culpæ, an potius tanquam innoxii veniunt absolvendi?

5. Vera, & communis fere Theologorum; necnon Canonistarum sententia est, filios prædicto modo contrahentes ut plurimum peccare mortaliter *contra Jus Naturale, Divinum, ac Positivum*, ac duntaxat quibusdam causis satis raro urgentibus excusari.

6. Ita respondent *Cardin. Bellarminus de Sacram. matrim. Cap. 19. propos. 3. Cardin. Turrecremata in Cap. aliter. Caus. 30. quæst. 5.* ubi expresse docet peccare qui omittunt consensum Parentum; & hunc requirr de necessitate Præcepti, *Soto in 4. sent. dist. 28. quæst. 1. art. 1. in fin. Petrus de Sot. lect. 3. de matrim., Molina de Just. tom. 1. tract. 2. disp. 176. vers. ad primum argumentum*, & alii antiquiores, quos cumulant *Sanchez. de matrim. lib. 4. disput. 23 num. 9. & Sairus in Clav. reg. lib. 7. Cap. 5. num. 12.* Nobis satis erit ex iis referre verba *Petri de Ledesma in tract. de matrim. quæst. 47. art. 6. verb. Secunda Conclusio*: ibi: *Regulariter & per se loquendo si filius debet contrahere matrimonium, illud debet facere ex voluntate parentum: & si non faciat, peccat mortaliter; & idem docent omnes Doctores tam Theologi, quam Juriperiti.* Et in responsione ad secundum, argumentum subdit *etiamsi Pater nihil præcipiat filio: contrahere contra ejus voluntatem, esset peccatum mortale contra virtutem pietatis.* Hic Doctor inter antiquos Discipulos *Divi Thomæ* rem accurate pertractat, præcipuè in eo, quod egregiè interpretatur mentem S. Doctoris, qui perperam a nonnullis in contrarium allegatur. Testatur etiam de communi *Gaucerius in addit. ad sum. Gajet. verb. matrim. vers. præter casus.*

Addi possunt ex antiquioribus *S. Petrus Cælestinus opusc. 8. par. 6. sect. prima Cap. 4.* quod habetur *in tom. 25. Bibl. vet. Patr.* ibi: *Id vero, quod dicitur, filia Patri danti sibi virum non potest contradicere; intellige sine vitio ingratitudinis, & poterit exheredari.*

Beatus Albertus Magnus in 4. sent. distinct. 28. art. 4. proposito dubio: an

filia fam. possit invitis parentibus tradi marito, resolvit, quod valide nubit, sed concludit, quod *peccat, clam a parentibus contrahens*.

7. Apertius, si fieri potest, hanc viritatem posteriores Theologi tradidere.

Megal. 1. 2. partis institutionis Confessariorum, & Pœnitentium lib. 2. Cap. 23. num. 52. ibi: *Filia, quæ absque consensu Patris matrimonium contraheret, contra quartum Decalogi præceptum mortaliter peccaret.* Et num. 57. idem docet *de filiis*.

Franciscus Silvius in supplem. 3. par. quæst. 47. art. 6. conclus. 4. Inire matrimonium Parentibus, vel inconsultis, vel rationabiliter invitis, est regulariter peccatum mortale.... magna est injuria contra voluntatem eorum rationabilem hoc aggredi.

Ludovicus Abelly Episcopus Ruten. in medull. Theol. par. 2. tract. 1. cap. 8. sect. 3. num. 3. Quamvis matrimonium invitis Parentibus contractum, si aliæ conditiones necessariæ observentur, validum sit &c. Certum est tamen, graviter peccare filiasfamiliæ, si invitis rationabiliter parentibus, vel eorum consensu non requisito, contrahant matrimonium; ut ex communi Theologorum consensu docent Ledesma, & Gammachæus &c.

Gulielmus Estius in 4. sent. distinct. 28. §. 2. in princ. Quamvis rata sint matrimonia inconsultis Parentibus contracta; plerumque tamen sunt illicita: nam nisi justa causa diversum suadeat, tenentur liberi Parentum Consilium audire, & consensum expectare.

Petrus a S. Joseph. in sum. de 4. Decal. præcept. art. 2. §. Sed quid si filius nulla gravi caussa adactus nuptias a parentibus propositas respuit? Probabilius videtur, eum peccare mortaliter, eo quod in re gravi, & justa, Patris præceptum nihili ducit.

Franciscus Zypæus in analyt. jur. Pontific. lib. 4. tit. de sponsal. num. 5. Ecclesia semper detestata est ea matrimonia, quæ filii contrahunt insciis, invitisque Parentibus; Ac idem iterum testatur *tom. 2. in tract. de Jurisdict. lib. 2. cap. 12. num. 2., & dict. tom. 2. Judex, magistrat. &c. lib. 3. cap. 2. num. 6. & eod. tom. 2. de notit. jur. Belgic. lib. 5. tot. de sponsal. num. 8.*

Merbesius in summ. Christ. par. 2. de Sacr. matrim. dissert. 7. quæst. 17. per tot. ubi probat, quod inire matrimonium, parentibus vel inconsultis, vel justa caussa reluctantibus, est peccatum lethale, ordinarie loquendo; quia gravi in re gravis ab ipsis injuria parentibus irrogatur.

P. Mauritius Philippi Ord. Min. Provin. Flandr. in Directorio Conscientiæ tract. 25. de Matrim. cap. 4. quæst. 3. per tot. Tenetur ordinarie filius petere consensum parentum ad ineundum matrimonium, quia filius nubendo contra voluntatem Patris assicit irreverentia in re notabili contra illud Exodi xx. Honora Patrem. Deinde jura tam Canonica, quam Civilia severissime prohibent hujusmodi nuptias Cap. honorantur 32. quæst. 2. Hinc D. Ambros. lib. de Abrahæm cap. ultim. Non est Virginalis pudoris eligere Maritum.

Anton. Nald. in sum. verb. filius num. 6. Filiusfamilias contrahens matrimonium contra voluntatem Patris peccat mortaliter secundum magis receptam opinionem.

Eagundez in præcept. Decal. lib. 4. cap. 4. num. 4. resolvit, *peccare mortaliter filium, qui ducit uxorem dignam, respuens æque dignam, quam Pater ducendam proponit.*

Gabriel a S. Vincent. de Matrim. par. 5. disp. 3. quæst. 5. num. 3. inquit: *certum est apud omnes Catholicos peccare mortaliter filios, quando absque legitima caussa matrimonia contrahunt absque Parentum consensu.*

Franciscus Amicus in Curs. Theol. tom. 9. de Sacram. Matrim. disput. 4. sect. 1. num. 8. in fin. Filii tenentur Parentum consensum exquirere, vi observantiæ, & pietatis Progenitoribus debitæ; unde graviter peccant, qui absque justa Caussa contra voluntatem parentum matrimonium contrahunt.

Ma-

Digitized by Google

Mastrius in Theol. Moral. disput. 20. quæst. 2. artic. 3. n. 48. Certum est, ut communiter Doctores docent, graviter peccare filios familias, si invitis rationabiliter Parentibus, vel eorum consensu non requisito, Matrimonium contrahant.

Joann. Martinon. tom. 2. de Sacrum. disp. 71. sect. 9. num. 107. Peccant filii graviter, quando sine justa causa parentibus insciis, vel invitis matrimonia contrahunt. Leander tom. 2. de Sacram. tract. 9. disp. 6. quæst. 5. an peccent mortaliter filii, qui absque consensu Patris nubunt, ait: *Probabilius respondeo, peccare mortaliter &c.*

Petrus Marchant. in Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 5. tit. 2. quæst. 4. conclus. 4. Si nubant absque postulato consilio, vel assensu parentum, vel illis juste renitentibus, peccant mortaliter.

Florentius de Coq. tom. 3. princ. Theol. cap. 12. sect. 5. Qui sine justa Causa Parentibus inconsultis, aut rationabiliter invitis Matrimonium ineunt, peccant mortaliter, inhonorando Parentes.

Marcus Vidal. in Arca Salutar. de Just., & jur. inquisit. 2. num. 5. Graviter peccant filii, qui sine consensu Parentum nubunt; faciunt enim in re gravi contra honorem illis debitum. Et num. 12. eadem explicat.

Jacobus Platellius tom. 5. cap. 7 §. num. 1112. Ordinarie consensus parentum necessarius est ad hoc, ut licitum sit Matrimonium, itaut graviter peccent filii, vel filiæ contrahentes, invitis parentibus.

Isambertus tom. 6. in 3. part. D. Thomæ de Sacram. Matrim. disput. 7. art. 10. circa finem. Peccant gravissime filii, quando sine causa legitima contrahunt absque consensu Parentum.

Franciscus Gennett. tom. 5. tract. 9. cap. 8. quæst. 1. Filii non possunt contrahere matrimonium insciis, vel invitis parentibus; alias peccarent mortaliter &c.

Natalis Alex. in Theol. Moral. tom. 6. tract. de Sacram. Matrim. cap. 2. art. 3. propos. 3. Lethaliter peccant filii familias, qui parentibus inconsultis, vel justa ex causa repugnantibus matrimonia contrahunt: id enim vetat Lex Divina.

Gaspar Juenin. in Comment. de Sacram. par. 2. dissert. 10. quæst. 5. cap. 3. in princ. Cuique ratum est, illicitas esse nuptias, quas filiifamilias invitis aut inconsultis parentibus inierint.

Joan. Cabassutius in Theor. Jur. Canon. lib. 3. cap. 25. num. 4 Matrimonia filiorum familias sine parentum consensu celebrata, consentiunt omnes esse illicita, & Divinis humanisque legibus prohibita, & pœnis esse dignos filios, qui contrahunt, & Sacerdotes, qui eis assistunt: Et melius *n. 7.*

Armandus Hermund. in 4. sent. tract. 9. disput. 2. qu. 3. num. 4. Dico secundo, ut validus sit contractus matrimonii, non est necessarius consensus parentum: peccarent tamen mortaliter sic contrahentes.

Ludovic. Engel. tom. 3. in 4. Decretal. tit. 2. §. 2. num. 6. Si liberi absque rationabili causa, vel invitis parentibus matrimonio contrahunt; plerumque mortaliter peccant, & exinde puniri possunt.

8. *Idem ex professo tuentur Rebell. de oblig. just. par. 1. lib. 2. quæst. 14. Sect. 1. Basilius Pontius lib. 2. cap. 1. num. 27. Joan. Valer. de disser. utr. for. verb. matrim. dissert. 1.* aliique plures, inter quos *Fagnan. super cap. tua, de desponsat. impuberum*, ubi egregie rem examinat, allegans concordantes, præcipue *num. 13. & 14.* & novissime *P. Alexander Politus a Sancto Sigismundo Scholarum Piarum Theologus in erudito tract. de patria in testamentis condendis potestate* anno 1712. Florentiæ Typis impresso, *lib. 1. cap. 3. 4. & seq. lib. 2. per tot.*

9. His addendi veniunt etiam mitioris doctrinæ auctores, qui etiamsi excusent ab omnimoda obligatione sequendi voluntatem Patris; hujus tamen consilium petere, nec contemnere filiosfamilias omnino teneri, alias mortaliter peccaturos, unanimes affirmant. Ita antiquiores aliqui, quos congerit, & sequitur *Sanchez. loc. cit.*

Digitized by Google

Bonacin. de Sacram. Matrim. quæſt. 4. punct. 17. num. 25. Coninck de matrim. diſp. 28. dub. 5. num. 92. concluſ. 3. Perez. de Matrim. diſput. 15. ſect. 5. num. 6. Gaſpar. Hurtad. eod. tract. diſp. 6. diſficul. 10. num. 36. teſtans de communi ſenſu omnium Doctorum. *Eſcobar. lib. 25. ſect. 2. dec. 175. num. 724. in fine: Thomas del Bene de immunit. per. 1. cap. 8. dub. 19. ſect. 9. num. 34. Cotton. contr. 3. cap. 3. num. 93. Filiucius tract. 10. par. 1. cap. 4. num. 130. Trulenob. tom. 1. in præcept. decal. lib. 4. cap. 1. dub. 2. n. 13.*

10. Et conſentiunt Canoniſtæ *Barboſ. in collect. in Conc. Trid. ſeſſ. 24. de refor. matrim. cap. 1. num. 2. in fine: Gonzal. Tellez. ſuper. cap. tua de deſponſat. impuber. num. 12. Robert. Konig. ſuper. 4. decretal. tom. 2. tit. 1. §. 7. num. 47.* Egregie *Gatier. tract. de matrim. cap. 79. num. 20.* ibi: *Auctores affirmant, & late probant peccare mortaliter filium matrimonium ineundo, eſtque omnium Theologorum Sententia; tenetur igitur ſub culpa lethali conſilium parentum circa matrimonium petere.*

Modernus *Potius de Joriis de magn. matrimon. Sacram. quæſt. 21. par. 8. num. 16. & 17. Probabilius exiſtimo, filios teneri ſub culpa lethali conſilium parentum circa matrimonium petere &c. quia juri naturæ, quo parentes in liberos finguntur, ſub quorum poteſtate ſunt, conforme eſt, ne citra parentum conſilium aliquid de re tam gravi, ut eſt matrimonii vinculum, a quo totum vita inſtitutum pendet, filius deliberet.*

11. Cæterum ad abundantiam potius, & ad vulgi allucinationem diluendam tot *Doctorum* aſſerta coacervavimus. Quid enim alia auctoritate indigemus, cum auctoritas ſuppetat irrefragabilis, vel *Summorum Pontificum*, vel *Conciliorum* tam Generalium, quam Provincialium, quibus conſtanter hujuſmodi matrimonia illicita, ac deteſtabilia viſa ſunt? Ad hoc firmiter aſſerendum abunde ſufficeret vel unicum teſtimonium *Sac. Concil Tridentini aperte docentis Cap. 1. Seſſ. 24. de reform. matrim.* ibi *Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſſis illa* (matrimonia ſcilicet ſine conſenſu Parentum contracta, quæ declarat irrita non eſſe) *ſemper DETESTATA EST, atque PROHIBUIT*. Hoc enim decretum æque improbat matrimonia clandeſtina, atque contracta invitis Parentibus, inquit *Fagnan. ſuper Cap. tua de deſponſat. impub.*, & optime animadvertunt *Sairus in clavi reg. lib. 3. Cap. 5. n. 12.* ibi: *Quia ut plurimum incommoda magna ex eo, quod filii matrimonium, inſciis, ac invitis Parentibus contrahant; merito Eccleſia hujuſmodi matrimonia ſemper prohibuit*. Conſentiunt *Marchant. tom. 2. loc. cit. quæſt. 4. Gennet. Cap. 8. cit. quæſt. 4.* & alii: Et legenti patet ad ſenſum: nec obſcure innitur *a Card. Pallavicino in Hiſtor. Conc. Trident. lib. 22. cap. 4. num. 1. & 2.*

12. Ne tamen antiquiora contemnere videamur; vel pauca ex iis attingere non pigebit. Abſtinemus equidem a controverſia (3) utrum talia matrimonia aliquando ita rejecta fuerint, ut irrita redderentur; de qua in oppoſitas ex diametro ſententias abeuntes agunt *Baſilius Pontius de matrim. lib. 2. Cap. 1. §. 1. Fagnan. ſuper Cap. tua cit. num. 20. & ſeqq. Juenin. Cap. 3. cit. art. 1. concl. 2.* aliique tum ex veteribus, tum ex modernis Theologis, & Juriſperitis. Veruntamen fateri oportet, ea, quæ adducuntur ad probandum, quod Eccleſia talia connubia irrita voluerit aliquando, evidenter concludere, quod ſaltem ut maxime illicita vetuit, & improbavit.

13. Itaque *in Cap. aliter cauſ. 30. quæſt. 5.* celebre illud Decretum legitur *Evariſto Papæ* tributum: *Legitimum non ſit conjugium niſi &c. a parentibus, & propinquioribus ſponſetur &c. aliter vero præſumpta non conjugia, ſed adulteria, vel contubernia, vel ſtupra, aut fornicationes potius quam legitima conjugia eſſe non dubitate.* Et in *Epiſtola*, unde præfata verba tranſcripta ſunt, additur *ſicut a Patribus accepimus, & a Sanctis Apoſtolis, atque eorum Succeſſoribus traditum invenimus*. Neque nos latet, hanc Epiſto-

(3.) In qua controverſia vix eſt dubitandum, quin ex vetere jure Canonico ea matrimonia irrita fuerint. Vide quæ mox ex Summis Pontificibus aliiſque Canonici juris fontibus allegantur, num. 13. & ſeqq. Vide & Juenin. Diſſ. 2. q. 5. c. 3. ar. 1. & alios.

Digitized by Google

Jam *Evaristo* suppositam non levibus argumentis ductos nostri sæculi criticos affirmare: nihilominus quicunque sit illius Auctor, saltem eruitur ex illa, qualis fuerit de eo tempore Ecclesiæ disciplina, scilicet a nono sæculo æræ Christianæ. Quod & evidenter evincitur ex altero contemporaneo teste *Nicolao Primo Summo Pontifice in responso ad Consultat. Bulgar. cap.* 3., instruens enim eos super moribus occidentalis Ecclesiæ in matrimoniis contrahendis: *Fœdera quoque*, inquit, *consensu eorum, qui hæc contrahunt, & eorum, in quorum potestate sunt, celebrantur. Referuntur in cap. nostrates caus.* 30. *quæst.* 5. Idem videtur tradere *Urbanus Primus* relatus *in cap. si verum caus.* 31. *quæst.* 2., dum de matrimonio, invito utroque parente, affirmat: *Canonum, & legum auctoritas talia sponsalia non approbat*: clarius legitur *in cap. videtur, qui matrim. accus. poss.* (sive sit *Cælestini II.*, ut arridet *Gonz. Tellez in comment. super eodem cap.* sive *CLEMENTIS III.*, ut autumant *Natalis Alex. Theolog. tom.* 6. *pag. mihi* 629., *& Juenin loco sup. cit.*) ibi: *Ideo maxime Parentes recipiuntur &c. qui enim melius recipi debent, quam illi, quorum est interesse &c. itaut si non interfint, & consensum non adhibuerint secundum leges, nullum fiat matrimonium.* Consonat verba ALEXANDRI II. apud *Ivonem Carnotensem* 3. *par. decreti* relata *à Natali Alex. ubi supra pag.* 528. ubi de adolescente; qui juraverat feminam quandam se ducturum in Uxorem, affirmat Summus Pontifex, reum fuisse perjurii, ideo quia quod observare legaliter non potuit sine judicio parentum, temere jurare præsumpsit.

14. Nec diversa fuit Ecclesiæ Orientalis observantia: quia ex *Photii* Nomocanone, qui nono currente sæculo fuit exaratus, & ex *Commentariis* super eodem editis *à Balsamone* XII. labente sæculo, & XIII. ineunte, perspicue apparet, inibi præfata conjugia usque adeo vetita fuisse, ut pro irritis haberentur, ut ex *tit.* 13. *cap.* 9. (4).

15. *Con-*

(4.) Photius in Nomocanone titulo XIII. cap. 9. hoc lemma præfigit: Περὶ τῶν παρὰ γνώμην τῶν ἰδίων γονέων, ἢ δεσποτῶν, γαμησάντων. ideſt *De nubentibus prater parentum aut dominorum sententiam*: hoc est parentibus inconsultis. Deinde rejicit lectorem ad Basilii Can. 38. 41. 42. de quibus inferius dicam. Sequitur Photii textus in hunc modum: Τὰ ἐξουσίᾳ ἢ ὑπεξούσιος. &c. quæ satius erit huc afferre, quemadmodum latine sonant. *Qui, quæve in alterius potestate sunt, non possunt legitime matrimonium contrahere, non consentiente eo, qui illos in potestate habet: ut lib.* V. *Cod. tit.* 4. *& lib.* XXIII. (*non Cod. sed Dig.*) *tit.* 2. (traditur): *extra quam si quis filiam* 25. *annos natam in matrimonium elocare differat. Tunc enim illa libera conditionis homini seipsum* (matrimonio) *jungere potest: quemadmodum qua de ingratitudine heredum* (tractat) *Novella CXV.* (cap. 3. docet).

Ad quæ a Balsamone hæc adnotantur: Ὅτι δὲ οὐ δύνανται ἐν ἐξουσίᾳ &c. *Quod autem qui, quæve in potestate sunt, circa consensum ejus, qui eos in potestate habet, legitime matrimonium contrahere non possint: ex multis cap. manifestum est. Titulus secundus libri* XXIII. *Digestorum positus est in capite primo tituli* IV. *libri* XXIII. (Basilicorum). *Atque ejusdem tituli caput secundum sic habet*: οἱ φίλτατοι γάμοι &c. *Nuptiæ consistere non possunt, nisi consentiant omnes*, id est *qui coeunt, quorumque in potestate sunt*. Verba sunt l. 2. De r. nupt.

Jam vero Basilii ad Amphilochium canones, ad quos digitum intendit Photius, tales sunt. Canon. XXXVIII. sic habet: Α' κόραι αἱ παρὰ γνώμην τοῦ πατέρος ἀκολουθήσασαι πορνεύσω ideſt *Puellæ, quæ prater patris sententiam amatores secutæ sunt, fornicantur*. Hoc est (ut ibi Balsamon & Zonaras interpretantur) etsi videantur cum suis amatoribus Matrimonio copulatæ: re tamen vera fornicariæ sunt, non uxores, quia inter eos qui in aliorum sunt potestate, sine horum consensu matrimonium consistere non potest. Sequitur in eodem Canone: *Reconciliatis vero parentibus, videtur res remedium accipere, non protinus autem ad communionem restituuntur, sed triennio punientur*: ideſt nonnisi exacta triennali pœnitentia recipiuntur. Interpretationem hanc Canonis a me positam confirmat Alexius Aristenetus, sic eum Canonem παραφράζων (apud Beveregium tom. 2. p. 9. 7.); Οἱ ὑπέξουσιοι &c. *Qui sub potestate sunt, prater eorum sententiam, sub quorum sunt potestate, matrimonium contrahere non possunt. Si autem & contraxerint nihil fecerunt: sed irrita est contractio. Puella autem qua prater patrum suorum voluntatem homines aliquos secuta fuerint, fornicationis supplicio subjiciuntur.* Et quæ porro ibidem sequuntur. Jam vero quod ait Basilius, *Reconciliatis vero parentibus, videtur res remedium accipere* &c. id ostendit, tunc temporis dedisse operam Episcopos, ut parentes reconciliarentur filiis, ut sic filii possent de fornicatione ad ratum conjugium emergere, ac post triennalem pœnitentia-

15. *Concilia Provincialia* omnium nationum in eandem sententiam abierunt : Itaque.

16. In

nitionem canonicam ad communionem admitti. Certe Ambrosius nihil sibi reliquum fecit, quo Sisinnium cum filio, qui clam patre uxorem duxerat, conciliaret. Itaque filium ad veniam rogandam adduxit, ac vicissim patrem perpulit, ut filio *paternam*, uti vocat, *offensionem* condonaret. Quod assecutus, tandem Sisinnio epistola (quæ in edit: Mauriana est 83.) lectu dignissima gratulatur.

Id quod hoc Canone de filiorumfamilias matrimoniis sancitum fuit, idem mox Can. XL. extenditur ad servos, ait enim : *Qua præter domini sententiam se viro tradidit, fornicata est*, &c. tum hæc ratio traditur : *Eorum enim qui sunt sub alterius potestate, in pacta conventa firmi nihil habent* : quæ ratio in filios familias minus convenit. (Cur in filios familias universe ea ratio minus conveniat, dixi in *Mantissa de Sponsal.* num. 5. Vide ibi dicta.) Ad quem Canonem vide Balsamonis, Zonaræ, & Aristeneti scholia.

At Canon XLI. (eorum scilicet quos supra allegavit Photius, alter) nihil huc pertinet. Quocirca alterutrum dicendum esse censuerim, sive in Photio μ' pro μά hoc est XL. pro XLI. scribendum esse, sive in Epistolæ ad Amphilochium exemplari, quo Photius utebatur, fuisse quadragesimum, qui nunc est Canon primus & quadragesimus.

Sequitur eorum Canonum ad quos indicem intendit Photius, tertius, qui est Basilii ad Amphilochium XLII.

Οἱ ἄνευ τῶν κρατούντων γάμοι πορνεῖαι εἰσίν, &c. *Quæ sine iis, qui habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes. Vivente ergo patre vel domino ii, qui conveniunt, non sunt ab accusatione liberi, donec conjugio domini annuerint : tunc enim accipit firmitatem conjugium.* In qua versione (Beveregina to. 2. pag. 100.) ne te illud turbet, *conjugio DOMINI annuerint* : nam ibi vox *Domini* commode intelligenda est tum de *dominis* tum de *patribus*. Omnino Græca in hoc canone vox Κύριοι non *Domini* sed γενικως, censeo, vertatur sic : *ii quorum in potestate sunt* : sive *auctoritatem* aut *potestatem habentes*. Id enim Κύριος apud veterem Græciam pluries significat, ut communis ea vox tum *heris*, tum *patribus* fit, imo & iis omnibus, qui auctoritatem habent : unde & tutores Κύριοι dicebantur : & ii præsertim qui puellas nuptui dabant, proprie κύριοι vocabantur : de qua usurpatione vide Budæi Coment. L. Gr. pag. 43. 44. Hinc Balsamon in hujus Canonis Scholio pro Κύριοι posuit, οἱ τὴν οὐσίαν αὐτῶν ἔχοντες hoc est *qui eorum habent potestatem*.

Hunc Basilii Canonem XLII. Auctor hujus Dissertationis infra n. 22. in partes suas advocat. Eundem conferre poterit cum Paulli JCti loco ex *Rec. sent.* De quo infra in *Adnot.* 5. Ex utroque enim constat, matrimonia injussu patrio copulata, non continuo tamen dicturbata fuisse. Ea quidem sæculi leges etsi improbabant, atque ut *injusta* traducebant, tamen prolium gratia tolerabant. At leges Ecclesiæ longius progressæ, usque adeo improbabant, ut eadem matrimonia *fornicationibus* æquipararent.

Cæterum in occidente eadem prorsus de filiorumfamiliæ matrimoniis disciplina viguit. Licebit præter monumenta ab Archiepisc. Rossanensi num. 13. & 16. producta (inter quæ valde notabilis est canon, falso quidem Evaristo tributus, sed antiquus tamen, & Basilio cohærens : in quo ista *non conjugia* ait esse, *sed aut adulteria, aut contubernia, aut stupra, aut fornicationes*) etiam heic pauca aliquot, quæ ad manum sunt, proferre. Conc. Carth. IV. c. 13. *Nuptiis sponsus & sponsa a parentibus offerantur a sacerdote benedicendi*. Conc. Aurelian. IV. c. 2. 2. *Conjugium, quod contra parentum voluntatem IMPIE copulatur, velut captivitas* (mirum, ni heic CAPTIVITAS tantumdem sit, quod Italis *cattività, cattivezza* idest scelus, flagitium : etsi nihil de hoc vocabulo in Cangii Glossario) *judicetur : sed sicut prohibitum est, non admittatur. Siquis perpetraverit, excommunicationis severitas pro modo piaculi imponatur*. Conc. Parisiense anno 557. *Nullus viduam neque filium alterius, extra voluntatem parentum, Regis beneficio asumet postulandam*. Conc. Turon. c. 21. *Non solum Childebertus, & Clotarius reges, sed etiam Dominus Charibertus rex successor eorum præcepto roboravit, ut nullus ullam puellam absque parentum voluntate accipere præsumat*. In Dagoberti lege, quæ *Lex Alamannorum* vocatur, ita scribitur : *Si quis filiam alterius non desponsatam acceperit sibi uxorem, si pater ejus requirit, reddat, & cum 40. solidis eam componat*. In Capitular. Caroli M. Lib. VII. c. 363. *Decretum est, ut uxor legitime viro conjungatur, aliter enim legitimum* (*ut a patribus accepimus & a SS. Apostolis eorumque successoribus traditum invenimus*) *non fit conjugium, nisi ab his, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus uxor custoditur, petatur, & a parentibus propinquioribus sponsetur ..... taliter enim & Domino placebunt, & filios non spurios, sed legitimos atque hereditabiles generabunt*.

Præter auctoritates etiam exempla ex historia Eccles.

16. In Galliis *Concilium Aurelianense quartum celebratum Anno* 541. *Canon* 22. pronunciat, *matrimonium contra voluntatem Parentum impie copulari. Labbe ad ann. cit. tom.* 5.

17. In Hiſpaniis *Toletanum tertium can.* 10. *Similis conditio de Virginibus habeatur, ne contra voluntatem Parentum, vel ſuam, cogantur maritos accipere;* apud Card. de Aguir ann. 689. num. 40.

18. In Germaniam *Concilium Coloniense habitum anno* 1636. *in tom.* 4. *Concil. General. & Provincial. par.* 7. *c.* 43. *Optandum ut tollantur clandeſtina matrimonia, quæ invitis Parentibus, ac propinquis, veneris potius, quam Dei cauſſa contrahuntur. Nam quanta ex his mala ſuboriantur, in aperto eſt. Interea vero ſi non irrita, prohibita ſaltem ſint, & pœnæ Canonicæ ideſt excommunicationi contrahentes, & qui eis ope aut, conſilio adfuerunt ſubjaceant.*

19. Item in Germania *Synodus Provincialis Moguntina* congregata anno 1549. *in cit. tom.* 4. *Concil Gener. & Provinc. cap.* 37. *Volumus liberos ſedulo admoneri, ut divini præcepti memores velint in parentum eſſe poteſtate, nec illis inſciis, aut invitis inire matrimonio præſumant.*

20. Denique in Italia *in Conſtitutionibus Provinciæ Mediolanenſis ex decret. ſynodal. Conc.* VI. *Provinc. Mediol. lib.* 4. *ſub tit. Quæ ad Sacramentum matrimonii ſpectant num.* 17. ſic legitur. *Si filiifamilias ſint, hos Parochus valde cohortetur, ut parentibus, in quorum poteſtate ſunt, eum honorem tribuant, ut illis, ne inſciis quidem nedum invitis, rem tanti momenti ineant:* idem huc ferunt *Acta Eccleſ. Mediol. par.* 4. *Inſtruc. Matrim. tit. de Parochi diligent.* Ac ad indicandam neceſſitatem iſtud adimplendi laudatur in margine *Concilium Tridentinum cap.* 1. *ſeſſ.* 24. ubi teſtatur ſemper aliter inita conjugia Eccleſiam improbaſſe, ut ſupra innuebamus.

21. Hæc omnia profecto, ut fatetur Auctor Epiſtolæ *Evariſto* Pontifici ſuppoſitæ, *a Patribus* accepta ſunt. Hi enim 4. *Decalogi Præcepto*, quo naturalis lex exprimitur *de Parentibus honorandis*, firmiter adhærentes, filios illis invitis, matrimonio ſe jungentes perpetuo damnaverunt. Sic Tertullian. lib. 2. ad uxor. cap. 9. *Nam nec in terris filii ſine conſenſu parentum recte, & jure nubunt.* S. LEO Magn. Epiſt. 92. ad *Ruſtic. Narb. cap.* 4. *Paterno arbitrio viris junctæ carent culpa.*

22. Sanctus Baſilius in Epiſt. ad *Aphiloch.* 2 *can.* 42. *Quæ ſine iis, qui habent poteſtatem, fiunt Matrimonia, ſunt fornicationes; nec ergo vivente Patre ii, qui conveniunt, ſunt ab accuſatione liberi.*

23. Sanctus Ambroſius pluries idem docet, at diſerte *in Epiſt. ad Siſinium*, quæ eſt 64. lib. 6. ibi: *Commendat præfatum virum, quod filio pepercerit, qui ipſo inconſulto uxorem acceperat.* Verum filii culpam fatetur, & factum improbat. *Malo enim*, inquit, *culpam fateri: ipſa paterna offenſio fuit: quoniam venturam in locum filiæ, tuo debuiſti eligere judicio, cui fieres pater, feciſti, quod boni parentes, ut ignoſceres, ſed obſecratus; nam antequam rogareris, non erat ignoſcere, ſed factum probare.*

24. Rupertus Abbas tom. 1. lib. 7. ſuper Gen. XXVIII. 78. de Eſau, qui uxorem duxerat contra præceptum patris ait: *Aut tanquam inſipiens, aut tanquam vere ſtultus fecit hoc Eſau.*

25. Rurſum his, ac cæteris Patribus præivit *Apoſtolus* tum generaliter admonens de obedientia, quam filii tenentur parentibus præſtare. *Ad Epheſ.* VI. 1. *Filii obedite paren-*

Eccleſ. afferri poſſunt, uti Judithæ cum Balduino Caroli Calvi filio matrimonium, quod propter Caroli diſſenſum valore caruiſſe viſum fuit. Idem Carolus Ludovicum filium coegit Anſgardi, quam patris injuſſu duxerat, ex eaque filiis ſuſceperat, nuntium remittere. Nec niſi undecimo ſæculo diſciplina illa in occidente immutari cœpit: quæ tamen in oriente perduravit, hodieque perdurat.

(5) *Nu-*

Digitized by Google

parentibus vestris &c. honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione. Et ad *Colos. cap. 3. vers. 9. filii obedite parentibus per omnia*; Tum ubi docet Parentum muneris esse filiis de nuptiis providere prima Cor. VII. 11. *igitur qui matrimonio jungit Virginem suam, bene facit, & qui non jungit, melius facit.* Quod & ex veteri Testamento luculenter confirmant *Card. Bellarmin. lib. 1. de matrim. cap. 18. Natalis Alex. tom. 6. Theolog. moralipag. mihi* 525., aliique Theologi passim allatis exemplis filiorum, qui Parentum mandatum ad Matrimonia contrahenda exequi curaverunt; ut de Isaac, Jacob, & Rebecca habetur cap. 24., & 28. Geneseos, vel qui renuentibus abstinuerint, donec ipsorum consensum impetrarent, ut de Sampsone narratur Jud. cap. 14. Item quia præcepta Domini de filiorum nuptiis nunquam filiis, semper vero parentibus proposita fuere Exod. 34. Deuter. 7. & apertissime Jerem. 29. *Date filiis vestris uxores, & filias vestras date viris;* Et Eccl. 4. VII. 4. *Trade filiam, & grande opus feceris, & viro sensato da illam.*

26. Nec audiendi sunt nonnulli, qui tot auctoritatis momenta satis sibi videntur eluisse, cum severa fronte pronunciarint, intelligenda esse de honestate ac decentia, secus vero de necessitate, & obligatione præcipue ad vitandam lethalem culpam.

27. Etenim nihil absurdus dici potest, ac a veritatis sensu magis alienum, quam quod abusus, quem semper Ecclesia detestata fuit, & prohibuit, quem culpabilem stultitiam Patres affirmant, quem adulterii, & fornicationis nomine audivimus appellari, quem impie usurpari, ac Decalogi præcepto repugnantem esse tot Concilia Provincialia pronunciant, ac sub anathematis pœna vetant: quod, inquam, tam detestabilis corruptela hoc duntaxat mali præseferat ut decentiam minuat, & obscuret honestatem. Optime ad rem nostram Fagn. super *cap. sua num. 23. in fin. de sponsi. Impub.* ibi: *Constat ea conjugia adeo esse sacris Canonibus invisa, & exosa, ut appellentur adulteria, fornicationes, & stupra; unde cum tam Ecclesia, quam civilis politia tantopere ab illis abhorreant, non videtur annuendum ut filia inire possit matrimonium, cui pater expresse, & ex legitima causa contradicit.* Judicet proinde unusquisque, cui veritas potius, quam indulgentia (ne dicam laxitas) arridet, utrum hæc omnia nihil amplius importent; quam decentiam operis, & honestatem.

28. Ad hæc cum meminerimus Civilis Politiæ; licet quoque ex illa ad rem nostram efficaciter argumentari. Nam non minus leges Imperiales communes, quam Municipales Regnorum, ac Rerumpublicarum, præfata connubia profligare totis viribus contendunt, & damnant, ut naturali juri adversantia, Reipublicæ tranquillitati noxia, ingratitudinis, ac libidinosæ licentiæ fœtus, aliorumque quamplurium malorum perniciosas causas.

29. *Jus* sane *Cæsareum* nuptias, in quibus Parentum consensus desideratur, irritas decernere, communis est Theologorum, ac Jurisperitorum Sententia, quam comprobant aperti Textus in princip. Instit. *de nupt.* ibi: *Si filiifamilias sint, consensu habeant parentum, quorum sunt in potestate. Nam hoc fieri debere, & civilis, & naturalis ratio suadet.* Et infra: *Si adversus ea, quæ diximus, aliqui coierint, nec vir, nec uxor, nec nuptiæ, nec Matrimonium, nec dos intelligitur.* Et similia habentur in *l. nuptiæ 2. & l. filius familias ff. de rit. nupt. l. si ut proponis l. nec. filium l. in conjunctione Cod. de nup.* Quidquid sentiant *Cujacius* (5), *& Dionysius Gottofred. in not. ad l. filius ff.*

(5) *Nuptias injussu patris esse civiliter irritas, at non dissociari tamen, sed sustineri tamquam matrimonia juris gentium.*

Ne quem Cujacii & Dion. Gothofredi, magnorum in legali disciplina nominum, abripiat auctoritas, breviter est explicandum, quid hi duo JCti censuerint, simul quid ex jure Romano in hac controversia verum sit.

Jam primum omnium nihil magis est in juris civilis voluminibus decantatum, quam sine patrum consensu nuptias non consistere. Præter Institutionum locum ab Auctore allatum, videatur præ cæteris titulus *D. De ritu Nuptiarum*, præsertim l. 2. 10. & 11. Et passim in hisce libris idem aut inculcatur, aut supponitur. Hujus Romani instituti Auctorem video laudari Romulum.

Digitized by Google

filius ff. de rit. nupt. & post ipsos Gonzalez. Tellez super cap. tua, de desponſ. impub.

lum, Auctore Plutarcho. Id quidem nondum in Plutarcho reperi. Verum apud eumdem in Numa ſic reperio, hunc regem Romuli legi, de patria liberorum vendendorum poteſtate, ita derogaſſe, τὸ πατρὸς ἐπαινοῦντος καὶ κελεύοντος γάμους γίνεσθαι, *ſi modo conſentiente ac jubente patre nuptiæ conſtiterint*. Caterum ab antiquiſſimis uſque temporibus apud gentes univerſas obtinebat, ne liceret injuſſu paterno uxorem ducere? Nec Antiochus quidem Chalcidenſem virginem abſtulit, niſi patre prius, partim allegando, partim coram rogando, defatigato, uti narrat Livius.

Sed tamen idem ille Paullus, qui lib. 35. ad Edictum, ſive lib. *De rit. Nupt.* negaverat nuptias ſine conſenſu patris conſiſtere: videtur contrarium dixiſſe in lib. *II. rec. ſent.* tit. 19. §. 2. ubi ſic poſuit: *Eorum, qui in poteſtate patris ſunt, ſine voluntate ejus matrimonia jure non contrahuntur: ſed contracta non ſolvuntur: contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis præfertur*. Ergo ſi *non ſolvuntur*, jam non irrita ſunt, ſed valida, contra quam lib. 35. ad Edict. idem dixerat, non conſiſtere. Quidam Doctores apud Jueninium loco citato interpretantur poſteriorem locum de caſu, quo pater id ſciens, publicis inſtrumentis non contradixerit. Falſo: nam univerſe loquitur Paullus. Alii apud eumdem Jueninium ibid. negant poſteriorem locum eſſe Paulli, quia cum aliis ejuſdem JCti locis colliditur; ac ſuſpicantur Aniano illi eſſe tribuendum, qui ſub Alarico Gothorum rege Cod. Theodoſianum & Caj Inſtitutiones contraxit. Nempe hoc familiare eſt ætati noſtræ, ut nos vindice dignos ſecare malint, quam cum cura, & induſtria ſolvere.

At jam pridem iſtud ἐναυαιρεῖς ſolverat Cujacius: cui tamen falſam interpretationem Juvenius ibid. adſcribit, quaſi qui putarit nuptias invito patre contractas jure Romano illicitas quidem, ſed non irritas fuiſſe. Legatur rogo Cujacius ab lib. 35. Pauli ad Edictum, & in III. Obſer. 5. ac videatur quo pacto vir ſummus potuerit nuptias iſtas ratas dicere, qui *non juſtas* eſſe, ac liberos inde natos eſſe *ſpurios*, aperte profiteatur. Sed vel ſic tamen contracta matrimonia non diſtrahi ex adſcriptis Paulli verbis in *II. rec. ſentent.* ſtatuit. Jam ſi a Cujacio interroges, *injuſta* iſthæc illegitima matrimonia, nec tamen diſſociata, quo loco habenda ſint: non aliud, credo, reſpondebit, aut reſpondere poterit, quam habenda eſſe ut matrimonia non juris civilis, ſed juris gentium. Matrimonia quidem illa *injuſta* hoc eſt jure civili illegitima, & irrita erant, ſed erant tamen matrimonia jure gentium rata, & jure civili permiſſa, non quidem uti NUPTIÆ aut uti CONNUBIA (utrumque enim eſt juris civilis Romanorum peculiare vocabulum) ſed uti MATRIMONIA, quod juris naturalis nomen eſt. Ergo inter ingenuos tres conjunctionum gradus Romana jura agnoſcebant aut ſaltem permittebant: 1. *juſtas nuptias*: 2. *injuſtas nuptias*, ſed tamen jure civili permiſſas, non uti nuptias, ſed uti Matrimonia juris gentium: 3. *concubinatum*. Ac *juſtæ* quidem uxoris ſumma dignitas erat; *injuſtæ* longe minor, ſed tamen longo intervallo major, quam *concubinæ*; quia UXOR (ſive juſta, ſive injuſta) nomen dignitatis erat, at *concubina* voluptatis nomen. Hinc injuſta uxor jure viri accuſari adulterii poterat, concubina non poterat: itemque viles perſonæ haberi ut concubinæ poterant, at eædem uxores haberi ne ut *injuſtæ* quidem poterant: quantum quidem ex diverſis Juris noſtri locis poteſt intelligi, & nos alibi diximus. Itaque ut eo redeam, diſſentiente patre, non juſtæ nuptiæ, non juſta uxor, non juſti liberi: & tamen omnia hæc utcumque erant ac dicebantur: non, inquam, jure civili, ſed naturali. *Et hoc meo quidem judicio* (ſubdit Cujacius III. Obſerv. 5.) *proprium exemplum eſt INJUSTÆ UXORIS* (de qua in l. ſi uxor, D. ad l. Jul. de adult.) *quæ jure viri adulterii accuſari poteſt, nec enim concubinæ, aut ejus quæ uxor eſſe non poteſt, exemplum recte dabitur, quandoquidem ea jure viri accuſari non poterunt*.

Hanc quam Cujacio tribui ſententiam, aperte etiam præfefert Dion. Gothofr. ad l. 25. *D. De ritu nupt.* quem conſulas, cenſeo. Quare falſiſſimum eſt, hoc JCtos cenſuiſſe ea Matrimonia fuiſſe illicita, ſed tamen valida: nam ſi de jure civili loquimur, *injuſta* hoc eſt irrita & illegitima prorſus erant: ſi de jure naturali; tum demum dici poterit, illicitas fuiſſe has nuptias (quippe contra reverentiam parentibus debitam, & alia plura juris naturæ capita peccantes) ſed tamen validas.

Jam vero Paulli verba ultima quid ſibi volunt? *Contemplatio enim publicæ utilitatis privatorum commodis* (patrum ſcilicet quæ deteriora fiunt per iſtas nuptias) *præfertur*. Quæ hic publica utilitas? *Quia*, inquit Cujacius, *publice intereſt non temere diſſolvi conjugia*. Imo potius, ſi quid heic video, *publica utilitas* non alia Paullo eſt, quam urbium πολυανδρία ſeu frequentia. Eo leges *de maritandis ordinibus*, & ei rei propoſita præmia ſpectabant. Nimirum enim τὸ πολυανδρεῖν & ſuboleſcere proles, & quoquomodo naſci homines, etſi ſpurios, publice intererat. v. *l. 1. ſol. matr.*

Et

Digitized by Google

ber. num. 8. Has utique leges jure Canonico (6) correctas esse non dubitamus, ut per-

Et hactenus quidem in Cujacii, & Gothofredi sententiam disputavimus. Nunc præstat audire Vinnium ad Instit. lib. 1. tit. *de Nupt.* §. 12. ubi Paulli locum, qui tamdiu nos exercet, non ita accipiendum esse dicit, quasi Matrimonium patre invito initum, ratum evadat (hoc enim Paullus alibi sæpe negat) sed in illis verbis, *contracta non solvuntur*, esse subaudiendum, *sed volente patre contracta non solvuntur*, nimirum si pater genero aut nurui offensus Matrimonium velit dissolvere. Hanc interpretationem a Duareno omnium primo fuisse allatam reperio. Ingeniosa quidem solutio, quam & JCtorum veterum consueta breviloquentia, & anthitesis prioris sententiæ, & allatæ a Vinnio leges probabilem faciunt.

Heic equidem, Cujacii, an Vinnii interpretatio sit potior, non definio. Quamquam revera illud *injustæ uxoris* exemplum, quod supra ex Cujacio apposui, hujus sententiam promovet. Ulpianus enim l. 13. *D. ad l. Jul. de adult.* ubi negasset, *concubinam jure mariti accusari posse* adulterii, mox §. 1. addit.; *Plane sive justa uxor fuit, sive INIUSTA, accusationem instituere vir poterit: nam & Sex. Cæcilius ait; Hæc lex ad OMNIA MATRIMONIA* (hoc est sive justa & civiliter inita, sive injusta hoc est illegitima) *pertinet*. Ex quo intelligitur, passim fuisse *injustas uxores & injusta Matrimonia*, nec ex eo quod injusta essent, fuisse distracta. Nec tamen ignoro de ista Ulpiani *injusta uxore*, quæ jure mariti accusaretur, alios aliter sensisse. Verum ad rem propositam quod attinet: addi & illud potest, quod (quantum ex canonibus modo in Adnot. 4. productis potest intelligi) ævo Basilii id juris obtinuisse videtur, ut nuptiæ injussu patris contractæ, non continuo disturbarentur, tametsi non pro justis concubiis, sed pro *fornicationibus* agnitæ. Nonnumquam tamen iis patres ad ultimum reconciliabantur: ac tum demum post triennalem pœnitentiam evadebant ratæ nuptiæ. Postremo si dissensus patrius statim nuptias dissociasset: frustra exheredatione aliisque pœnis conjuges deterrebantur: imo nemo injussu patris de contrahendis nuptiis cogitasset, quibus non speraret se fruiturum.

Ad ultimum hæc, quæ paternum arbitrium in nuptiis requirit, lex civilis *imperfecta* dicenda Cujacio (a quo plures id hausere, ac nuper Fevretus lib. V. de Abus. 2. n. 6.) videtur, quippe quæ sine illo consensu fieri vetet, sed tamen contractas non dissolvat: quemadmodum lex Cincia dicitur *imperfecta* Ulpiano, quod supra certum modum donare vetet, at donatum non rescindat. In quo tamen a viro summo dissentio: est enim dispar utriusque ratio. Lex Cincia donationes a se vetitas nullo modo rescindebat: at lex de connubiis auctore patre ineundis, eadem nuptias illo invito contractas, quantum ad civilem rationem pertinet, vere ac proprie dissolvebat: etsi easdem non disturbabat, nec impediebat, quin naturali jure ac ratione fultæ se tuerentur. At vero Tridentinam legem (quæ nuptias invito patre *detestatur*, & *prohibet*, ne contrahantur: nec tamen jam contractas dissolvit) potiore jure *legem imperfectam* appellaverim: nimirum eadem notione, qua lex Cincia *imperfecta* vocatur. Pari ratione cetera omnia impedimenta tantum *impedimenta* (e quorum numero est patrius dissensus) *leges imperfectæ* dicantur, per me licebit. Quo sensu legem Tridentinam appellaverim imperfectam, exposui in Mantissa in Adnot. XI.

Verum antequam a lege imperfecta discedam: hanc Macrobius ad finem Comm. in Somn. Scip. paullo aliter definit. *Inter leges*, inquit *illa imperfecta dicitur, in qua nulla deviantibus pœna sancitur*. In qua definitione *pœna* nomine non tantum multa, sed etiam rescissio facti venire debebit, ut bona sit definitio. Itaque lex imperfecta erit, quum nec factum rescinditur, nec facienti pœna proponitur. Talis est lex Cincia; Tale, & illud Livii lib. x. *Si quis adversus ea* (idest legem Valeriam) *faciset, nihil ultra quam IMPROBE FACTUM adjecit: id* (*qui tum pudor hominum erat*) *visum credo vinculum satis validum legis. Nunc vix servo ita minetur quisquam*. Sic D. Marcus rescripsit, *Heredem, qui prohibet funerari ab eo, quem testatur elegit, NON RECTE FACERE, pœnam tamen in eum statutam non esse*. Ergo, uti dixi, lex imperfecta non tantum factum non rescindit, sed ne pœnam quidem minatur, ac tantum *virtutis amore* improbitatem amolitur: cujusmodi est illud Horatii lib. 1. ep. ad Quintium; *Oderunt peccare boni virtutis amore. * Tu nihil admittes in te formidine pœnæ*. At si lex non rescindens factum, tamen pœnam statuat, definet *imperfecta* dici: sed nec continuo tamen hæc *perfecta* vocabitur, quia paullum ei a perfecta decedit. Ulpian. in Fragm. ibidem sic pergit §. 2. *MINUS QUAM PERFECTA lex est, qua vetat, & si factum sit, non rescindit, sed pœnam injungit ... qualis est lex Furia testamentaria, quæ plusquam mille assium legatum mortisve causa prohibet capere* (*præter exceptas personas*) *& adversus eum qui plus ceperit, quadrupli pœnam constituit*.

(6.) Intellige de jure Canonico novissimo, secus de antiquo: ut inter eruditos convenit, ac satis constat ex allatis supra num. 13. & 14. & ex *Adnot.* 4. Vide Jueninium loco cit. ubi ostendit per duodecim priora sæcula dissensum parentum fuisse impedimentum dirimens. At apud Græ-

Digitized by Google

perſpicue habetur in *cap. tua de Sponſal. cap. cum Cauſſa de raptoribus*, & aliis; clariſſime vero in *Concilio Tridentino ſeſſ. 24. de Matrim. cap. 1.* At inficiari nemo poteſt, ex illis manifeſte deduci, quod ſumma in præfatis deformitas naturali lumine deprehenditur, ut optime expendit *Fagnan. ſuper cap. tua, de deſponſ. Impub. num. 17.* ibi: *Inde tamen patet, quam ſint adverſa communi bono, & Reipublicæ tranquillitati connubia inita renuentibus Parentibus.* Et ſimiliter arguit *Card. Paleot. in tract. de noth. cap. 8.* reflectens ad textum relat. *ex princ. tit. de nupt. Inſtit.* his verbis: *Adde quod lex dixit non civili tantum, ſed naturali jure hoc inſtitutum fuiſſe, ut patris conſenſus in nuptiis præcederet; quæ verba arguunt omnino in contrarium vix aliquid poſſe decerni.*

30. Utcumque vero hæc ſe habeant, in comperto eſt, Civiles leges paſſim ſub graviſſimis pœnis iſta connubia prohibere, maxime ſub pœna exheredationis. Sic in *Jure Cæſareo in Auth. ut cum de appell. cognoſc. §. ſi alicui* (7). Pro Regno Caſtellæ in *l. 49. Tau-*

Græcos hodiedum conſenſus paternus omnino neceſſarius eſt, uti conſtat ex Matthæi Blaſtariis (qui ſæc. XIV. vixit) matrimonialibus apud Leunclavium (apud quem lib. VIII. pag. 500. Baſilii canones ſup. in Adnot. expoſiti ſic a Matthæo recitantur, tamquam qui ſuo tempore vigerent) & Beveregium: necnon ex Cruſii Turcogræcia. Lectu quoque digna eſt reſciſſio matrimonii, quod Leo quidam cum Mitza Bombylæ filia clam Patre contraxerat; tum in eod. Jure Græcoromano, tum apud Mottam in *Diatriba de Divortiator. jure* p. 155. Verum hæc cauſſa ad ſæc. XI. pertinet.

(7) *De pœna exheredationis aliiſque pœnis propter nuptias injuſſis patris initas, maxime impares, tam ex jure communi, quam ſingularum gentium peculiari.*

Præter citatam ab Auctore Novellam, notanda eſt præter ceteras *l. 3. §. ſi emancipatus, D. De bonor. poſſ. contra tab.* Atque omnino videndus de his (ut alios bene multos taceam) Philipp. Paſchalis Conſentinus in *De virib. patriæ poteſtatis* par. 2. cap. 5. num 15. & ſeq. ubi copioſe agit de pœna exheredationis, qua pater tam de jure communi, quam municipali poteſt punire filios filiaſve ſuo injuſſu nubentes.

Et quidem de ea exheredatione, quod ad jus commune attinet, non idem omnes ſentiunt. Quidam eam non admittunt; quia *Quod fit*, inquiunt, *permittente jure, pœnam non meretur*; & quod *tuto peccat, qui Auctoritate legum peccat*: probari autem ea conjugia putant a Trid. Synodo. Sed fugit hos ratio: nam Triden. Patres diſerte profitentur, ſe iſtas nuptias *deteſtari & prohibere*; etſi jam contractas non irritaverint: Quo fit, ut eam legem *imperfectam* vocari poſſe in fine adnot. 5. dixerimus. Non ergo permittuntur a lege hæ nuptiæ, ſed prohibentur. Rectius alii ferme omnes eam exheredationis pœnam de jure communi agnoſcunt: inter quos tamen nonnulli cum eo temperamento eam pœnam admittunt, ſi filius ignominioſam duxerit uxorem; vel filia indigno nupſerit, ex l. 3. §. *ſi emancipatus D. de bonor. poſſ. ff. contra tab. qua lege quid ſit ignominioſa* (nequid forte gravius ſuſpicere) Græcus Scholiaſtes explicuit; qui ἄσημον ideſt *obſcenam* eſt interpretatus. Quo fit ignominioſas & indignas nuptias non alias eſſe, quam *impares* in tantum, ut ſint familiæ dedecori. Vide de his Ger. Feltmannum in minime obvio libello *De impari matrimonio* pag. 17. & ſeqq. & alibi: etſi eumdem reperio, in ea cauſſa fuiſſe verſatum, cujus intererat, neminem exheredem fieri propter hujuſmodi nuptias. Adde quod idem pag. 151. univerſe profitetur, *liberos exheredes ſcribi poſſe ob majores ſimileſve cauſſas, quam ſunt illæ* (quatuordecim) *quas recenſet Juſtinianus*. Atque hæc de jure communi.

Ad leges autem gentium peculiares, quod attinet; præter eas, quas Auctor ſteic collegit, addam & alias hinc & inde a me corraſas. Inter leges Longobardicas lex eſt Liutprandi Regis (Apud Murator. to. 1. par. 2. Scriptor. Ital. pag. 74. num. LXVI. col. 2. A. B.) qua legè filia, quæ ſine patris conſenſu, vel fratrum, vel proximorum, alii quam cui deſponſa ab illis eſſet, nupſiſſet, privatur ſucceſſione paterna, quæ ad proximiores deferetur; atque ita, ut nec ei *frater per quodlibet ingenium aliquid dare, & hereditatem relinquere* poſſit. Vide ſis ibi totam legem. Jam vero inter leges antiquas Burgundionum & hæc legitur: *Si puella ſine parentum conſenſu voluntate & conſcientia ſe conjugio alicui ſociaverit, amittat quidquid de parentum hereditate ſe noverit habituram.* Sed & lex antiqua Alamannorum producitur a Renato Choppino in *de Feudis Andegav.* pag. 191. qua puellæ contrahenti impares nuptias ſucceſſionem in *terram* ſive feudum aufert. Ad hæc lex Dagoberti (quæ etiam lex Alamannorum audit) ſic habet in 2. Capitulari cap. 34. *Si quis filiam alterius non deſponſatam dreceperit ſibi uxorem, ſi pa-*

Digitized by Google

Tauri (8) de qua late *Gutier. 2. quæſt. Canon. qu. 1. per tot.* Pro Luſitana *in jure illius Regni lib. 4. tit. 88. n. 1.* de quo diſputat (9). *Fragoſ. par. 1. de Regim. Reip. Chriſt. lib. 2. diſput. 4. §. 2.* præcipue *num. 289.* Pro Regno Neapolis idem deducit poſt alios (10) *Donat. Ant. de Marin. tom. 2. lib. 2. cap. 132. num. 9.* ex lege Regis Rogerii, quæ habetur *in Conſtit. Sancimus. ſub tit. de Matrim. contrahen.* Pro Cataloniæ Principatu eaſdem pœnas in viridi obſervantia ſemper fuiſſe pluribus citatis refert *Fontanel.* (11) *in de-*

ſi pater ejus eam requirit, reddat, & cum XL. ſolidis eam componat. Apud Alb. Gentilem in VI. *De Nuptiis* cap. 9. ſic reperio: *Lex Vviſigorum fuit* (*lib. 3. tit. 2.*) *ut quæ nupſiſſet invitis parentibus, ea de bonis eorum non aliter haberet, quam ſi ipſi reliquiſſent. Et Recitat Covarruvias legem Regina Joanna matris Caroli V. imp. per quam amiſſio omnium bonorum ſtatuitur his filiis, & perpetuum exilium, ſub mortis pœna non violandum, & poteſtas ſit parentibus exheredandi eos. Etiam ipſius Caroli narratur conſtitutio jubens filios: nec excuſans, etiam ſi conſenſu patris acceſſerit, ante matrimonium conſummatum. Hæc leges & in Gallia ..... Sed & multa ejuſmodi ſtatuta per Italiam ſunt: quod de reſponſis interpretum ſæpe notavi. Etiam de conſenſu matris & aliorum propinquorum: de conſenſu fratris* (*Bal. 5. conſ. 54.*) *de patris, patrui, fratris, proximiorum agnatorum: Ceph. conſ. 642.* Quod hæc Albericus de Carolo V. innuit, de eo videatur Franc. Zypaeus in *Notis jur. Belgici* lib. v. tit. 1. num. 3. & ſeq. ubi accurate de Caroli conſtitutione agitur: necnon (num. 4.) de Philippi IV. qui Carolinam confirmans, alia de ſuo adjecit: de quibus conſuli poteſt & Vaneſpen tit. de matrim. cap. 4. Jam vero *Conſtitutiones Saxonicæ* (ait Henningus Arniſæus in *de jure Connubior.* cap. 3. num. 15.) *contemptum & neglectum conſenſus paterni puniunt, pro qualitate cauſſæ, amiſſione legitimæ, exheredatione, & carcere:* ubi & legum Hiſpanicarum rigorem in hac parte a Carolo V. in hereditarias ditiones inductum teſtatur. *Muſcovitarum conſuetudo* (inquit idem Arniſæus ibid. num. 24.) *prorſus tribuit hanc poteſtatem* (in nuptias, ſcil.) *parentibus. Nec enim illic nuptias ambit ſponſus: ſed ſponſa pater quærit affinitatem apud ſponſi parentes, adeo ut totius negotii cardo vertatur in manu parentum, ut teſtatur Sigiſmundus Baro. in hiſt. Muſcov.* Sed an ulla pœna ſtatuta ſit in filios immorigeros, alte ibi filetur. In reliquis Orbis Chriſtiani partibus quid juris aut moris ſit, alii, quibus plus otii eſt, edifferent. Sane plurium Italiæ civitatum ſtatuta ſcio in eamdem ſententiam fuiſſe compoſita: de quibus Alberici Gentilis modo productus locus meminit. Ut ecce inter Faventina ſtatuta, in quæ Dominicus de Zaulis ſpiſſa duo Obſervationum volumina edidit, notabile eſt illud, quod lib. IV. Rubr. 26. ſancitur, ne quis ſponſalia contrahat ſine aſcolentium, aut, ſi deſint, proximiorum conſenſu, ſub pœna privationis dotis. Sed & Bononienſe ſtatutum laudatur a Fontanella in *De pact. matrimonium. tom. 1. Clauſ. IV. Gloſ. 2. num. 27.* quod ſimiles pœnas nuptiis clam patre initis irrogat. De Mediolanenſi Ducatu, & regno Neap. noſter Auctor mox loquitur. Nec dubito, quin conſtitutiones cæterarum Italiæ civitatum pœnas ejuſdem generis complectantur: quas cupidi rerum harum per otium rimari poterunt. Caroli V. Conſtitutionem pro Regno Siciliæ recitat & exponit Franc. Salernus Concilio XV., cujus integrum locum infra adnectam.

(8) Ea lex 49. *Tauri*, hodie eſt lex 1. tituli 1. lib. v. novæ Collectionis Reg. in quam late commentatur Gutierez lib. 2. *Quæſt. practicar.* a quæſt. 1. uſq. ad 4., & Antoninus Gomeſius in *Comment. ad legs Tauri*: ambo non ſine fructu adeundi. Hoc interim ſcire ſufficiat, ea lege Tauri matrimonia clandeſtina (quorum nomine veniunt, quæ clam parentibus fiunt, ut alibi dicetur, maxime ſi denuntiationes omiſſæ fuerint) contrahentes puniri confiſcatione bonorum, & exilio: eoſdem vero poſſe ſine inofficioſis querela a patribus exheredes ſcribi.

(9) Omnino legatur dictus Baptiſta Fragoſus Jeſuita loco citato, num. 286. & ſeq. ubi de lege Luſitana filias nubentes injuſſu patris exheredante diſſerit.

(10) Locus integer Donati Ant. de Marinis ad calcem hujus Diſſert. producetur: qui noſtri fori praxim haud parum juvare poteſt: ubi & de Rogerii conſtitutione.

(11) Jo: Petrus Fontanella loco cit. num. 1. affert privilegium regis Jacobi, quo an. 1269. civitatem Barcinonenſem munivit: in quo filii filiæve injuſſu patrum nubentes, non quidem ipſo jure exheredes fiunt, ſed tribuitur parentibus poteſtas privandi eos, eaſve legitima vel hereditate. Itaq. hoc privilegium, hac ſaltem parte improprie *privilegium* (hoc eſt priva lex) dicetur, quia jus commune patribus tantundem largitur. At ex eodem Fontanella in *De pact. matrim. to. 1. Clauſ. IV. gloſ. 2. num. 10.* filiæ ante an. 24. inſcio, invitove patre nubentes ſucceſſione paterna ac materna, legitimaque privantur: idque per totam Cataloniam obtinet ex *Conſtit. 2. & 3. tit. de ſponſal. in. 1. volum. conſtit.* Hinc in formula capitulor. matrim. (in quam ibi commentatur Fontanella) neceſſario apponuntur hæc ver-

Digitized by Google

in decis. Senat. Catal. dec. 346. num. 1. & 2. Pro Ditione Regis Galliarum (12) satis nota sunt Statuta, Edicta, & Consuetudines, quibus Matrimonia hujus generis rigidissime puniuntur, de quibus late *Natalis Alex. Joan. Cabassutius, Gaspar Juenin. locis supra citatis.* Pro Ducatu Mediolanensi late *Calvin. de æquit. lib. 2. cap. 168. num. 63. & seq.* (13).

31. De

ba, *Quod* (matrimonium) *de expressa voluntate & assensu illorum* (parentum) *contrahere debet, & contrahit cum N. futura uxore sua.* Vide ibid. Fontanellam fuse de vi talium statutorum differentem.

(12) Vulgo quidem persuasum habent, Gallos hoc jure uti, ut apud eos patrius dissensus sit impedimentum dirimens. Sunt, fateor, qui sic sentiant. At longe alia Gallis plerisque mens est, ut Juenius loc. cit. cap. 3. art. 2. testatur: ex quorum sententia defectus patrii consensus ex mente regum Christianiss. *non attingit contractus substantiam, sed tantum effectus civiles*, uti laud. Juen. loquitur. At iidem tamen Galli DD. in hujusmodi matrimoniis plerumq. agnoscunt impedimentum *Raptus*: quod duplex esse volunt, unum *violentiæ*, alterum quod vocant *seductionis*: hoc vero alterum raptus genus contendunt a canonibus habitum fuisse pro impedimento dirimente: *Placuit* (uti legitur lib. VII. Capitularium cap. 395.) *ut hi qui rapiunt feminas, vel furantur, aut SEDUCUNT, eas nullatenus habeant uxores.* Vide plura ibidem; & apud Claud. de Blondeau in Biblioth. Canonica verbo *Mariages* pag. 84. Eadem ferme jampridem docuerat Gregor. Tolos. lib. IX. Syntagm. cap. 4. num. 11. 26. 27. Quo pertinet & illud Renati Choppini in *De Jurisd. Andegav.* lib. 1. c. 44. pag. 346. *Regia tamen censura*, inquit, *est omnino RAPTUS, qui conjugii specie admittitur in puellam vel adolescentulam: quibus nempe furtim alius extorqueat connubiales sponsiones etiam parentibus, tutoreve inconsulto.* Passim etiam Mornacius hoc nuptiarum genus RAPTUM nuncupare assolet ad tit. *De rit. Nupt.* & quis non? Itaq. ea locutio Gallorum, & Germanorum plurium JCtorum peculiaris evasit: quorum nonnulli eo trahunt *l. un. vers. Oportet enim: Cod. de raptu Virg.*

Fateor equidem, apud nos *seductionem*, uti vocant, non numerari hodie inter impedimenta dirimentia: sed negari tamen non potest, quin sit crimen gravissimum, ac dignum, in quod Sacerdotium æque ac Potestates animadvertant: tantum abest, ut *seductoribus* favere debeant, & eorum votis velificari auctoritate sua.

Cætera, quæ ad varia super hac re regum Christianiss. edicta pertinent, & eorum diversas interpretationes, quas JCti, Canonistæ, Theologi pro suo quisque captu illis affinxerunt, postremo quid hodie in praxi Curia suprema Parisiensis, quid Episcopalia Consistoria, quid Theologi & Parochi in Sacramentis administrandis sequantur: ea, inquam, omnia heic persequi aggredienti visa fuit ea tractatio diffusior, quam pro harum Adnotationum brevitate. Cui tanti ea res visa fuerit, adeat Scriptores ab Archiep. nostro laudatos, in primis Cabassutii *Theoriam & praxim juris Canonici*, & qui plenius & accuratius ista omnia exsequitur, librum, qui inscribitur: *Conferences Ecclesiastiq. ... imprimees par ordre de ... le Card. de Noailles*, tom. 2. lib. V. Ex quo libro licebit rem paucis contractam huc afferre. Quoties ergo a parentib., tuturib., curatorib. reus sit adolescens aliquis eo nomine, quod matrimonium eorum injussu contraxerit; duplicis generis sententia ad ultimum ferri solet. Nam sæpe fit, ut per supremæ Curiæ decretum irritetur matrimonium sive propter *clandestinitatem*, sive *raptum*. Quæ duo irritantium causarum genera, licebit *everriculo* (ut eleganti metaphora Ciceronis utar) matrimonium hujusmodi nuncupare; quum raro accidat, quin alterutrum intervenerit: nam *Raptus* quoisque apud Gallos pertineat, jam proxime vidimus: sed & *clandestinitas* sæpe intervenit, quoties scilicet non ante proprium Parochum (qui quidem ex jure domicilii quemadmodum id apud Gallos definitur, dependet) res transacta fuit. Ergo quum in hunc modum sententia dicitur, tum statim nuptiæ rescissæ intelliguntur, licebitque sponsis ad alteras vota convolare: nec id adeo propter patrum, tutorumve consensus defectum, sed quia *Raptus*, & *Clandestinitas* impedimenta sunt dirimentia. Quod si vero nulla in Decreto *raptus* aut *clandestinitatis* mentio fiat, verum id tantum Curia pronuntiet, *Nuptias non valide contractas* (*non valablement contractées*) *videri*: tum vero per hanc formulam nihil de Sacramenti substantia detrahitur, nec nuptiæ distrahuntur: verum eadem ratione contractus civilis irritæ declarantur, hoc est civilibus effectis destituuntur, proles inde procreatæ habentur ut illegitimæ, quibus nihil ultra alimenta debeatur. Tametsi pro circumstantiarum ratione commiseratio interdum facit, ut hoc etiam fulmen excuti sibi de manibus senatores patiantur. Itaque interdum in patrum arbitrio ponunt, filios ac nepotes exheredes facere: cæterum a contractu connubiali irritando abstinent, ne proles tamquam vulgo quæsitæ habeantur. Atque hæc pauca ex magis hodie recepta Gallorum, ac Theologorum doctrina satis esse possint.

(13) Quem librum ad manus non habui.

Digitized by Google

31. De his profecto, ac similibus sæcularium Principum Sanctionibus gravissima est controversia, an censeri debeant *Jure Canonico* abrogatæ; affirmantibus *Sanchez de matr. lib. 4. disput. 25.* aliisque congerit *Thom. del Bene par. 1. de Immunit. cap. 8. dub. 19. sect. 3.* negantibus vero *Gutierez lib. 2. Canon. Quæst. quæst. 1. per tot.* & aliis pluribus congestis per *Fragos. tra. 1. de Repbul. Eccl. lib. 2. disput. 4. num. 83.* & lato calamo *per supracit. P. Alex. a Sigismundo Scholarum Piarum in recenti tract. de Patria in testamentis condendis potestate, lib. 1. & per tot.* Ita ut dubium (14) rem esse ingenue fateatur *Fagnan. super Cap. Tuarit. num. 18. & 19.* Nihilominus intentum nostrum ex præfatis legibus efficaciter concluditur; quod nempe omnium gentium, Legislatorum, ac Principum judicio conjugia inita parentibus insciis, vel renuentibus, enorme crimen contra reverentiam iplis debitam censeantur, ideoque sub gravissimis pœnis prohibenda. Quo argumento acriter utebatur *Ledesma de matrim. ad tertiam partem q. 47. art. 6.* ibi: *Omnes nationes quamvis barbaræ detestantur eos, qui contrahunt matrimonium sine voluntate parentum, & existimant esse irreverentiam gravissimam: ergo &c. & infra §. In hac difficultate: Cum contrahere matrimonium contra voluntatem parentum sit peccatum contra legem naturæ, & pacis perturbativum, justum est ut publica auctoritate puniatur.* Denique addit ex Soto *peccatum hoc esse irreverentiæ, & impietatis, quod committitur contra parentes.*

32. His tam perspicuis auctoritatibus, & rationum momentis nihil addendum supereſt, nisi, ut speciosum, sed vere inanem, ac frivolum libertatis prætextum, quo se tueri posse sibi blandiuntur, diluamus. Inquiunt enim, omnia Jura in contrahendis connubiis omnimodam exquirunt libertatem, itaut unusquisque suo, non alieno arbitrio ad perpetuam servitutem valeat obligari, ut disserit *S. Thom. in 4. distinct. 29. qu. 2. art. 4.* Ac ideo nihil sæpius *Canonico Jure* sancitum, seu potius declaratum, quam quod parentes nequeant juste filios adigere (15) ad matrimonium ineundum. Vide si lubet *Cap. de Neptis 31. quæst. 2.* Vel quod dum agitur de matrimonio, contrahentium duntaxat consensum, non aliorum oporteat expectare, *cap. Sufficiat 27. quæst. 2.* Propterea quælibet pœna etiam conventionalis nedum in matrimoniis, verum etiam in Sponsalibus, quia libertatem non nihil imminuit, ab Ecclesia improbatur, *cap.*

(14) Parcat doctus Canonista: nam non est dubium, quin ea statuta regnorum, quæ hujusmodi nuptiarum latrocinia pœnis coercent, etiam post jus Canonicum novissimum recto stent talo: quod & auctores heic laudati, & alii plures demonstrarunt. Vide Zypæum in *De jurisd.* lib. 1. cap. 33. num. 4. & alios sexcentos passim obvios.

At qui contra sentiunt, verentur scilicet ne hujusmodi statuta violent libertatem matrimonii: quod quam ridiculum sit, superfluum est monere. Vel vide quæ disputantur infra *Adnot.* 17. Ad hæc quis umquam somniavit grave peccatum (quod in his nuptiis intervenire, nemo diffitetur) non posse pœnis compesci? Postremo huc pertinet & illa nonnullorum exceptio, nim. hujusmodi statuta videri a Tridentinis Patribus antiquata, qui has nuptias permiserunt: *quod autem fit permittente jure, pœnam non mereri.* At vide quid huic exceptioni repoſuerim sup. (*Adnot.* 7.) ubi Tridentinam Synodum non permittere ista conjugia, sed *detestari* ac *prohibere* admonuimus; quamvis eadem contracta non diremerit, ut jure *lex imperfecta* dici possit. Ad summam nemo sanæ mentis hodie de talium statutorum vigore dubitat.

(15) Aliud est compellere ad huic aut illi nubendum: aliud vero prohibere, ne (quum cæteroqui sint aliæ infinitæ numero personæ, quibuscum contrahi nuptiæ possint prohibere, inquam, duntaxat, ne huic aut illi sese quis adjungat. Satis est ad libertatem, si, cui quis se copulat, sese libere copulet. Qua una responsione satis plausibilis ille falsæ libertatis prætextus eripitur. Nec injuria eam libertatem *falsam* appellavi: Nam & Jo. Gropperus Colonienſis celeberrimæ sanctimoniæque doctrinæque in *Institutione* eo. potissimum nomine detestatur institusmodi matrimonia: Quæ, inquit, nunc passim non palam, sed furtim inter pueros & puellas, citra parentum consensum, per lenones & lenas, sola causa libidinis, non Dei respectu conjunguntur: idque sæpenumero PRÆTER DESTINATUM CONSENSUM. Quis enim consensum recte vocarit, cujus non consilium, sed vel pueritia, vel temulentia, vel insidiæ, vel libido causa sint? Et quæ plura ibi vir sanctiss. mala inde exoritura exaggerat. Verum istam fucatæ libertatis larvam mox in *Adnot.* 17. detrahemus. Ibi istud populare quidem, sed tamen puerile terriculum a libertate petitum uno duntaxat ineluctabili argumento diffabitur.

Digitized by Google

cap. Gemma de Sponſal. Quibus innixa frequens eſt *Canoniſtarum* nonnullorum Concluſio, quod de *Jure Canonico*, dummodo matrimonium fiat cum Eccleſiæ ſolemnitatibus, liberum ſit filiis, ac filiabus ſine conſenſu Patris uxorem ducere, vel nubere, de quo late *Covar. t. 1. tit. de matrim. par. 2. cap. 3. §. 8. an. 5.* allegans concordantes.

33. Verumtamen in ſenſu veritatis loquendo a firmata Concluſione non eſt diſcedendum, & confidenter aſſerimus, fruſtra libertatis *honeſtum nomen velandæ turpitudini obtendi*, ut ajebat *Auguſtinus tom. 7. lib. 2. de nupt. cap. 15.* Fatemur, & nos ad matrimonium *non ſolum conſenſum, ſed etiam concenſum liberrimum contrahentium exigi*, ut loquitur *Emin. Bellarm. 12. controv. de matrim. lib. 1. 19.* Huic tamen libertati duo repugnant: Unum videlicet, ſi Pater filium omnino diſſentientem, & invitum cogat vivere cum aliqua. Alterum ſi metu mortis, aut alio cadente in conſtantem virum cogat, ut conſentiat. Secus vero tertium nempe *ſi filium ad aſſentiendum inducat auctoritate paterna imperando, quando revera filio id conducit, it aut ſecundum rectam rationem diſſentire non poſſit, & hoc Patri licet, & filius obedire tenetur. Licet enim hoc ſit, ſuo modo cogere, & metum incutere mortis æternæ, non tamen propterea Matrimonium diceretur coactum.* Namque ſi metus gehennæ a Deo inculſus his, qui inordinate Matrimonio ſe jungere præſumunt, libertati ad illud requiſitæ officeret; vel de libertate actum eſſet, vel valedicendum tot præceptis Juris tam naturalis, & Divini, quam Eccleſiaſtici, quibus homines ab illicitis, licet validis nuptiis abſterrentur. His qui Sponſalia cum alia contraxerunt, vel voto caſtitatis adſtringuntur, naturali jure cautum eſt, ne aliam, vel ne ullam uxorem ducant; ducunt tamen valide, ſed lethaliter peccant, & rei ſunt gehennæ. Jure Canonico quot impedimenta non dirimentia conſtituta fuere? Quot adhuc vigent in Eccleſia? Qui aliquo ex illis contempto cotrahit, an non graviter peccat? Num quid tamen non libere contrahit?

34. Nulla lex enim, nullum præceptum eo quod obliget ad ſui obſervantiam ſub gravi culpa, ac ſub pœna æternæ damnationis, libertatem tollit, ſive minuit: aliter peccatum nullum, nullus reus erit. *Eſt optimum ſimile* (inquit *Ledeſma qu. 47. tit. atic. 6. in reſp. ad confirm.*) *nam amor debet eſſe maxime voluntarius, ac liber, ut conſtat. Tamen ex hoc, quod homo ex caritate teneatur Deum diligere, non ſequitur, quod actus dilectionis non ſit voluntarius.*

35. Quod egregie confirmatur ex S. Thoma perperam omnimode in contrarium allegato. Nam Sanctus Doctor. 2. 2. *quæſt. 104. art. 5. in Corp. & in 4. ſenten. diſtinct. 29. artic. 4.* unice inquirit; An filius præcepto Patris poſſit compelli ad Matrimonium, & reſolvit negative, quia ſcilicet liber eſt, ut maneat cœlebs, nec ſe ſubjiciat perpetuæ, quæ ex matrimonio inducitur, ſervituti. Itaque *in ſecunda 2. loc. cit.* ait: *Non tenentur filii parentibus obedire de Matrimonio contrahendo, vel de virginitate ſervanda.* Et in 4. (loco etiam citato) *Pater non poteſt cogere filium ad Matrimonium.* Numquam autem ſomniavit Angelicus Doctor aſſerere, quod ſi filius ſtatuat uxorem ducere, liceat ei eligere illam, quam Pater prohibet rationabili cauſſa ductus, ut optime animadvertit *Megal. in 1. 2. par. lib. 2. cap. 23. n. 61.* Quin & oppoſitum expreſſe docet *artic. 4. cit.* dum affirmat (16) etiam ad ſimpliciter contrahendum teneri aliquando filium ex neceſſitate conſurgente ab illa cauſſa, qua Pater moveatur ad nuptias imperandas. Ex quo neceſſario conſequitur, quod ſi per obligationem ſub gravi culpa etiam ad ſimpliciter contrahendum libertas requiſita ad Matrimonium non lædatur; multo minus eadem lædetur per obligationem ad non ineundas eas tantum nuptias, quas pater cum ratione vetat.

36. Minus urgent quæ ex *Sacris Canonibus* opponuntur; nunquam enim Eccleſia filiorum fovet impudentiam, dum ſartam tectam libertatem circa Matrimonia firmiter aſſe-

(16) Confer *cap. Tua, de deſponſ. impub.* de quo vide mox infra n. 36. & in *Annot. 17.* que ſequitur.

Digitized by Google

asseruit. At non minus reverentiam parentibus debitam satagit observari. Eximie de hoc puncto *Eminentissimus Card. Paleot. in tract. de Nothis cap. 8. circa med.* inquit: *Sed quis unquam contrarium statuit?* Et pergit singulos *Canones* expondendo, qui in contrarium allegantur. Nobis satis erit animadvertere, quod nunquam est legere neque in Conciliis, neque in Pontificum decretis, licere filiis, insciis vel invitis parentibus, Matrimonium inire: quæque ex his objiciuntur, nihil minus sonare, quam hujusmodi detestabilem licentiam. Immo & parentum voluntati nimis videntur Sacri Canones deferre, ut *in cap. Tua de desponsat. Impub.* dicitur de filio, pro quo nondum adulto, Pater contraxerat Sponsalia, *Postquam venerit ad perfectam ætatem omnino tenetur adimplere.* Atqui *ea verba omnimodam necessitatem inducunt*, ut ait *Gonzal. Tellez. in Comment. cit. cap. num. 6.* deducens tunc eam fuisse Ecclesiasticam Disciplinam, & convincit Textui contrariam esse quamlibet aliam interpretationem (17).

37. Ad

(17) *Cap.* tua nos, De desponſ. impub. *explicatur, & tum ex naturalibus rationibus, tum ex Christianis moribus defenditur.*

Quandoquidem speciosus ille libertatis prætextus cit. *cap. Tua nos* omnino amovetur, & profligatur: non gravabor verba Capitis, quæ hæc faciunt, adscribere: Quod caput in Gregoriana Decretalium collectione antiquæ editionis olim Honorio tribuebatur: at merito postea pro Honorio Hormisdæ nomen editores reposuerunt, quia (ut a Rom. Correctorib. ad *Paleam caus. 31. quæst. 2.* animadversum fuit) non tantum isto loco Palea, sed & prima Decretalium collectio Hormisdæ illum canonem tribuit: quia Hormisdas sæc. VI. vixit, quum Honorius VII. sæc. sederit. Ergo ibi Pontifex: *Potest autem filium nondum adultum, voluntas cujus discerni non potest, pater, cui vult, matrimonio tradere: & postquam filius pervenerit ad perfectam ætatem, OMNINO DEBET HOC ADIMPLERE.* Palea loc. cit. hoc amplius ex cad. epistola addit. *Hoc ab omnibus orthodoxæ fidei cultoribus, sancitum a nobis, tenendum mandamus.* Ubi nunc sunt illi libertatis matrimonii egregie religiosi assertores? Teneri filium non aliam quam illam unam omnino ducere, cui pater desponderat; nec tamen ea obligatione libertatis jura attentari Pontifex sancivit: idque secutus est S. Thomas ab Auctore sup. n. 35. laudatus, & alii. Nunc eo formidinis præposteræ ventum est, ut actum de matrimonii libertate clament, si vetet pater cum hac tantum aut illa contrahere nuptias. Quasi vero non præsto sint infinitæ aliæ numero nuptiæ, quas patre annuente filius amplecti possit. Stipes sit oportet, qui hujus argumenti vim non sentit. Cæterum in quonam matrimonii libertas sit, jam supra (*not.* 15.) innuimus. Nimirum satis est, si nemo ad hanc aut illam ducendam compellatur: a qua coactione longissime abest; tum illud *Omnino debet hoc adimplere*, quod modo ex Decretali adscripsimus (nam Pontifex non cogit, nec coercitione utitur, sed tantum monet officii) tum multo logius abest species illa, quum ex infinitis numero personis hæc tantum aut illa excipitur, cum qua pater vetet contrahi nuptias. Quid enim? habet sexcentas alias, e quarum numero optet sibi conjugem. Fateor quidem, Decretalem, quam modo adscripsimus, hodie non rigide observari (quamvis nec temere ab ea obligatione resiliri posse censeam) semper tamen verissimum est, ea obligatione non credidisse pontificem violari libertatem connubialem. Et hactenus de sensu Cap. *Tua nos.*

Nunc (nequis pontifici obganniat) in id danda est opera, ut pro æquitate dicti cap. *Tua nos* contra præposteros libertatis nuptialis defensores decertemus, nixi iis potissimum notionibus, quas natura gentes omnes docuit. Ergo nihil magis naturali æquitati consonat, quam eam habere uxorem, aut maritum, quos pater destinaverit. In primis humani generis nuptiis jam tum ostensum fuit, quid posteri sequerentur: nam Deus ipse, (qui Patris loco illis fuit ex Lucæ III. 28.) Evam primo homini conjugem adjunxit. Scimus deinde nonnisi arbitratu Abrahæ Isaacum, hujus Jacobum, suas uxores duxisse. Idem omnino jus, & apud ethnicos obtinebat. Sic Cyrus junior officii sui duxit eam sibi uxorem adiscisci, quam ei parentes proposuerunt. Xenophon in *Cyri expedit.* lib. VIII. pag. 129. *Quumq. in Mediam* (Cyrus) *pervenisset* (συνδόξαν τῷ πατρὶ καὶ τῇ μητρὶ) *de patris matrisq. sententia Cyaxaris filiam uxorem duxit.* Ac sexcentæ prorsus sunt historiæ, ex quibus intelligas, non licuisse filio eam conditionem respuere, quam quæsivisset pater. Vel una Terentii Andria, quam ex Menandro transtulit, id satis docere possit. Ibi Simo, pater in omnibus Pamphilo filio indulgentissimus, eam solam irascendi filio occasionem fore sibi prædicat, si modo pactis a se cum Chremetis filia nuptiis filius obluctetur. Deinde Pamphilus filius, ubi primum inaudivit de nuptiis non id irascitur, quod pater se inscio eam sponsionem fecerit, sed id unum, quod non antea factus sit certior, quam tum demum, quum uxor domum ducenda erat. *Pro deum*) inquit Act. II. sc. 3.) *atque hominum fidem! quid est,*

Digitized by Google

est, si non hæc contumelia est? Uxorem decrevi dare sese mihi hodie: nonne oportuit Præscisse me ante? nonne prius communicatum oportuit? Certe hoc vetus Romanorum jurisprudentia ferebat, ut uxorem, quamcumque patri collibitum fuisset, filii caperent de manu patris: qua in parte posteriora deinde jura aliquid in filiorum gratiam remiserunt, ut etiam horum consensus (qui tamen vix erat, ut aliquando obsisterent) expeteretur. Hanc summam potestatem vetus omnis ac nova Comœdia suadet. Itaque quod alicubi Donatus adnotavit: *Summa potestas nuptiarum in patre puella est*: id etiam de filio verissimum est, nec aliud ævo heroico juris erat. Apud Homerum II. A. sic loquitur Achilles.

Πηλεύς τήν μοι ἔπεσπε γυναῖκα γαμέσσεσθαι ἄνακτος.

Quam pater ipse mihi sociaverit, hanc ego ducam.

Et Od. B. monetur ab Antinoo Telemachus, ut matrem suam nubere sinat, Τῷ ὅτῳ τε πατὴρ κέλεται, *Cui jubeat fors cumque pater.* Tale & illud Naumachii apud Stobæum sermone 72. Ἐγὼ σοι πόσις οὗτος, ὃν ἂν κρίνωσι τοκῆες. * Κἂν μὲν ἐν τινυτῆς, σὺ μαναρτάτη, εἰ δέ κεν ἄλλως. * Ἀνέρα μοιρήσαιο, φέρειν καὶ τοῦτον ἀνάγκη. *Ille vir esto tuus, jubeant quemcumque parentes.* * *Si fuerit prudens, cedet feliciter: at si* * *Sis sortita malum, tamen hunc quoque ferre necesse est.* Legem Atticam recitat Demosthenes in hæc verba: ἢν ἄν ἐπιδικαίοις δάμαρτα εἶναι, ἢ ἀδελφὸς ὁμοπάτωρ, ἢ πάππος ὁ πρὸς πατρὸς, ἐκ ταύτης εἶναι παῖδας γνησίους, hoc est. *Ex eâ, quam in justam uxorem desponsavit pater aut germanus frater aut avus paternus, legitimos liberos tollunto.* Deinde sequitur: *Si nullus horum superstit, & virgo* (ἐπίκληρος) *orba sit, nubito ei, qui judicio obtinuerit, si orba non sit, tutor eam desponsato.*

Hermione apud Euripidem in Andromacha.

Νυμφευμάτων δὲ τῶν ἐμῶν πατὴρ ἐμὸς
Μέριμναν ἕξει, κοὐκ ἐμοῦ κρινεῖ πόσι.

De nuptiis namque meis mihi pater meus
Videbit: haud est illud arbitrii mei.

Quæ sententia tanti visa est antiquis Ecclesiæ patribus, ut eam suis scriptis inseruerit Ambrosius relatus in can. 13. 32. qu. 2. ubi de Rebeccæ desponsatione. *Consulitur*, ait, *puella, non despansalibus* (*illa enim judicium exspectat parentum: non est enim virginalis pudoris eligere maritum*) *sed jam desponsata viro, de profectionis consulitur die . . . . . Unde illud Euripideum*) illud inquam ipsum, quod modo produximus, Νυμφευμάτων &c.) Mox & illud addit: *Mulier etiam . . . . amisso cito marito . . si vult, nubat: tantum in Domino* (hoc est) *ut electionem mariti parentibus deferat.* Est & ille Plauti locus Euripideo similis, apud quem in Sticho Panaegyris cum sorore sic agit: *Nec est, car studeam nunc has nuptias mutarier.* * *Verum postremo hoc in patris potestate est situm.* * *Faciendum id nobis, quod parentes imperant.*

Jam vero si debetur parentibus obsequium jure naturali, ac Divino nulla res majoris momenti est in qua parentum judicio stare magis congruum, imo necessarium videatur: ut sane mirer fuisse apud A. Gellium philosophos, qui nuptiarum conditionem, rem talem ac tantam, inter ἀδιάφορα seu *media* ponerent. Sed vel sic tamen patri parendum edixerunt. Atque omnino celebris ille est Gellii locus in II. 7. ubi quæsitum de eo fuit, utrum patri per omnia parendum esset. Ibi confutatis duabus extremis sententiis (tum ea quæ in omnibus pareri jubet; tum quæ in nullo) mediam amplectitur, quæ vult, vim patriæ potestatis in ἀδιαφόροις hoc est *mediis*, quæque natura sua nec bona nec mala sunt; potissimum cerni: nam quæ sua vi recta sunt, ut etiam vetante patre facienda: ut contra quæ turpia; eo vel jubente, aversanda. At in ἀδιαφόροις, seu mediis patri omnino obsequendum putat: *Veluti*, inquit, *si uxorem ducere imperet . . . . obsequendum est.* Nec vero hoc universe tantum uxorem ducere necesse habet filius, itaut ei tamen optio relinquatur: sed illam quam pater jubet: nisi forte *infamem, propudiosam, criminosam* ei destinaverit: nam in ea specie nuptiæ definent esse inter ἀδιάφορα sed continuo turpes evadent, in quibus minime parendum.

Postremo nemo melius Apostolo jura naturalia patris in filiorum nuptias scire poterat. Atqui is 1. Cor. VII. 38. ita de ea re loquitur, tamquam si totum id negotium patris arbitrio stet: *Qui matrimonio jungit virginem suam bene facit, & qui non jungit melius facit.* Itaque & utrum omnino nubendum sit, & cui, totum id naturalis æquitas ex Apostolo parentis judicio permittit. Ac notanda est illa Pauli locutio. *Virginem suam* quasi filiorum virginitas in parentum peculio sit. Et hoc certe jampridem gentilium sapientia perviderat. Catullus: *At tu ne pugna tali cum conjuge virgo: Non æquum est pugnare, pater cui tradidit Ipse, Ipse pater cum matre, quibus PARERE NECESSE EST. Virginitas non tota tua est, ex parte parentum est. Tertia pars matri data, pars data tertia patri, Tertia sola tua est, noli pugnare duobus. Qui genero sua jura simul cum dote dederunt.*

Quod dixi Apostolum patribus detulisse totum nuptiarum arbitrium: id & honor patri debitus suadet: & quod infirmum sit filiorum consilium, infidiis multis & captionibus expositum; quod Sacræ Litteræ locis pluribus, nec non gentium omnium leges ac mores id inter præcipua

37. Ad Textum *in cap. Sufficiat*, facile respondent *Gonzal. Tellez. loc. cit. n. 4. & Paleot. de Noth. cap. 8. n. 10.* quibus præivit *Gloss. in eodem cap.* ibi: *Dictio SOLUS excludit consensum parentum*: quinimo (subdit *Gonzal.*) *verba illa SECUNDUM LEGEM Patris consensum includunt, quem Legislatores summopere desiderant* (18). Et plura ad hoc exempla congerit ex utroque *Jure Paleot. loc. cit.* Facilius tamen respondent *Theologi* dicentes tam *in cit. cap.* quam in aliis, si quæ sunt, ubi innuitur, quod solus sufficiat consensus contrahentium sermonem esse de requisitis ad hoc, ut nuptiæ valide, non vero ut licite contrahantur; quod manifeste eruitur, ex verbis subsequentibus ejusdem Text. ibi: *Qui consensus si in nuptiis solus defuerit, cætera omnia frustrantur*, & insinuat *Glossa* ubi dicitur: *Solus eorum consensus est Causa effectiva Matrimonii*.

38. Magis distat a dubio nostro casus de quo *cap. de Neptis 31. q. 2.* Rex enim Aragonum invitus, ac coactus filiam cuidam militi desponsaverat, deinde petiit a Sum-

cipua parentum officia posuerint, quærere conditionem filiis: quod parentes in ea re meliora, quam ipsi filii, consilia capiant. Postremo quia quod est indissolubile, majore cum consilio ligandum est, cautiusque agendum, ubi periculum majus imminet, uti dicitur C. *ubi periculum*, *De electione*.

Ex hactenus dictis facile intelligitur, haud temere statuisse S. Thomam (cujus locum vide sup. ad. fin. num. 35.) & S. Bonaventuram (cujus verba vide infra num. 47.) nec non Bellarminum (ex quo verbo producit Noster sup. num 33.) postremo, ut alios taceam, Petrum a S. Joseph (cujus locus affertur infra n. 48.) teneri haud raro filios, amplectentes nuptialem statum, cum ea omnino persona contrahere nuptias, quam illis pater destinaverit; nisi si vero filii justam resiliendi causam afferre possint: ac demum *capite Tua nos* summa cum ratione sancitum fuisse, obligari filios in foro interno, ut, statim ac pubertatem attigerint, eam conditionem sequantur, quam eis adhuc impuberibus pater quæsivisset.

Quandoquidem autem exstat in collectione Decretalium titulus bene longus *De Desponsatione impuberum* (qui quidem titulus argumento est, eam desponsationem olim passim usitatam fuisse: & quidem frustra usurpatam, si quidem filiis sine justa causa patris judicio obluctari postea licuisset) scire libet, qua de causa passim olim a parentibus impuberes desponderentur. Annon satius erat exspectare, dum maturesceret? Huic quæstioni (cujus solutio plurimam tum capiti *tua nos*, tum toti illi titulo lucem afferet) scio aliud alios responsuros. Sed meo Judicio nemo melius Chrysostomo facti hujus rationem afferet, qui Hom. V. ad. *Ep. 1. ad Thess.* cap. 4 quum auditores ad pudicitiam adhortaretur, hanc maxime virtutis ejus tenendæ rationem docet. τί οὖν παραινῶ, ὥστε πᾶς ῥᾴζας ἐκτέμνειν. Ὅσοι παῖδας ἔχετε νέους, καὶ πρὸς τὸν κοσμικὸν αὐτοὺς βίον ἄγετε, πολλῶ ὑπὲρ τοῦ γάμου ζυγὸν ἅλλητε. *Quid igitur suadeo? nimirum ut radices extindatis, & ut quicumque filios habetis juvenes, quos ad mundanam vitam educitis, cito eos sub jugum conjugale mittatis.* Optima tuendæ pudicitiæ ratio, quam & subjectis rationibus suadet: nam mox addit, adolescentem, de quo agimus, *si viderit* (ὅπου πολλὴν αὐτῷ τὴν νύμφην ἄγεις) *mature ad sponsam a patre adduci, & breve tempus intercurrere, fortiter flammam toleraturum*: contra, ubi pater præ avaritia aut socordia diu distulerit, fore ut animum desponsens, in incontinentiæ barathrum se præcipitem agat.

Et id quidem monitum passim in vetere Ecclesia observatum fuisse, pluribus ostenderem, si id agerem. Statim ut mares ex ephebis excesserant, maturabant nuptias: itemque puellæ vix dum viri potentes locabantur: utrumque optimo consilio, ne, quos mature admodum maritalis amor occupaverat, locum in iis ullum degeneres affectus reperirent. Quando autem nuptias festinari mox erat: illud quoque e re visum fuit, si adhuc impuberes a parentibus desponsarentur: neque scil. inter pubertatis confinia, dum sponsa aut sponsus eligitur, per longiores deliberandi moras, rimula illecebris & corruptelæ pateret. Atque ob eam causam olim desponsatio impuberum passim in usu fuit: sane laudabilis, modo id detur opera, ut post maturata sponsalia maturentur etiam in tempore nuptiæ, nec interim sit ulla inter sponsos consuetudo periculosior. Mitto quod qui sero admodum, quod hodie fit, dant liberis operam, si plerumque contingat haud dubiis tutorum insidiis parvulos post se relictos exponere: mitto legis Juliæ Papiæ laudes, nuptias differri vetantis: & quæ plura huc afferri possent.

(18) Optima est illa interpretatio; nim. ut SOLUS CONSENSUS opponatur copulæ carnali: nam (ut dicitur l. *Nuptias* D. *de rit. Nupt.* & alibi.) Nuptias solus consensus facit, nec necessarius est concubitus. Cæterum idem Pontifex C. *Nostrates*, 30. q. 1. consensum patrium diserte requirit.

Digitized by Google

Summo Pontifice (19) an posset, & deberet servare promissum; qui respondit; *Si illa virum illum omnino renuit, & in eadem voluntatis auctoritate persistit, ut viro illi prorsus se deneget nupturam; nequaquam eam invitam & renitentem ejusdem viri cogas conjugio sociari.* Jam ex his quomodo deducatur licere filiæ nubere, Patre inscio, vel invito, percipere non valemus. Matrimonium fuisset certe irritum, quia unius consensus omnino prorsus deficiebat. Nequibat igitur Pater filiam tradere fornicatori, non marito; nequibat urgere, ut cohabitaret viro, in quem non consentiebat; nequibat metu cogere, ut consentiret. Quis unquam in dubium revocavit? Poterat ergo Viro licite, spretis parentibus, nubere alteri? Vim hujus consequentiæ non videmus.

39. Postremo non obstat dispositio *cap. Gemma de Sponsal.* Rejiciuntur enim ex illo pœnæ in Sponsalibus appositæ, ut contrariæ libertati ad Matrimonium requisitæ, Ideo tamen, ut adnotavit *Gonzal. Tellez. super eod. cap. num.* 4. quia a sponsalibus plures justæ causæ discedere permittunt; proinde si apponatur pœna, is, cui aliqua ex præfatis causis jus tribuit resiliendi, injuste metu pœnæ discedere prohiberetur. Utrum vero pœna licite statuatur saltem contra injuste resilientem, non levis est inter Doctores controversia. Adhuc tamen inhærendo sententiæ negativæ; subsistit ratio adducta; quia non semel qui justam causam habet recedendi, ob difficultatem probandi illam, metu pœnæ injuste compelleretur, ut contraheret. Cæterum in eo *cap.* non rejicitur omnis pœna, sed tantum conventionalis, in suo robore permanentibus pœnis, & remediis in Jure statutis contra eos, qui nulla urgente justa causa, fidem in Sponsalibus datam prodere non verentur. Quare frustra arguitur ex hoc *tex.* ad excludendam omnem obligationem contrahendi Matrimonium, ceu adversantem libertati. Nam ratio excludendi pœnas conventionales optime assignatur *a Barbos. in Collect. ad eumdem Text. num.* 9. & attingitur a *Gonzal.* ibidem n. 5. circa fin. *quia pœnis, & remediis a Jure statutis contenti esse debemus.*

40. Nullum itaque ex præfato Textu contra positam resolutionem suppetit argumentum. Imo potius vel eo valide confirmatur. Casus enim erat; quod promissa fuerat pœna, si Matrimonium ex culpa alicujus ex parentibus secutum non esset. Et Pontifex respondit, pœnam peti non posse, ut egregie adnotavit *Gonzal.* hic num 4. circa med. Itaque maxime parentum auctoritati favet hoc decretum, dum a statuta pœna eos liberat, quamvis eorum culpa Matrimonium jam promissum non sequatur.

41. Usque modo dicta pro asserenda veritate tot tantorumque Theologorum, & Canonici Juris Interpretum calculo confirmata, quod scilicet filiifamilias filiæque, insciis vel invitis parentibus, Matrimonium ineuntes lethaliter peccent, satis abunde sufficere videntur. Verum enim vero non dissitemur justas aliquando subesse causas, quibus se valeant excusare filii, si parentum voluntati, qua fas est modestia, refragentur. Utinam parentes ipsi multoties clam ducendi uxorem, vel iis omnino invisam, sua avaritia, ac asperitate, occasionem filiis non præberent. Utique non est hic locus singulas enumerandi. Præcipuas tamen (20), quas Doctores proferunt, attingere non abs re erit. Duas innuit *Eminentissimus Bellarm. to. 2. controv. lib. 1. de Matrim. cap.* 19. Primo scilicet si Pater injuste prohibeat filium a Conjugio. Secundo, si causa majoris dotis nonnisi indignam mulierem, vel hæreticam ei dare velit. Alias addit *Gutierez. de Matrim. cap. 79. num.* 19. Tertio, si Pater, velit, filium ducere uxorem ægram, imprudentem, aut

(19) Is fuit Urbanus II. qui Sanctio Aragonum regi an. 1090. in eum modum rescripsit.

(20) Quæ ab Auctore heic causæ proferuntur, ea sunt ex Theologiæ penu depromptæ. Cæterum longe alias causas jus Cæsareum affert; veluti si filius sit emancipatus: si pater amens, aut furiosus fuerit: si absuerit: aut si captivus fuerit per triennium: si cognitis filii nuptiis, non contradixerit: si filiam majorem 25. annis pater elocare neglexerit, aut *si liberos injuria prohibuerit ducere uxores, vel nubere, l. 19. de r. nu.* &c. & quibus casibus aliis judex interpellatur, nubendi, aut uxorem ducendi dat veniam.

Digitized by Google

aut durioris conditionis, cum qua probabiliter credat filius fore, ut pacem non habeat. Quarto, quando filius a parentibus plus justo opprimeretur. Quinto, *Ex Genett. to. 5. Theol. mor. tract. 9. cap. 8. quæst. 1.* Si Pater procul distet, nec filius absque gravi incommodo illum valeat admonere, & aliunde locum habeat credendi, Patrem libenter consensurum, si sciret. Sexto si Pater ideo prohibeat, quia vult, filium, hanc vel illam ducere contra ejus inclinationem, & non obstantibus gravibus cautis, quibus movetur filius ad hujusmodi Matrimonium minime ineundum.

42. Hisce sane Cautis, ac aliis æqualis ponderis, aliquando filios evadere lethalem culpam non abnuimus; dummodo tamen indignas nuptias cum familiæ dedecore, ac Parentum injuria contrahere non præsumant. Quod in responsione ad alterum dubium pergimus explicare.

DUBIUM II.

Quid præcipue sentiendum sit, si Filii contrahant invitis (21) parentibus cum persona indigna?

Filii indigne contrahentes multifariam, gravissimeque peccant, videlicet.
Ex communi sententia Theologorum, & Canonistarum, quorum Catalogus texitur, a n. 43. usque ad 52.
Ex sensu Sacræ Rotæ Romanæ, *num. 53.*
Ex naturali, ac Divino Præcepto honorandi Parentes, a n. 54. ad n. 57.
Ex fundamentalibus rationibus pietatis, a num. 54. seqq. Justitiæ, a n. 58. ad 60. Caritatis, a n. 61. ad seqq., & Religionis, a n. 69. usque ad n. 71.
Multimode ostenditur gravissimum scandali crimen, quod ex indignis filiorum nuptiis oritur,

(21) Superiore, quidem Dubio *parentum* nomine stricte genitores intelligi volo. Nam ubi de honestis conjugiis agitur: satis est si genitoribus debitus honor habeatur, nec iis invitis tantam rem aggrediare. At in hoc dubio, ubi de indignis nuptiis loquimur: sane velim *Parentum* vocabulum latius accipi: quo modo ævo sequiore pro quibuslibet propinquis ea vox usurpata fuit a Tertulliano, Lampridio, Capitolino (apud quem etiam *parentela* nomen reperias in Gordiano III.) in utroque Codice, & posterioribus Scriptoribus. Volunt sane etiam Curtium X. 6. *parentes* pro propinquis usurpasse: at certe Hieronymus II. con. Rufin. *PARENTES militari vulgarique sermone cognatos, & affines* nominari ait.

Omnino, inquam, ubi de indignis Matrimoniis agitur, Patris unius consensus non sufficit. Nam etiamsi pater det manus; ne sic quidem licita erunt connubia, quibus tota propinquitas afficitur gravi injuria, ex qua sequuntur odia, jurgia, simultates, & interminabiles dissensiones, ut infra num 58. & sequ. ostenditur. Imo num. 50. ipsum patrem in istiusmodi nuptias consentientem graviter peccare demonstratur.

Age vero fac totam propinquitatem in indignum conjugium consentire, aut vere hunc, qui sic contrahit, propinquitate carere: immunis ne a quovis peccato erit? Ne sic quidem auctor sim talium conjugiorum, quæ per se inhonesta esse, alicubi Auctor dicit, & mox in Adnot. 22. & 23. ostendetur. Tametsi nolo usque eo contendere: nam ceteroqui opponi posset dispositio capitis *Inter opera, de spons.* cujus capitis finem (non autem cæcam libidinem) si quis propositum sibi habeat, nec alioquin inferat propinquis injuriam: recte aget. Verum his omissis: datis in præsentia sit ad peccatum constituendum, si cognatione dissentiente, propterea quod ejus commoda per istiusmodi nuptias deteriora fiant, tamen non absterreatur quis ab indigno connubio. Cæterum quid nomine *Indigni* Matrimonii veniat, infra num. 68. Noster edisserit. Sane apud Harprechtum (in comm. ad Instit. ad principum tit. de Nuptiis, num. 157.) pleraque locorum statuta, quæ patrium consensum requirunt, eadem, defuncto patre etiam propinquorum & curatorum consensum omnino requirunt. Qui si absit, in pœnas per statuta irrogatas incurritur. Confer Henn. Arnisæum in de jur connubior. cap. 3. sect. 11. qui eod. cap. sect. 10. n. 27. matri secundum patrem peculiare jus tribuit, & exemplis firmat.

Digitized by Google

oritur, a n. 61. ad seqq. necnon sacrilegium, quod tripliciter ab iisdem committitur, a n. 69. ad n. 71.

Libertatis prætextus denuo in hac specie matrimonii dispungitur, a n. 63. ad seqq.

Declaratur in proposito regula, quod unicuique liceat uti jure suo dicto n. 63., & a n. 65. usque ad 67.

Indigna Matrimonia, quænam censeantur, n. 68.

43. JAM ad faciliora descendimus. Cessat enim in hoc puncto, si qua in præcedenti occurrebat difficultas, & deficit adversarius, quippe cum tam manifesta in hujusmodi Matrimoniis appareat turpitudo, ut de hac una falsum agnoscatur effatum illud: *Non deformitas sine amatore*; nec supervacanea censeri debet hujus dubii peculiaris discussio, utpote cujus resolutio ex cumulatis pro resolutione præcedentis dubii manifestissime consequatur. Cæterum hæc sunt præcipue connubia, quæ negotium facessunt, quæque evitare, vel maxime Parentum, Reipublicæ, nec non Ecclesiasticæ interest Disciplinæ. Itaque.

44. Respondendum, ut omnino certum, *Filios qui contrahunt cum persona indignæ multifariam gravissime peccare.*

45. Sic respondent Theologi omnes, etiam illi qui in opinando, vel mitissimam viam affectare consueverunt. Item & ii pauci, qui videntur nimium favere filiorum circa Matrimonia libertati: unanimes enim hanc subdunt limitationem: *dummodo non indigne contrahant: si tamen nuptiæ non sunt indignæ*; scilicet quia ad has nullimode pertingit assertæ libertatis arbitrium. Porro operæ pretium existimamus ipsorum testimonia proferre, ut sit omnibus persuasum, quatenus non proprio sensu ducti, sed summa auctoritate compulsi ad propositam resolutionem statuendam descendimus.

46. Sufficeret quidem nobis, vel unicum testimonium *Theologorum Collegii Salmaticensis*, qui præ aliis conantur filiorum extollere libertatem, adhuc tamen sincere testantur *tom. 2. Theol. mor. tract. 9. cap. 6. punct. 2. num. 19.* his verbis: *Similiter certum est apud omnes, peccare mortaliter filios, qui cum indigna nuberent cum dedecore familiæ.* Sed ne liberum cuiquam sit tergiversari, subdimus nonnullas, & eas præcipuas auctoritates.

47. S. Bonaventura Ecclesiæ Cardinalis, & Doctor *in 4. Sententiarum tom. 5. distinct. 19. quæst. 3. art. 1. in concluf. vers. resp. ad arg.* ubi videtur filiis favere, dum asserit non posse Patrem cogere filium, ut contrahat cum hac, vel illa: sed addit duas limitationes, quæ firmant evidenter nostram responsionem, ait enim: *Non potest Pater ad contrahendum cum hac obligare, nisi Caritas, aut rationabilis Caussa eum liget.* Et subdit: *Ut Caritas vero ligat, quando Pater prohibet filio ne contrahat cum muliere mala*: ita ex altero capite assignato a S. Doctore, idest *Caussa rationabili*, idem aperte concluditur de nuptiis, quæ alio quovis titulo judicantur indignæ.

48. *Franciscus Toletus etiam Sacræ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis lib. 5. Instruct. Sacerd. cap. 1. num. 6. Rursus ducere uxorem indignam contra voluntatem Patris peccatum mortale est.*

Cardinal. Lauræa in 4. Sententiarum tom. 3. disp. 17. artic. 6. num. 89. asserit filium teneri sub mortali ad standum consilio, & consensui *Patris cum initurus est Matrimonium, ex quo dedecus familiæ Patris exoriri posset.*

Dicastillo de Matrim. tom. 3. disput. 4. Dub. 17. n. 176. Si sit periculum ineundi Matrimonium indignum genere, & familia, & sanguine contrahentis; poterit id aliquando censeri grave peccatum, sicuti, & quando inirent Matrimonium, cujus onera præ nimia egestate sustinere non possunt.

Marcus Scrius de 4. Decalogi præcept. disp. 4. difficultat. 1., quæst. 3. num. 6. Peccatum

catum mortale erit contrahere Matrimonium absque Patris consensu, si contra Patris voluntatem contrahat cum aliqua indigna, scilicet cum aliqua infra statum suum notabiliter, quia fit parentibus injuria, & dehonoratur familia.

Bassæus in Flor. Theol. verb. Filius num. 5. Filius peccat mortaliter, si contra voluntatem Patris contrahat cum aliqua indigna, ideſt cum aliqua infra statum suum notabiliter.

Duardus super Cap. Omnis utriusque sexus tom. 2. disput. 21. sect. 1. num. 46. Peccant liberi citra consensum parentum ducentes Uxorem notabiliter disparem respectu eorum conditionis, & status, quia citra familiæ obnubilationem ejusmodi Matrimonia contrahere non possunt.

Reginaldus in Prax. for. pœnit. tom. 2. lib. 20. cap. 2. sect. 3. num. 18. Sufficit notasse tres casus, in quibus notabiliter peccat filius uxorem ducens invito Patre. Primus est, quando contra Patris præceptum accipit uxorem se minime dignam in notabilem ignominiam suæ familiæ.

Sayrus in clav. Reg. lib. 7. cap. 5. num. 12. in duabus casibus mortale peccatum erit, si filius voluntatem Patris non sequatur. Primus est si contra voluntatem Patris contrahat cum indigna, ideſt cum aliqua infra statum suum notabiliter, sic enim dehonoratur familia Patris.

Gesualdus de Bon. tom. 3. tract. 10. cap. 1. num. 18. Verum tamen est, quod non debet filius contra voluntatem Parentum ducere uxorem indignam talis Conjugii.

Bossius de contract. Matrim. cap. 11. §. 8. num. 87. Limitandum autem, si filius, vel filia contrahat cum persona turpi, vel notabiliter indigna, scilicet notabiliter infra statum suum, quia Parentibus affertur dedecus, & tota familia dehonoratur &c. ac proinde talia Matrimonia indigna contrahentes peccant mortaliter.

Mezger. tom. 4. Theol. Tract. 19. disput. 54. artic. 2 §. 2. n. 12. Filiifamilias possunt graviter peccare, si contra voluntatem Parentum contrahant, præsertim cum personis sua conditione indignis cum generis, & sanguinis contumelia.

Azorius part. 2. lib. 2. cap. 2. quæst. 6. Convenit inter Doctores, filios facultatem liberam habere nuptias contrahendi; quod tunc locum habet, cum filius non ducit in uxorem fœminam vilem, & abjectam.

Petrus a S. Joseph in Summar. de 4. Decal. præcept. artic. 2. Certe si filius vult nubere; debet ducere dignam, quam Parentes illi proponunt; nec dubitandum est, quin notabiliter peccet, si eam respuat, ut nubat indignæ; cum tunc duplicem injuriam gravem Parentibus irroget.

Adam Opatovius de Sacram. tract. de Matrim. disp. 2. quæst. 18. n. 159. ibi firmat non licere filiis Parentibus invitis Matrimonio se jungere, & subdit. *Dices quod filius, & filia habent Jus ad contrahendum. Respondeo illos habere, sed non ad contrahendum indigne, & cum peccato &c. E contra Pater habet Jus Divinum ex quarto Decalogi præcepto, ne ignominia a filiis afficiatur, quod accidit in Matrimonio indigne contrahendo.*

P. Bruno Neussen Ordin. Minor. in absolutissima Polianthea Theologo Morali Canonica disput. de Matrim. quæst. 1. resolut. 3. ait: *Veluti certum est Prolem non posse absque peccato mortali inconsultis, & invitis Parentibus inire Matrimonium cum dedecore familiæ cum verosimili prævisione scandalorum, periculorum, inimicitiarum, perniciosarum rixarum, discordiarum inter familias consanguineas &c. Ita communissime Doctores. Ratio est quia ex caritate illa mala evitare tenetur.*

Guribaldus de Sacram. tom. 1. par. 2. tract. 10. cap. 5. dub. 6. num. 35. ibi: *Conveniunt tertio, peccare mortaliter filios nubentes insciis, & invitis parentibus si ducant indignam cum magno dedecore, & ignominia familiæ, si ex tali Matrimonio grandia mala sequi posse timeatur, si imminent scandala, pericula, inimicitiæ, amissio bonorum, perniciosæ discordiæ; prout notant Aversa, Sanchez, Gutier., Bossius, Palaus, aliique communiter.*

49. Idem

49. Idem denique ſentiunt & illi omnes, qui libertati filiorum ultra jus tribuentes, agnoſcunt tamen illorum obligationem ſub mortali ſaltem ad conſilium parentum exquirendum, quos in præcedenti reſolutione cumulavimus. Qui quidem unanimi conſenſu affirmant, quod dum agitur de non contrahendo cum indigna, non ſatis ſit conſilium audire, ſed parentum voluntati ſit prorſus obtemperandum.

50. Imo ſubtiliter, & omnino veritatem aſſequens animadvertit *Raphael Averſa* (*de Sacram. Matrim. quæſt. 3. ſect. 7. verſ. Bene tamen*) in præfatis Matrimoniis neque conſenſum parentum ſufficere, quin & ipſos parentes peccare ſi conſentiant, quia nimirum per indignas nuptias alii conſanguinei, & de familia afficiuntur ignominia, ibi: *Si inirent indignum aliquod Matrimonium cum notabili dedecore, & ignominia familiæ, quamvis cum conſenſu parentum, peccarent adhuc filii contrahendo, & parentes conſentiendo, quando Matrimonium eſſet cum dedecore aliorum de familia.*

51. Neque a ſententia communiſſima *Theologorum* conſenſu approbata diſſident *Canoniſtæ*, Teſte *Fagnano ſuper Cap. Tua de ſponſat. Impub. n.* 15. ubi affirmat dubium non admittere, quod filii peccent mortaliter, ſi parentibus non obediant contrahendo minus digne, ibi: *Quod abſque dubio procedit, ſaltem, cum Pater movetur familiæ inæqualitate, vel alia juſta de cauſſa.* Pro quo poſt *Gaſpar. de Calder.; & Card. citat. Prepoſ. ſuper eod. cap. Tua num.* 5., *& Alex. de Nevo num.* 6. *optime Navarrus in Summ. cap.* 14. *num.* 15. *Peccat filius, qui &c. vel contra præceptum paternum ſe minime dignam uxorem ducit.*

Pirhingus in Jus Canon. tom. 4. *tit.* 1. *de Sponſal. ſect.* 3. §. 4. *num.* 92. *Verumtamen negari non poteſt, quin peccent liberi, ſi abſque juſta cauſſa ſine conſenſu parentum Matrimonium contrahant. Imo propter extrinſecas cauſſas, ſeu circumſtantias occurrentes regulariter non poſſunt liberi licite Matrimonium inire ſine conſenſu parentum, ut quia parentes gravem cauſſam habent impediendi Matrimonium liberorum, quia v. g. volunt Matrimonium inire cum perſona inæquali, vel infami non ſine de decore familiæ.*

52. His addendi merito veniunt alii *Canoniſtæ*, qui agnoſcentes gravem injuriam per indignas nuptias parentibus illatam, eos abſolvunt ab obligatione dotandi filiam indigne nuptam, nempe *Petrus Ancaranus in cap. Tua citat. num.* 6., *& alii collecti per Fagnan. loc. citat. num.* 19.

Quod tandem fateri compellitur *Covar. part.* 2. *de Matrim. cap.* 3. §. 8. *num.* 7. *verſ. Hæc omnia.* Hic, inquam, acerrimus aſſertor libertatis filiorum in Matrimoniis contrahendis; ſic tandem concludit; *Hæc omnia ceſſant quando filia nupſit indigno ac ignominioſo viro. Non enim compellendus eſt Pater affectus injuria, & ignominia ei dotem dare, quod receptum eſt communiter;* & congerit concordantes.

53. Et fuit ſententia *Rot. coram Burat. tom.* 1. *deciſ.* 489. quæ eſt magiſtralis, & ſæpius ſequuta eſt, ut diſerte demonſtrat *Card. de Luc. diſc.* 1. *de dot. per tot., & diſc.* 142. *num.* 16. *& ſeqq.* Utique ab iſtis non diſputatur, an, & quale peccatum committant filii in foro conſcientiæ, verum ſatis aperiunt proprium ſenſum, dum affirmant, eos gravi injuria parentes afficere, ideoque puniendos, quodque eorum Matrimonium ſit *actus culpoſus, parum honeſtus, mali exempli, ac Reipublicæ prejudicialis*, prout ex aliorum etiam ſententia *Card. de Luc. cit. diſc.* 1. *num.* 19. aperte inſinuans ſic contrahentes lethalis culpæ, ſecundum pleroſque, reos exiſtimari; quemadmodum, & hunc ſenſum expreſſe, & noviſſime patefecit eadem *Rota in Viennen. preteuſorum Sponſalium* 12. *Januarii* 1705. §. *Nec præmiſſa coram R. P. D. Kzunitz* ibi: *Licet conſenſus parentum non ſit neceſſarius ad validitatem, ſed ſolum requiratur de honeſtate, cum tamen filius, vel filia contrahentes Matrimonium contra placitum parentum peccent mortaliter, gravique injuria patrem afficiant &c. non poteſt quis cogi ad nubendum contra reverentiam debitam patri, & induci ad peccatum lethale inobedientiæ.*

54. Neque

54. Neque cæco ductu in hanc descendit sententiam tam ingens utriusque Fori Doctorum caterva, sed urget ipsos ratio pietatis, justitiæ, & caritatis, qua nemini licet dehonorare parentes, proximo ignominiam afferre, atque suo scandalo odiis, inimicitiis, maxime inter domesticos viam aperire (22).

56. Et primo quidem præceptum æque naturale ac Divinum de cultu exhibendo iis, qui nos genuerunt, etsi videatur affirmativum, quatenus dicit, *honora patrem*, continet nihilominus præceptum negativum de illis nunquam dehonorandis, cujus transgressio inter gravissima crimina annumeranda venit; ut post antiquiores firmant *Duard. super cap. Omnis utriusque sexus disput. 21. citat. sect. 1. num. 31. Marchan. in Tribun. Sacram. tom. 2. tract. 5. tit. 1. quæst. 1. in princ.* Et alii passim; eo nimirum prohibetur quælibet injuria, irrisio, contristatio, odium, &c. similia, itaut quæ levis adversus alios offensio censeretur, gravissimum crimen impietatis evadat, ut unanimi Theologorum, ac Casuistarum sententia fertur graviter contra hoc præceptum peccare filium, qui vel leviter Parentem percutit, imo si vix manum elevet in signum percutiendi; qui illi detrahit etiam in absentia; item qui parentes torvo intuetur oculo, aut aspere alloquitur; si eos afficiat tristitia, quantumvis opus, ex quo contristantur, alias malum non sit, dummodo eorum tristitia prævisa fuerit. In his cæterisque casibus, quod filii mortaliter peccent, nemo inficiatur, ut tradunt *Bonac. to. 2. in 4. Decal. præcept. disput. 6. quæst. unic. punct. 2. num. 3. Navar. Manual. Confessar. cap. 14. a num. 11. Sayr. in Clav. Reg. lib. 7. cap. 5. num. 8. Cajetan. in sum. tit. filius. potest. verb. filii peccata* Optime *Marchan. loc. cit.* ubi singula perspicuis *Sacr. Scripturæ* verbis confirmat. Vix enim erit invenire præceptum aliud tam frequenter, ac istud in sacris Literis inculcatum, totque variis modis significatum *Eccles. 3. In opere, & sermone, & omni patientia honora Patrem tuum: Non contristes eum in vita illius. Deuter. 27. Maledictus qui non honorat Patrem. Proverb. 19. Qui affligit Patrem ignominiosus est; & cap. 30. Oculum, qui subsannat Patrem, effodiant eum corvi.*

56. Hæc nempe rationi consona, ac naturæ debita, maxime suadent summum, quod a parentibus post Deum, beneficium accepimus; ac illorum dignitas, qua tanquam Dei simulacra a filiis respicienda, suo modo veniunt, & colenda. Sic *Ecclesiastic. 7. v. 29. & 30. Honora Patrem, & gemitus Matris; ne obliviscaris: Memento, quoniam nisi per illos natus, non fuisses, & retribue illis, quomodo, & illi tibi.* Ad quæ respiciens *Catheshis. Conc. Trid.* sic nos admonet: *Sunt immortalis Dei quasi quædam simulacra, in iisque ortus nostri imaginem intuemur, ab iis vita nobis data est: iis Deus usus est, ut nobis animam, mentemque impertiret.*

57. Ideo prorsus, & a fortiori, quam grave sit periculum filiorum, qui tristitiam maximam, gravissimamque injuriam parentibus irrogare non timent; dum feminam vilem, vel improbam ducentes in uxorem, parentum famæ, honori, ac rei familiari non contemnendum afferunt præjudicium, ac sæpe in eorum domum indignam mulierculam (utinam, & non infame scortum) intrudere non valentes, ipsos violenter adigunt, ut in nurum, filiamque sibi patiantur adsciscí, cujus vel famulatum admittere sine dedecoris jactura non contingeret. Quisnam Theologus, quis Juris Interpres tanti criminis reatum minuat, vel excuset? Utique si hæc levia censenda sunt, quid nisi saevissimum erit parentibus irridere? Quo jure grave censebitur parentes aspero tractare vultu, vel torvo oculo aspicere? *Ne vultu quidem lædenda pietas est parentum* (inquit S. Ambros. lib. 8. in Evang. S. Lucæ n. 74.) *maledictus a Deo qui exasperat Matrem. Eccles. 3. In opere, & sermone, & omni patientia honora Patrem.* Hæc & similia mandata centies in Sacris Literis repetita, quis autumet adimplere filium, qui indignis nuptiis parentum venatur ignominiam, ac eos sua decidere conditione; inter

(22.) Prætet hæc tria turpitudinis capita ad le. & hoc, quod indignæ nuptiæ ipse per se inhonestæ etiam in foro interno videntur: uti mox *Adnot. 23.* exemplo nuptiarum *filiorum Dei cum filiabus hominum* Gen. vi. nec non Israelitarum cum Chinæis, comprobabimus: & quæ plura in eamdem rem etiam ex profana gentium sapientia afferri possunt.

Digitized by Google

inter nobilitate pares; vel cum maximo rubore progredi, vel illorum vitare conspectum cogit? Quos proinde justissimo mœrore confici, cordatus quispiam non diffitebitur.

58. Neque pietate minus læditur justitia per conjugia de quibus agimus. Iis namque totius familiæ honor, fama, ac decus deprimitur; ad quæ conservanda nedum parentes, verum & cæteros consanguineos, Jus strictum habere, nequit in dubium revocari. Dubium sane est, utrum homo sit ita Dominus sui honoris, ac famæ, ut se ipsum infamando lethaliter peccet, nec ne. Affirmant aliqui post *Cajet. 2. 2. quæst. 73. artic. 2. vers. Ad hoc*, & videtur opinio S. Thomæ ibidem. Plures negant, quos colligunt *Molina tom. 4. tract. 4. disput. 37. num. 1.*, *Dicastill. de Justit. lib. 2. disput. 12. appendic. primo dubit. 4. num. 501.* Verumtamen universi conveniunt, quod si infamia redundet in alios, puta in filios, fratres, familiam, in Religionem, vel patriam, qui se infamat; lethaliter peccat, juxta expressam sententiam *Sancti Thomæ quæst. 73. citat. artic. 4. ad prim.* ibi: *Arbitrii est detrimentum suæ famæ pati, nisi hoc vergat in periculum aliorum &c. non enim est sui arbitrii, quod patiatur detrimentum famæ alterius &c.* Angelicum sequuntur unanimiter *Theologi*, quos congerunt *Dicastill. disp. 12. cit. par. 3. dub. 14.*, *& Card. de Lugo de Just. tom. 1. disp. 14. sect. 10. n. 167.* Quod ita verum censentur, ut non liceat infamato, vel contumelia affecto, honoris, vel famæ injuriam condonare; quin si condonet, remissio non est valida, & ea non obstante, perseverat obligatio justitiæ ad damna inde exorta reparandi; ut solide demonstrat *Dicastilli. d. disp. 12. par. 3. dubit. 14. num. 240.* ibi: *Quando infamia, irrogata Patri ita est injuriosa filiis, ut eis damnum afferat in fama a suis majoribus parta; etiamsi Pater remittat infamiam, non est valida remissio &c. Et idem est in similibus casibus &c.* Quod totum verificatur de contumelia, seu quavis injuria contra honorem; cum pari passu procedant honor, & fama, ut ex communi Doctorum docet idem *Dicastill. disp. 12. cit. par. 4 dubit. 2. n. 400.* Addendum denique, quod honor, ac fama non magis lædantur sermone, quam opere, *Card. de Lug. disput. 14. cit. sect. 11. num. 191. Ad contrahendam malitiam gravem, satis est, si ex alio fine vis adponere, ex quo honor Proximi graviter lædatur*; de quo late disputant *Molina, Sotus, Lessius, ab eodem relati sect. 10. per tot.*

59. Exinde manifeste apparet filiorum in præfatis connubiis injustitia. Ponunt enim opus illicitum, ac indignum, ex quo familiæ honestas a majoribus parta suo gradu decidit, & vilescit; nec semel consanguineis impedimento sunt, ne suis natalibus respondentes nuptias assequantur; propterea quia ut plurimum nobiles viri dedignantur filiam desponsare ei, cujus vel frater, vel alias consanguinitatis vinculo junctus indignam, sive infamem mulierem ducens, totius progeniei honorem, famamque sua turpitudine denigravit.

60. Et validissime confirmatur: eo quia si alienæ familiæ quisque verbo, vel opere tantum detraheret famæ vel honoris, quantum suæ deficit ex Matrimonio cum indigna, ab omnibus certe injustitiæ argueretur. Igitur a fortiori injustitiæ, & impietatis reus habendus erit, si fratrum, sororum, & maxime parentum honorem, ac famam tam enormiter deturpet.

61. Denique quam pernicioso scandalo caritatis leges in sæpedictis Matrimoniis conculcentur; prudens quisque facile discernit. Norunt omnes, scandali malitiam in eo sitam esse, ut quis dicto, vel facto ruinæ spiritualis, hoc est peccati occasionem propriam dederit, ut ex *S. Hieron. Super Cap. 15. S. Matth. tradit. S. Tom. 2. 2. quæst. 43. artic. 1. in corpore*, quem omnes sequuntur. Insuper docet idem *Sanct. Doctor. artic. 4.*, scandali malitiam mortalem culpam inducere; sive quando contemnit salutem proximi, ut si pro ea conservanda non prætermittat aliquis facere, quod sibi libuerit. Tandem concludit *artic. 7. & 8.* ad vitandum scandalum ex proximi ne dum malitia, verum & infirmitate ortum habens, teneri nos bona temporalia; quandoque etiam spiritualia dimittere, vel saltem occultare.

62. Ex

Digitized by Google

62. Ex his evidens pro casu nostro conficitur argumentum. Siquidem filii familias uni, vel alteri, sed omnibus consanguineis, vel affinibus multifarie peccandi occasionem præbent. Meminisse enim oportet quomodo vix audito simili Matrimonii etiam tractatu, maxima suboritur in omnibus indignatio: quot detractiones hinc inde disseminentur; ut statim mutuæ benevolentiæ signa communia, multo magis specialia cessent; ita ut pater filium, frater fratrem alloqui respuat, ac salutare. His denique respondent odia, discordiæ, obstinatæ lites: utinam non sæpe maledictiones, & insidiæ aliaque id generis innumera mala non sequerentur. Qua igitur gravissimum scandali crimen filius indignas pacisens nuptias valet effugere? Quo jure a pessundatis caritatis legibus valet se tueri?

63. Iterum tuentes libertatem inquiunt; *qui suo utitur Jure nulli facit injuriam.* Natura, ac leges, præcipue *Sacri canones* jus tribuunt filiis ad Matrimonium, quod magis placet, amplectendum. Itaque non injustitiæ, non scandali accusari possunt. At sibi imputent qui occasionem peccandi ex ipsorum nuptiis irrationabliter arripiunt.

64. Hæc futiliter objicii abunde demonstravimus in præcedentis *Dubii* resolutione. At cum nil audiatur per omnium ora sæpius repetitum, quam libertatem summam, omnimodam, inviolatam in Matrimoniis *a Sac. Canonibus* sanciri, denuo opus est in hoc puncto aliquamdiu immorari.

65. Et in primis falsissimum est, quod tanta securitate asseritur: quod scilicet unicuique semper liceat uti jure suo. Regula ista tam indefinite intellecta, totam scandali malitiam cohonestaret. Quicquid enim sit, an citra injustitiæ reatum possit quis cum alienæ salutis periculo uti jure suo; certum omnino, salvis caritatis legibus, millies non licere. Caupo vendens vinum hospiti, quem agnoscit se inebriaturum, utitur proculdubio jure suo, vendit nempe rem, cujus habet plenum dominium; peccat nihilominus secundum receptam sententiam *Theologorum*, de qua *Ferrant. tract. de Scandalis quæst. 61. & 62.* alios cumulans. Pariter scandali reus erit, si in die jejunii carnes vendat ei, quem non crediderit a servando jejunio legitime excusatum. Fortius pictores vedentes imaginem puellæ viro illam turpiter amanti utuntur omnino jure suo, dum pretium sui laboris quærunt. At nemo a peccato scandali eos audet excusare. Vide *Azor. part. 2. lib 12. cap. ultim. quæst. 9.*, *Sanchez in Summ. lib. 1. cap. 7. num. 40.*, *Bonacin. tom. 2. de peccat. disput. 2. quæst. 4. punct. 2. §. unic. num 29.* Hæc & innumera hujus generis exempla suppeditant *Theologi* tractantes de vitiis oppositis caritati, quibus manifestissime evincitur vanitas ratiocinii, quo sic discurritur: *Filii indigne contrahentes Matrimonium utuntur jure suo; ergo a lethali culpa sunt immunes.* Ineptissime quidem; sicuti qui sic discurreret: *Nullum purum, merumque scandalum est contra Justitiam. Ergo neque ladit virtutem caritatis.*

66. Ita vero respondimus ex abundanti; cum prorsus falsum agnoscamus assumptum illud, quod filii in hujusmodi connubiis utantur jure suo. Unde enim constat de tali Jure? Qua lege, qua auctoritate illud ipsis est quæsitum? Egregie ad propositum *Card. de Luc. disc. 142. de dot. num. 12. Moventur*, ait, *ex ratione libertatis Matrimonii ex jure Canonico resultantis; quæ futilis est. Nam intentio Juris Canonici nunquam fuit ea Matrimoniis libertatem permittere turpia, & criminosa, prout est indigne nubere. Solumque sustulit necessitatem consensus paterni a Jure Civili requisiti* (scilicet ad validitatem) *sed cum supposito dignarum nuptiarum, cum qualitas hæc æqualitatis, & dignitatis potius faveat matrimonio quam adversetur &c.* Quæ diserte confirmavit *Megal. in instruct. Confess., & Pœnit. lib. 2. cap. 23. quæst. 1. num. 52. Hæc libertas non ita intelligenda erit, ut adversetur Juri Divino, cui leges Canonicæ nunquam adversantur &c. sed filia; quæ sine consensu Patris matrimonium contraheret, contra quartum Decalogi præceptum mortaliter peccaret. Ergo libertas a Jure Canonico illi concessa non ita intelligenda erit, ut sine consensu Patris cum offensione Juris Divini contrahere possit.*

67. Ad-

Digitized by Google

67. Adhuc pauca de isto Jure tam inaniter asserto. Stat optime quòd quis habeat Jus in re, ac illius sit vere dominus, attamen cum ea limitatione, ut illo uti nequeat nonnunquam, quin injuste agat, quia scilicet usus Tertio damnum afferret. Sic virgo dominium habet sui corporis quoad usum conjugii, illudque vere transfert in virum dum nubit: at non ideo licet ipsi pati stuprum citra injustitiam, quia nempe ex stupro parentibus damnum emergeret; quam doctrinam late tradit *S. Thom. 2. 2. quæst. 154. art. 6. per tot.*, & sequuntur ejus discipuli. Vana est igitur hæc consequentia. Filii familias Jus habent contrahendi libere Matrimonium; itaque etsi indigne, etsi cum alieni honoris dispendio, etsi cum familiæ, ac parentum dedecore, quamvis cum Reipublicæ scandalo contrahant, nihil interest: adhuc honeste, juste, ac licite se gerent. Quid namque audiri potest magis dissonum, vel absurdum?

68. Suboritur modo dubium quænam Matrimonia Jure indigna (23) censeantur. De hoc late *ex Theologis Sanchez to. 2. lib. 4. de matrim. disp. 26. a n. 22., Fragos. de regim.*

(23) *De indignis hoc est imparibus connubiis. Indignas* nuptias non alias esse quam impares, facile intelligitur ex omnibus Theologorum, & Canonistarum locis in hoc *Dubio* ab Auctore Cl. productis: ita ut nullus plane dubitandi locus relinquatur, quid hodie *indigni* Matrimonii nomine veniat. At ne olim quidem apud JCtos insolens ea locutio fuit. *Non INDIGNE uxorem sortiturus sit l. 20. §. 1. ff. de manum. vindict.* idest non contra conditionis suæ statum. Vide & l. 12. *De sponsal. l. 63. D. de condit. & dem. l. 32. §. ult. D. de donat. int. vir.* Sed ne Græci quidem aliter loquebantur. In Æschyli Scholiorum (quæ Scholia magni facit Victorius præf. ad Æsch. & cæteris Tragicorum scholasticis longe anteponit) loco, qui mox producetur, ex puellis duabus, locuplete una, tenui altera, cujusdam modicæ fortunæ viri nuptias ambientibus, quæ tenuis erat, τοῦ γένους αὐτοῦ ἀξία *illius genere digna* idest *par* dicitur: ex quo sequitur locupletem dicendam fuisse *indignam* hoc est *imparem*. Nam DIGNUS, & INDIGNUS in his locutionibus non absolute accipiuntur, sed πρός τι, *dicuntur ad aliud*, uti loquitur Philosophus. Nunc de imparibus nuptiis necesse habeo pauca dicere, ut appareat, vetus illud verbum, *Nube pari*, non temere usurpatum, sed ex naturalis æquitatis rationibus profectum fuisse.

Ac principio indignas atque impares nuptias a Domino vetitas satis illud docet, quod Gen. VI. 2. non alia diluvii causa a Legislatore assertus, quam quod *Videntes filii Dei filias hominum quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerunt.* Duo loco pro *filii Dei* Onkelos habet בני דרבנוא *bene abrabaja*, idest *filii principum*. Alter, ex Paraphrastis alter, Jonathas habet. At Arabs multo disertior est, sic interpretans: *videruntque filii illustrium filias plebis pulchras &c.* Ut (si quidem hos interpretes audimus) mera imparilitas conjugiorum inter illustres & plebejas familias Deum ad iram provocasse videatur. Verum age sint hæc interpretum (ceteroqui antiquissimorum & perquam illustrium, &, in quo caput est, Hebraice doctissimorum) somnia. At illud scitissimum est *filios Dei* non alios esse quam Sethidas, ita per excellentiam dictos, quemadmodum *montes Dei, cedri Dei*, & similia: *filios* vero *hominum* esse Cainitas. Nec mihi videtur dubitandum, quin inter duas istas posteriores Deus connubiorum jura diserte vetuerit: alioqui numquam eas nuptias alluvione totius terræ puniviset. Nolebat scil. Deus sanctam ac nobilem Sethi posteritatem, ex qua Messias originem trahere debuisset, per nefanda connubia dehonestari. Mitto de damnatarum istiusmodi nuptiarum prolibus discere, scelestissimis illis gigantibus quos non temere, sed ex antiqua fama, poetæ antiqui θεομάχους & ad omne nefas paratissimos nobis descriptos reliquerunt. Ad illud non est prætereundum, quod hæc matrimonia de quibus Gen. VI. non ex parentum sententia contracta dicuntur, sed injussu patrum temere, ac prorsus ductu cæcæ libidinis. *Videntes*, inquit, *quod essent pulchræ, acceperunt sibi uxores ex omnibus quas elegerant*, ipsi scil., non patres eorum. Hoc illud est, quod Raphael Tob. VI. 17. in iis damnat, *Qui conjugium ita suscipiunt, ut Deum a se & a sua mente excludant, & suæ libidini ita vacent, sicut equus & mulus quibus non est intellectus.* Atque in hos *potestatem habere dæmonium*, monet.

Jam vero quod tam sæpe in sacro Codice interdicta Israelitis conjugia cum Chananæis audis: non eis assentior, qui duntaxat ad cultus disparilitatem hujus rei causam conjiciunt, nimirum Chananæorum moribus polluerentur. Cur enim cum Ægyptiis, cum Madianitis, Moabitis, cæterisque idolatris ea permittebantur? Verum & cultus disparilitas causa prohibitionis fuit, & illud in primis, quod Chananæi gens vilis & Deo exosa erat, quos vel exterminari, vel saltem pro vilibus mancipiis haberi lex

gim. Reipublic. Eccleſ. par. 1. lib. 2. diſp. 4. §. 2. num. 290. ex Juris peritis *D. Advoc. Piton. Diſcept. Eccleſ. 52. n. 88. cum ſeqq., Menoch. tom. 2. lib. 4. præſumpt. 189. a n. 85.*, aliiſque concordantibus relatis *Card. de Luc. de dot. diſc. 1. n. 23. & 24. & diſc. 142. n. 21.*, ubi aliorum placitis inſinuatis, veram tradit regulam ad diſcernendum in caſu particulari, an matrimonium indignum debeat æſtimari. *Conſtituenda eſt regula, ut*,

lex jubebat: tantum abeſt, ut cum iis nuptiæ tolerari poſſent. Mitto ſymbolicas ejuſdem rei ſignificationes iis legibus adumbratas, quibus diverſis ſeminibus ager conſeri, aut lana & lino veſtis contexi vetabatur. Hebræi teſte Joſepho IV. Antiq. 6. vetantur ancillas ducere. Nec olim patriarchæ ancillas aliter, quam in concubinas, non item in juſtas uxores ducebant.

Nimirum hoc priſcis hominibus ex naturæ ipſius, atque anticipatæ cujuſdam notionis ductu intellectum fuit, nuptias non niſi inter pares rite conſiſtere. Nec aliam ob cauſſam ei rei ζυζυγίαν hoc eſt *conjugium* nomen a *jugo* ſcil. fecerunt, niſi ut intelligitur, quam inepte imparia jumenta currui aut aratro junguntur, tam etiam perverſe impares inter ſe matrimonio copulari. Ovidius, *Quam male inæquales veniunt ad aratra juvenci*, tam male nuptias impares coaleſcere dixit: cujus poetæ etiam illud protritum fertur: *Siqua vales apte nubere, nube pari*. Hinc de imparibus non tam ζυζυγεῖν uſurpatur, quam ἑτεροζυγεῖν, quo verbo eleganter utitur Apoſtolus 2. Cor. VI. 14. Eodem pertinet, & illa Modeſtini nuptiarum deſcriptio . . . *Conſortium omnis vitæ, divini & humani juris communicatio*. Nimirum non magis corpora, quam animi, & quæ utriuſque adjacent, permiſceri & in unum conflari oportet. At in imparibus perſonis ea omnimoda communicatio vix eſt ut eveniat: id quod ab Euripide apud Stobæum initio ſerm. 68. pluries inſinuatur.

Nec alia non tantum Romanis, quos mihi reſervo ad ultimum, ſed gentibus univerſis paullo cultioribus ac moratioribus inſedit opinio. Cleobulus Lyndius apud Laertium: Τάμει ἐκ τῶν ἐμοίων· ἡ γὰρ ἐκ τῶν κρεισσόνων· Τήμης, δεσπότας καὶ οὐ συγγενεὶς κτῆσαι. *Ex æqualibus uxorem ducite: nam ſi ex præſtantioribus duxeris, dominos loco affinium nanciſceris*, Euripides in Rheſo οὐκ ἐξ ἐμαυτοῦ μείζονων γαμεῖν θέλω . . . *Me illuſtriorum nuptias non ambio*. Celebre eſt illud Solonis apud Auſonium: *Par pari jugator conjux: quidquid impar diſſidet*. Celebrius & illud Pittaci Mitylenæi apophthegma, Τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα. *Tu tibi duce parem*: cujus pleni ſunt Græcorum libri, quod non gravabor ex antiquo Scholiaſte heic exponere. Qui ad illud Æſchyli in Prometheo lau lantis eum, qui primus dixerit Ὡς τὸ κηδεῦσαι καθ' ἑαυτὸν Ἀριστῖνες μακρῷ, ideſt. *Parem uxorem ducere multo eſt præſtabilius, ſic notavit* Τὸν Πιττακὸν λέγει, ὃν &c. *Pittacum intelligit, quem, quum quidam* (hoſpes Atarnites is Callimacho dicitur) *a duabus puellis ad nuptias expeteretur, locupleti una, inope altera, ſed* (τῦ γένες αὐτοῦ ἀξίας ideſt genere illius digna hoc eſt) *quæ illius generi congrueret; ac dubius hæreret utrius vir dici mallet; interpellavit, utrius conditione uti expediret. At Pittacus, vade, inquit, ad pueros illos, quos in proximo vides turbine ludentes; ab iis intelliges, utra ducenda ſit uxor. Abiens ille audit pueros ad ſuum quoſque* (τρὲμβαν) *turbinem inclamantes* (τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλαυνε) *Suum quiſque* (turbinem ſcil.) *agito*, Quo *audito ille, locupletiore ſuas ſibi res habere juſſa, ad indignationem animum applicuit, qua* (τυ γένες αυτοῦ ἀξία) *ſuo genere digna eſſet*. Ejus dicti & Plutarchus in de puerorum inſtitutione meminit, Suidas in Χρήματ' ἀνήρ: & pulcherrimum exſtat de eodem Callimachi epigramma apud Laertium lib. 1. in Pittaco, quod, quia is liber eſt in omnium manibus, omitto. Eamdem ſententiam & Euripides uſurpavit apud Stobæum ſer. 58. Κῦδος καθ' αὑτὸν τὸν σοφὸν κτᾶσθαι χρεών. *Affinitatem ſibi parem adſciſcat ſophus*. Sed antequam a Pittaci dicto abeo; notandum eſt, illud τὴν κατὰ σαυτὸν ἔλα, ſive ἔλαυνε anceps eſſe, quod apud pueros ludentes, *ſuum quiſque turbinem agito* ſignificabat; at pro re nata dabat intellegere, *Parem* (uxorem) *ducito*.

At enim videbatur a Pittaco abiiſſe diverſus Chilo Lacedemonius, cujus extat apud Laertium præceptum iſtud, γάμον εὐτελῆ ποιεῖσθαι. Non dicit pares nuptias ſectandas eſſe, ſed *viles*. Verum illud εὐτελῆ apud iſtum veteris ſapientiæ VII. virum non *vilem* ſignificat (ac multo minus quod Aldobrandinus reddidit, *Uxorem apparatu modico ducendam*; quæ eſt tanto σοφῷ indigna ſententia, ut quæ nihil ad totius vitæ ſummam efficit) ſed hoc vult Sapiens, *nuptias faciles* ſeu *facile parabiles*, cujuſmodi ſunt quæ inter pares ineuntur, eſſe ſectandas. Vetat igitur ambiri illuſtres nuptias. Hanc eſſe veram dicti interpretationem, fidem faciet Stobæus, cujus ſermone 68. ſic concipitur hoc dictum Τάμως εὐτελεῖς καὶ ἰσοτίμους ποιεῖν. in quo perſpicuum eſt, εὐτελεῖς non eſſe *viles* (quia ſequitur ἰσοτίμους *æquales*) ſed *facile conciliabiles*, in quibus impetrandis multum operæ ac

tem-

Digitized by Google

ut indignus dicatur ille, cui mulier attenta progenie, moribus, aliisque circumstantiis absque dedecore copulari non potest. Cujus judicium prudentiæ Judicis relinquendum, cum veritate docuit *Boss. de contract. matrim. cap.* 11. *num.* 167. ibi: *Porro ad dignoscendum an nupserit digno, vel indigno, spectanda sunt utriusque conjugis progenies, seu nobilitas, animi bona, mores, divitiæ, legitima natalia, & alia, & secundum ea prudens Judex attentis moribus Civitatis judicabit.* Illa tamen indignitas a nullo in dubium revocatur, quæ oritur ex infamia, qua mulierem inhonestam sive concubina sit, sive meretrix, maxime laborare, communi prudentum existimatione satis patet. Quamobrem absque hæsitatione concludendum, illos præcipue filios, quos

temporis sit insumendum, nec per proxenetas sit ea res transigenda: postremo in quibus *cessant* (ut dicitur l. 1. C. Th. de Nupt.) *sequestres atque interpretes taciti, nuntii renuntiique corrupti.* Ad summam in ea sententia τέλειοι & ἰσότιμοι sunt ferme συνώνυμα.

A Græcis possem ad gentes aliae gradum facere: veluti illud est, quod apud Indos cum alterius artis aut generis homine non inibantur conjugia, teste Strabone & Arriano: & quæ plura gentium instituta per otium huc comportari difficile non esset. Verum propero jam ad Romanorum jus civile, cujus fons & origo est Δωδεκάδελτος, *XII. Tab.* Atqui Dionysio Halic. teste in fine lib. x. in iis duabus Tabulis, quæ adjectæ decem fuerunt, sic erat perscriptum, *μὴ ἐξεῖναι τοῖς πατρικίοις πρὸς τοὺς δημοτικοὺς ἐπιγαμίας συνάπτειν: ne patriciis cum plebeis essent connubia.* Id quidem postea remissum fuit: quippe communicatis cum plebe honoribus, simul & jura connubiorum communia fieri decuit: nec enim inter patricias familias, & illustres plebejas (quæ uti *nobiles* dicerentur, majorum imagines effecerant) imparilitas intercedere credebatur. At in lege Julia de maritandis ordinibus plura adhuc erant capita, quibus vetabantur impares nuptiæ, quæ in jure nostro passim sparsa cernuntur. Nam lex 16. & 49. *D. de ri. nupt.* mirum ni ex lege Julia sint. At lex certe 44. *eod.* insigne legis Juliæ fragmentum complectitur; quo vetantur connubia inter senatorios liberos, & eos, qui ipsi, aut parentes artem ludicram exercuerint. Ad quod fragmentum lectu dignissimus est Franc. Ramos del Manzano nobilis J. C. in Comm. ad leges Juliam & Papiam lib. 2. cap. 28. & seq. quo loco quænam professiones *artis ludicræ* ambitu contineantur, exponit, deq. earum agitur infamia. Ergo & saltatores, & saltatriculæ, & scenici omnes artifices, & thymelici, & quæ sunt alia plura theatralis rei nomina; *artes ludicræ* sunt. Huc pertinet & ex Ulpiani fragmentis celeberrimus locus tit. XIII. ubi ex lege Julia (præter quam quod senatoriis interdictas dicit nuptias etiam cum feminis quæstuariis) adhæc *Cæteri ingenui prohibentur ducere lenam, a lenone leave manumissam, & in adulterio deprehensam, & judicio publico damnatam, & qua ARTEM LUDICRAM fecerit* &c. Ac sane si lex Julia & Papia de maritandis ordinibus exstaret, plura imparillitatis exempla produci possent. Nunc satis sit illud Boethii ad Topica, negantis, *Nuptias inter impares contractas, jure contractas, esse.* Eodem pertinet & quod apud Apuleium in VI. Metamorph. nuptiæ inter Psychen ancillam & Cupidinem tribus de caussis illegitimæ dicuntur, quod impares, quod clandestinæ (quippe in villa & sine testibus celebratæ) & quod invito patre. *Impares enim nuptiæ, & præterea in villa, sine testibus, & patre non consentiente facta, legitima non possunt videri: ac per hoc spurius ille nascetur*, quicumque nascetur ex his nuptiis. At mox eodem lib. inter utrumq. legitimæ nuptiæ existerunt: quippe Psyche immortalis facta, Cupidini non clam, sed in concilio deorum, Jove ipso jubente & conciliante, enupsit. *Jam* (inquit Jupiter) *faxo nuptias non impares, sed legitimas, & jure civili congruas.*

Nec possum heic præterire pœnam imparibus nuptiis illatam l. 1. C. Theod. de collegiatis. *De quorum* (collegiatorum) *agnatione hac forma servabitur, ut ubi non est æquale conjugium, matrem sequatur agnatio: ubi vero justum erit, patri cedat ingenua successio.* Cui similes aliæ proferri possent. Tum & illud huc pertinet, quod matrimonium inter pares præsumitur, non item inter dissimiles, & inæquales: ut late exsequitur Tiraquellus in *V. leg. connubialem, Glos. 1. par. 5. num. 31. & seq.* ubi citationum plaustra de more deprehendes. Et quod Ren. Choppinus in de Feud. Andeg. lib. 2. tit. 2. 6. & 7. a *paritate conditionis* dictum esse *paragium* pluribus odendit.

Ergo jure civili *impares nuptiæ*) quo nomine non omnes *impares*, sed eas imparilitatis species intellige quas lex Julia, & posteriores leges complectebantur) erant prorsus illegitimæ. At hodie etsi validæ sunt: at saltem illicitas censendas esse, nec Noster dubitat, nec sanæ mentis quisquam dubitaverit.

Digitized by Google

quos non pudet hujus generis feminas adſciſcere in uxores, damnandos eſſe injuſtitiæ, ſcandali, & impietatis.

69. Neque hic ſiſtit malitia filiorum indigne contrahentium, ſed progreditur uſque eo, ut ſacrilege multis modis violet Religionem. Dum enim conſtat ex jam firmatis ab ipſis in actu ineundi matrimonium tam graviter peccari, ac alias certum ſit inter fideles in ipſo contractu perfici Sacramentum; ſequitur neceſſario, ſacrilegium admittere filios, quia ſine debita diſpoſitione juſtitiæ ad Sacramentum vivorum accedant, Gratiæ Sanctificanti obicem ponentes, juxta omnem *Theologorum* Scholam. In hoc enim omnes conveniunt inquit *Perez. diſput. 19. de matrim. ſect. 8. num. 1.*

70. Rurſum & alterum ſacrilegium committi, verior *Theologorum* ſententia ſuſtinet, dum ſpeciale eſt hujus Sacramenti, quod ipſi contrahentes (24) ſunt Miniſtri. Quare ſimul recipiunt, & conficiunt Sacramentum, ideoque duplicis Sacrilegii culpabiles eos agnoſcit *S. Thom. 3. par. quæſt. 64. art. 6.*, quem ſequuntur *Vaſquez, Petrus de Ledeſma, Navarrus, Baſilius Poncius, Gaſpar Hurtadus, & ipſis citatis Card. de Lugo de Sacrament. in gener. diſpu. 8. ſect. 9. 150., Caſtropalao par. 5. de Sponſal. diſp. 2. punct. 4. num. 2. & 3.* late confirmat *Perez. de matrim. diſput. 19. citat. ſect. 8. num. 3. & ſeqq.*

71. Tertio quoque rei ſunt Sacrilegii præfato modo contrahentes, quia alter alteri cooperatur, ut ſacrilege hoc magnum Sacramentum recipiat, & miniſtret, maxime

(24) Ex pervulgata Theologorum ſententia loquitur heic Auctor. Cæterum non ignota Roſſanenſi noſtro erat opinio altera, quæ ſacerdotem nuptiis benedicentem verum miniſtrum hujus ſacramenti facit; quæ ſententia videtur verior, & Synodis, ac Ritualibus conſona, quæ Sacerdotem appellant ſacramenti hujus *miniſtrum*. Docuere hanc ſententiam Melchior Canus integro opuſculo, adhæc Toletus, Eſtius, Sylvius, & recentiorum quamplurimorum nubes. Quorum agmen agere poſſit Petrus de Marca, edito integro opuſculo argumenti hujus. Ut omittam, quod Banneſio teſte, antiquiores Scholaſtici (qui in contrarium afferuntur,) non firmiter id dixerunt, & quod S. Thomæ ſuper ea re auctoritates ultro citroque laudantur. Poſtremo Eſtius paradoxa, quæ ex contraria opinione fluunt, hæc enumerat: *Ut quod hujus Sacramenti miniſter non ſit unus, ſed duo: non ordinati, ſed laici: vir, & mulier: quod iidem ſuſcipientes & conferentes: quod forma conſiſtat ſine verbis* (nam conſenſus nutu expreſſus ſufficit): *quod* (ſacramentum hoc Novæ Legis) *nullam contineat ceremoniam peculiarem*, &c.

Equidem ſuſpicor, contrariæ ſententiæ (in quam frequentes ivere olim Scholaſtici) anſam præbuiſſe quædam juris Pontificii loca, in quibus *ſolus conſenſus* contrahentium ſufficere dicitur, ut can. *Sufficiat* 27. q. 2. & quæ ibi Gratianus addit. Verum (ut alias reſponſiones taceam) ibi τὸ SOLUS excludit *concubitum*, qui non eſt neceſſarius, non item *hierologiam* ſacerdotalem, quæ ſemper neceſſaria fuit, ut conſtaret Sacramentum, & qua deficiente nuptiæ retinebunt quidem veram contractus rationem, non item ſacramenti. Cujuſmodi & hodie illa ſint furtiva connubia, quibus ſine *bannis* præviis conjuges ſuum conſenſum coram Parocho nec opinante atque averſante, & aliquot teſtibus, exprimunt: quæ quidem nihil amplius ſunt, quam merus contractus, non item Sacramentum. Ac de εὐλογίας ſive benedictionis neceſſitate loquuntur paſſim Græcæ, & Latinæ Eccleſiæ monumenta; ac præ cæteris Epiſtola Evariſto tributa in can. *Aliter*, 30. *q. 5.* Ignatius epiſt. ad Polycarpum, Chryſoſtomus Hom. 48. in Gen. quorum & aliorum locis adſcribendis abſtineo. Vide Suiceri Theſaurum in Ἱερολογία, & in Γάμος num. V. ubi & illa occurrit matrimonii definitio a Baſilio hom. VII. in Hexeem. tradita, ὁ διὰ τῆς εὐλογίας ζυγὸς ad verbum, *Jugum* quod *per benedictionem* ſubditur. Sed nihil luculentius illa Balſamonis Canoniſtæ clariſſ. ſententia, qui ad Photii Nomoc. tit. 13. c. 2. pag. 195. ſic adnotat οὐδὲ γὰρ ἡ συνάφεια, ἀλλ' ἡ τῆς εὐχῆς τελετὴ ποιεῖ, τὸν μυησείαν ὡς γάμον λογίζεσθαι *Neque enim corporum commixtio, ſed precationum ritus efficiunt, ut ſponſalia evadant nuptiæ.*

Ac memini, nonnullos viros in antiquitate verſatos ſic loqui conſueviſſe, ut duplicem matrimonii *conſummationem* agnoſcerent; quam per Ἱερολογίαν *benedictionem*, alteram per carnalem copulam: nimirum quia re vera matrimoni, ſacramentum non ſola conſentium ſignificatione, ſed ſacerdotali potiſſ. benedictione *conſummatur* ac perficitur. Verum de his quæ potui, hactenus: cæterum plura ac meliora Theologi dabunt.

Digitized by Google

me quia in ipso contractu illicite operantur, per ea, quæ in simili tradunt de illo, qui contraheret cum habente votum simplex castitatis: vel si alteri per sponsalia matrimonium promiserat, *Sanchez. tom. 2. lib. 7. disput.* 11. *num.* 11. alios cumulans, *Layman. Theolog. moral. lib. 2. tract. 3. cap. 13. num. 4. vers. Nunc probatur, Navarr. Manual. Confess. cap. 22. num. 73.* Quod autem is, qui alterius crimini participat cooperando, ejusdem speciei crimen admittat, est conclusio, quæ inter *Theologos* procedit sine contradictore, & firmat *Layman loc. cit. num. 6.* ubi colligit *Concordantes.*

72. Poterit & quispiam plures aliquas distinguere circumstantias (25) per quas multiplex de sæpedictis conjugiis, & quidem gravis resultat culpa. At quas enumeravimus, satis urgent, ut jure merito concludamus. Quot, & quanta in uno facinore sunt crimina.

DUBIUM III.

An Episcopi, cæterique Prælati, ad quos spectat, possint favere filiis indigna matrimonia inire contendentibus, & in specie, an licite valeant dispensare super denunciationibus a *Sac. Concil. Trid.* præscriptis; & an potius possint, ac debeant præfata matrimonia etiam Juris remediis pro viribus impedire.

Episcopi, cæterique Prælati non possunt filiorum matrimonia cum indignis authorizare, sed debent Juris remediis impedire ex communi Theologorum, & Canonistarum sententia a num. 73. & præsertim a num. 77. ad seqq.

Possque impedire etiam per carcerationem num. 97. & 80.

Nec licite posse eosdem Ordinarios denunciationibus dispensare, a num. 81. ad num. 94. Et ostenditur gravis culpa Prælati dispensantis num. 113.

Pastoralis Officii debitum in filiorum matrimoniis interdicendis comprobatur ex Constitutionibus Synodalibus *antiquis, & recentibus plurium Episcopatuum, quæ sigillatim adducuntur a num. 95. usque ad 105.*

Eademque Pastoralis obligatio constabilitur ex pluribus titulis, nempe.

Ex Officio Judicis præstando num. 106. & 107.

Ex cooperatione scandalosa evitanda num. 108. & 109.

Ex sanctitate matrimonii procuranda num 110.

Ex culpa in omissione denunciationum num. 113.

Firmatur, ex Præfata Pastorali sollicitudine impediendi indignas filiorum nuptias non violari matrimonii libertatem a num. 114. usque ad num 124.

Declaratur Sacrum Concilium Tridentinum *quoad libertatem matrimonii n. 123. & 24.*

Parochos æque peccare assistendo illicitis matrimoniis filiorum num. 111. & 112.

Concluditur, idem respondendum esse de quolibet matrimonio contrahendo per Parentes, Fratres, aliosve Consanguineos in familiæ dedecus, num. 126.

63. Sisterem hic libenter calamum, ac aliis sive doctrina insignibus, sive præstantibus auctoribus præsens dubium relinquerem examinandum. Trepidat quippe animus,

(25) Omittenda non erat inhonestas illa, quæ in imparibus conjugiis in omnium oculos incurrit; vulgo enim indignantur & clamant, *Quod tibi nos vis, alteri ne feceris*: ea prima est naturæ notio: in ea *Legem & Prophetas* consistere CHRISTUS Matth., VII. 12. monuit. Ergo quam sibi injuriam a filiis nascituris inferri nolunt, eam haud par est, ipsos priores parentibus inferre. Accedit, quod etiam *civilis ratio* (quam Justin. tit. *de Nupt.* cum naturali conjungit in hoc negotio) læditur: quæ duplex, est, 1. *patria potestas*, 2. *fuitas*: illa facit, ut sine patre nihil fermo filius possit: hæc alicui invito agnosci suum heredem, vetat. At in jus civile, postquam ab Ecclesia sub impp. Christianis adoptatum fuit, offendere, est graviter offendere.

Digitized by Google

mus, ne vel minimam fuspicionem incurrat, quafi audeat Magiftros docere, vel Jus dicere iis, in quibus jure fuum agnofcunt præfidium, & tutelam. Verumtamen metum nobis excutit confcientia noftra. Siquidem non aliud nobis propofitum, quam ut Epifcoporum, cæterorumque Eccleſiæ Judicum agamus cauſſam, Zelum tueamur, nec non ab infanorum juvenum importunitate liberemus. Itaque non ad Eccleſiæ Præſules noſter dirigitur ſermo. Illis coram ſilentium nobis indicimus, avide excepturi quæ ab ipſis contigerit edoceri. Filiosfamilias alloquimur, ſeu potius illos, qui filiorum nomine inſolenter Judices urgent, ut iis præſidio ſint, ne ab indignis nuptiis arceantur, ut annuant Canonicas denunciationes omitti; ut tandem, quidquid opus fuerit, ſuppeditent, ut impune matrimonia per fas vel nefas contrahantur; inſcii, quod maxime nefarium ſit an iis, a quibus Jura expectantur, injuriæ præſidium poſtulare.

74. Deciſio hujus tertii Dubii in reſolutione duorum præcedentium jam firmata ſatis aperte continetur. Præſtat tamen adhuc diſtinctim iſtud pertractare, ut quo plures detinet vulgaris error, eo magis veritas confirmetur. Ideo,

75. pro certo reſpondemus, *Epiſcopos, reliquoſque Prælatos nec debere, nec poſſe hujus generis matrimonia ſua auctoritate ſuſtinere. Item mortaliter ipſos peccare, ſi a denunciationibus abſtineri permittant. Denique poſſe, ac debere Juris remediis filios, quos noverint paratos ad contrahendum indigne & cum injuria parentum, pro virilus impedire.*

76. Singulæ reſolutionis partes forent peculiari examine pertractandæ. Ne vero longius, quam par eſt, ſermo protrahatur; liceat omnes unico diſcurſu complecti; ſiquidem ita ad invicem connectuntur, ut nequeas de altera quid proferre, quin alias attigiſſe dignoſcaris; maxime in referendis Doctorum placitis, dum fere omnes omni procul diſtinctione ſunt loquuti.

77. Hanc quoque reſponſionem lubet in primis auctoritate confirmare, ne ſingularitatem, aut rigorem nimium ſectari videamur. Neque enim in hoc puncto a communi *Theologorum*, & *Canoniſtarum*, qui ſerio quæſtionem examinant, ſententia non vel lato ungue diſcedere compertum erit; ſi illorum teſtimonia, quæ ſummatim referimus, relegere non pigebit. Pauci quidem ſub noſtris terminis punctum attingunt; ſed alii agentes de obligatione orta ex Sponſalibus; alii de matrimonio, ex quo ſcandalum timetur; alii denique ubi de poteſtate Epiſcopi quoad denunciationes remittendas. Nos omnium dicta majori, qua fieri poteſt, brevitate colligemus.

78. Et incipientes a ſcandalo; hoc a præfatis conjugiis inſeparabile abunde in præcedenti reſolutione demonſtravimus, & utinam quæ aſſeruimus, non tam frequens experientia comprobaret. Jam vero ut ſcandalum vitetur, arcendos a Matrimonio petentes illud contrahere præcipit *Text. in cap. Cum in tua, de ſponſal.* ibi: *Si perſona gravis, cui fides ſit adhibenda, tibi denunciet &c. & de fama, vel ſcandalo doceat &c. aut etiam per te ipſum poſſes certificari, de plano debes &c. eos, qui ſic contrahere nituntur, ſi moniti induci nequiverint, compellere, ut a tali contractu deſiſtant* ..; Ubi *Gloſſ. verſ. ſcandalo* ait: *Nota quod propter ſcandalum impeditur matrimonium.* Clarius *Panormitan.* ibi num. 4. *Nota iſtum Textum ſingulariter in eo quod additur de ſcandalo; ex quo potes inferre, quod ubi inter aliquos ſcandalum timetur ex contractu matrimonii, poteſt, & debet Judex interdicere matrimonium.* Facit *cap. nihil cum ſcandalo de præſcript.* Similia tradit ſuper *Capit. Requiſivit eod. tit.* ubi docet, quod ſi timeatur inimicitia inter parentes, Judex debet ceſſare a compulſione, non obſtantibus ſponſalibus etiam juratis, quæ præceſſerint. Idem adnotavit *Præpoſit. ſuper eod. c. cum in tua n. 2. Nota quod Judex poteſt ex officio de ſcandalo inquirere ad finem ut impediat matrimonium;* & infra: *ubi Judex videt, quod ſi duo capiunt ſe in Virum, & Uxorem, etiam dato, quod parte ipſa ſint contenta contrahere, nec alius contradictor appareat, tamen ipſe ſcit futurum ſcandalum, ex officio poteſt matrimonium inhibere.* Item *Barboſ. in Collect. ſuper cap. cit. n. 6. Notatur ad hoc, quod quando ſcandalum timetur inter*

Digitized by Google

ter contrahentium consanguineos ex matrimonii contractu; potest, & debet Judex contradicere matrimonium; & allegat concordantes, & super *Capit. requisivit n. ult.* pluribus citatis animadvertit in conjugiis inter impares semper malum exitum rationabiliter timeri. Imo quod experientia comprobatum sit, quod dum matrimonia inter inæquales contrahuntur, infelices exitus sequantur, tradit *Conrad. prax. dispensat. lib. 7. c. 5. n. 49. & Rmus de Zaulis in Urbe Vicesgerens in Obser. (26) ad stat. Faventiæ tom. 1. lib. 4. Rubr. 26. n. 43.* ubi cum *Menoch. cons. 69. n. 44. vers. præterea cum seqq.* subdit rationem, *Quia imprudens adolescens tractu temporis patiens damna ob injuriam factam parentibus, & familiæ, ac discordiam exinde inter eos causatam, ut plurimum adit uxorem: nam ille ardens concubitus ex immoderato amore proveniens odium maximum parit.*

79. Consonant *Canonistæ* recentiores, qui articulum pro rei gravitate expendere, non autem perfunctorie attingere curaverunt, egregie idem *Illmus D. de Zaulis cit. Rubr. 26. n. 40.* ubi loquendo de matrimonio filiorum cum femina imparis conditionis inquit: *Parentes possunt, & debent illud impedire per recursum ad Judicem Ecclesiasticum.* Et plures allegat inter quos *Escobar de nobil. & purit. part. prima q. 4. §. 7. n. 94. ubi monet Judices Ecclesiasticos, ut assistant*; & prosequitur solvendo objecta, optime considerans æque inhonestam causam, a qua ortum habent, & perniciosos effectus, qui prædicta connubia consequuntur. Ideoque Judex potest tuta conscientia impedire hujusmodi matrimonia etiam virum in carcerem detrudendo, donec aliud remedium suppetat, ut docet *Pignatell. consult. 11. n. 1. tom. 4.* quem sequitur *Carol. Ant. de Luca ad Ventrigl. in prax. tit. de testib. in caus. matrim. annot. 3. §. 1. n. 6. vers. Accedit, quod Judex; Sabell. in Summa §. Filiatio num. 64. in fin. & §. matrimonium n. 1. vers. quod Pater; Raynald. syntax. crim. tom. 1. cap. 6. §. 4. n. 73.*

80. *Aloysas Riccius in decis. Jur. Archiep. Neap. d. 24. per tot. p. 3. Venet. impress.* tradit se in facti contingentia consultum respondisse, quod indignum matrimonium poterat per Episcopum impediri, nedum ad aliquod tempus, sed *perpetuo* ad vitandum scandalum, quod semper est malum ibi: *Omittere matrimonium non est peccatum, quare simpliciter potest prohiberi, nam omni tempore scandalum est, malum & evitandum.*

Franciscus Ant. Tranchedinus (27.) *consul. 33. per tot.* ubi pluribus rationibus probat, licitum esse Patri ex causa impedire matrimonium filio etiam per carceratio-nem, & Prælatum debere voluntati paternæ adhærere, nec ob id *Concilio* contraveniri, nec libertatem matrimonii impediri, sed perfici, dum Pater curat, ne filius malenubat; nam libertas ad malum est potius imperfectio, quam effectus libertatis.

Idemque testantur, & prosequuntur, *Cephal. lib. 3. cons. 421. Philipp. Paschal. de patr. potest. par. 2. cap. 5. a n. 22. plures allegans, Capiblanch. de Baron. Prag. n. 26. ubi testatur de continua praxi: præcit. Pignatell. tom. 4. consult. 11. per tot.* ubi firmatam conclusionem optime propugnat, quamvis non satis caute nonnullos DD. alleget; clarissime *Donat. Anton. de Marin. lib. 2. resol. quotid. c. 132. per tot. bene Basil. Pont. de matrim. l. 2. cap. 1. §. 2. Jo. de Capeuville de mod. minist. Sacram. cap. 6. quæst. 19.*

81. Et individualiter de licentia denunciationes omittendi supponunt unanimes *Theologi & Canonistæ* peccare morraliter Episcopum sine justa causa dispensantem. *Card. de Laurea tom. 3. in 4. sentent. disp. 22. art. 15. nu. 383.* late confirmans, & testans de communi, *Salmanticenses tom. 2. theol. moral. tract. 9. cap. 8. punc. 7. num. 88.* ibi. *Episcopus absque justa causa si omnes denunciationes omitteret, mortaliter delinqueret: abu-*

(26) Viderat noster Archiepis. priores Observationes Dominici de Zaulis ad *Statuta Faventiæ*. At in repetita eorumdem editione an. 1723. (cui editioni inserta fuit hæc Rotomagensis nostri doctissima Dissertatio) novæ insuper *Additiones* ejus. De Zaulis accesserunt, in quibus plura sunt, quæ huc faciunt.

(27) Tranchedini locus luculentissimus est, & lectu dignissimus, ex quo, ut & ex Riccio, & ex Donato Ant. de Marinis (ut alios plurimos taceam) apparet, non deesse pragmaticos, quos in Foro duces tuto sequi in hoc negotio possimus.

Digitized by Google

abuteretur enim potestate] sibi concessa. Barbos. in collect. super Concil. Trid. sess. 24. de reform. matrim. cap. 1. num. 60. Pax. Jordan. Elucubr. vol. 1. lib. 3. tit. 7. n. 4. qui alios cumulant Doctores utriusque Fori. Hoc praesuppositio jure, & ratione ab omnibus firmato, descendunt ad quaestionem; an justa causa dispensandi suppetat, cum timetur impedimentum a parentibus, & respondent cum distinctione, videlicet, vel praevidentur parentes injuste contradicturi ex odio erga filios, aut ex alio pravo fine, & in hoc casu non improbant dispensationem: si vero ad hoc, ne filius, vel filia indignis nuptiis parentum honori detrahat, vel ne familias deturpet; indubitanter affirmant nullo Jure dispensationem licere, quin & eam fore contra mentem *Concilii*, & cum gravi parentum injuria, ut pote qui jus habent se tuendi a filiorum offensione, & propriae familiae gradum conservandi, ut prae caeteris docent.

82. *Joannes Segura in direct. Jud. Eccles. par. 2. cap. 19. num. 8. & 9. Timor Parentum non est causa sufficiens ad inducendum malitiae impedimentum, etiam certum sit, quod parentes non assentiuntur; nec malitia, quae dolum, & calumniam supponit, in Patre convenit, qui nemini facit injuriam, & Jure suo utitur.*

83. Fuso calamo articulum examinat *Gutier. lib. p. Canonic. qq. cap. 20. per tot. ubi num. 9. ex Domin. Soto* (qui tanquam Theologus Concilio Trident. interfuit) adnotat Conciliarium Patrum intentum in denunciationibus constituendis, illud inter caetera fuisse, ut parentibus (28), innotesceret matrimonium a filiis contrahendum; & pergit firmiter demonstrando jus parentum, ut indignis filiorum nuptiis contradicant. Ex quibus colligit *n. 23.* sic dicens: *Non igitur ordinarius aegre ferre debet, quod matrimonium hujusmodi inter valde dispares impediri facile possit, si tot denunciationes praecesserint, & quod mulier ipsa absque remedio manebit. Quandoquidem Jure optimo, & tuta conscientia id impedire possit Pater; & huic se sponte exposuit periculo femina, quae altiori nubere vult inscio Patre viri. Aliud ergo quaerat connubium suo statui condecens. Quod si honorem, & pudicitiam suam indiscrete profuderit, sibi imputet, & concludit: Deficiente malitioso impedimento, & stante justo, jurique consono, potest, & debet formam, & solemnia Concilii integre, & suo ordine servare.*

84. Brevius *Pax Jordan.* d. 1. lib. 3. tit. 7. sub n. 51. ait: *Quod si Pater juste, & rationabiliter impedire nitatur, puta ob notabilem morum, divitiarum, nobilitatis, ac similium qualitatum differentiam, tunc dicetur justa impedire, nec praestabit legitimam causam ad hunc effectum* videlicet pro denunciationibus omittendis.

85. Pro-

(28) Quum unus ex praecipuis bannorum finibus is sit, ne matrimonia clam patre fiant, quumque praeterea statuta Synodalia (de quibus infra num. 95. & seqq.) parentes ante omnia fieri certiores jubeant: quis non rideat quorumdam parochorum scrupulum, an stuporem? religioni scil. sibi ducentium, si talia matrimonia, quibus parentes cum ratione oblectaturos credant, patribus significentur. Itaque id sedulo laborant, ne de promulgatis caeteroqui, aut mox promulgandis nuptiis parentes inaudiant, veriti nimirum, ne tanto, uti putant, matrimonii bono per eos mora fiat. Nempe egregios arcani custodes se profitentur in eo ipso, cujus praeconium faciunt. Ita in frequentibus urbibus ex importuno sacerdotem silentio usu haud raro venit, ut quorum maxime interest, ii rescisant ultimi, nec ante, quam jacta sit alea. Ceterum quod praecipuus bannorum finis, quem propositum habuere Tridentini Patres, is fuerit, ut patribus filiorum nuptiae innotescerent, ex Decreti συνεχεία *contextu* satis luculenter percipitur. Ibi Patres, praefati Ecclesiam matrimonia injussu patrio facta semper *prohibuisse*, mox conqueruntur *prohibitiones illas propter hominum inobedientiam jam non prodesse ... nisi efficacius aliquod remedium adhibeatur*. Quodnam id erit remedium? Bannorum praescribitur necessitas; ex quibus fiet, ut patres certiores facti, impedire matrimonium possint. Nihil evidentius. Simulque mens Concilii percipitur volentis, patres juste & cum ratione filiorum matrimoniis obsistentes in Episcopalibus curiis esse audiendos. Alioqui quos ille bannorum apparatus? aut quodnam remedium Synodus attulisset? Satius erat, nihil rescisse patres, quam si, postquam certiores evaserint, Praelatos surdos & inexorabiles nacti, ringi & rumpi cogantur.

Digitized by Google

85. Prolixe totam materiam prosequitur *Menoch. Cons. 69. vol. 1. per tot.* ubi singula a nobis firmata late comprobat, nempe quod filii in casu graviter peccant contra honorem parentibus debitum. Quod parentes jure valent eorum indignas nuptias impedire. Denique quod non liceat Episcopo denunciationes remittere.

86. Rursum audiendi Theologi de utroque puncto differentes: alii quidem de jure parentum ad impediendum sæpedicta matrimonia, ac de obligatione Episcopi ad ipsorum jus sustinendum: alii vero de non omittendis denunciationibus ob vitandum impedimentum, quod creditur juste a parentibus indignis filiorum nuptiis opponendum.

87. *Dicastillo* tom 3. de matrim. dispu. 4. dub. 18. proposito articulo .. An Judex possit interdicere matrimonium filiisfamiliis &c. sic resolvit. *Potest Judex Ecclesiasticus auctoritate sua interposita impedire tale matrimonium*, & infra .. *Poterit imo DEBEBIT Prælatus impedire; maxime cum etiam parentes possint impedire tale matrimonium, & implorare superioris auxilium. Ergo superior ipse potest, & DEBET tunc suam auctoritatem interponere.*

88. *Bonacin. de iis quæ pertinet. ad matrim. q. 4. punct. 17. num. 26.* affirmat se in casu practico ita consuluisse. Et subdit motiva sui consilii concludens: *Parentes possunt impedire matrimonium, & licite possunt impedire superioris auxilium; ergo Prælatus potest, ac DEBET suam interponere auctoritatem.*

89. *Adam Opatovius* de Sacram. tract. de matrim. disp. 2. qu. 18. n. 158. *Proinde nec Ecclesia, nec illius Parochi debent concedere facultatem filiabus nubendi contra voluntatem parentum, præsertim cum tale connubium vergat in illorum dedecus.*

90. In terminis amplioribus *Thom. del Bene* de Immun. p. 1. cap. 8. dub. 19. sect. 9. n. 43. & seqq. ibi ... *Si ex matrimonio, quod filius, vel filia contrahere cogitat ob disparitatem sponsorum, vel quid simile; familiæ dedecus, discordiæ, & scandala timeantur, ideoque tale matrimonium sine peccato contrahi non possit, parentes illud impedire possunt, ac DEBENT, implorata Judicis auctoritate; ad cujus officium pertinebit cavere, ne contrahantur similia matrimonia, ex quibus scandala, & infelices exitus sequi consueverunt.*

91. *Bossius* de contract. matrim. cap. 11. n. 89. ait: *certum videtur in omnibus casibus, in quibus filii peccant mortaliter parentibus invitis contrahendo aliquod matrimonium; Prælatum peccaturum graviter, si filiis faveret, vel opponendo se parentibus volentibus impedire, vel dispensando in denunciationibus, ut facilius filii absque parentum impedimento contrahere possint.*

92. Solidissime totam hanc rem examinat *Ferdinand. Rebell. de oblig.* p. 2. lib. 2. qu. 14. sect. 1. per tot. ubi plura adducit pro declaranda injuria parentibus per hujusmodi conjugium inferenda; ex quibus Theologice infert, quanta sit obligatio Prælati ad illud inhibendum. Inter cætera *num. 9.* ait ... *Prælati non debent conjungere eos, quos constat in contrahendo injuriam aliis facere, atque adeo sine peccato matrimonium inire non posse.* Et infra .. *Si Prælati ejusmodi nuptias parentibus injuriosas concilient, cooperabuntur peccato contrahentium*, & tandem concludit §. at dicens: *Itaque non debet ab Ecclesia, bonorum morum; & probitatis magistra, concedi facultas ad contrahendum cum peccato; sed potius dissuadere debent talia connubia. Ad idque TENETUR Prælatus non solum ex præcepto correctionis fraternæ, sed etiam ex proprio Pastorali officio.*

93. Et quod spectat ad dispensandum super denunciationibus, *Henriquez* in Summ. lib. 11. cap. 6. col. 4. Litt. H. *Voluntas contrahendi insciis parentibus non est idonea causa, ut ordinarius dispenset, ne fiant denunciationes.*

94. *Cardinalis de Lauræa* tom. 3. in 4. sent. disp. 22. art. 16. n. 407. affirmat posse juste dispensari, si timeatur injustum impedimentum a parentibus, & subdit .. *Secus autem si ex justo motivo id faciant, scilicet quia indigne contrahitur, vel malum potius, quam bonum ex matrimonio nascetur &c.* quod num. 409. confirmat: *Quia prudens judicium non dictat, ut quis impediatur, ne suæ familiæ utilitati salubriter consulat.*

95. Hujus propterea obligationis docti, ac Religiosi Episcopi sibi conscii illud in primis in suis Synodalibus Constitutionibus circa Matrimonii Sacramentum Parochis præceperunt, ut essent valde solliciti de investigando, utrum matrimonio parentes consentirent, ac plerumque salutare statutum addidere, ne ullo modo matrimoniis filiorum assistere, neve denunciationes inchoare præsumerent, nisi constito de consensu parentum, qui si deficeret, ab omni actu cessarent, totumque deferrent ad Episcopum, qui causis renitentiæ perquisitis, de illarum subsistentia judicaret. Pauca ex pluribus, quæ occurrerent, in medium proferamus.

96. Ineipiam ab antiquioribus. Inter Constitutiones Ecclesiæ Veronensis per Episcopum *Joannem Matthæum Gibertum* tunc fungentem munere Legati Apostolici per totam Diœcesim, editas *Sub anno* 1542. tit. 7. cap. 1. sic habetur: *Monemus, ne deinceps quisque præsumat matrimonium contrahere, nisi cum præsentia Sacerdotis proprii, ac Patris, si habuerint.*

97. Synodus Monopolitana sub Episcopo *Antonio Portio* non longe a Concilio Tridentino congregata anno 1585. cap. 17. quod est de Sacramento matrimonii, sic habet: *Licet matrimonia a filiisfamilias sine consensu parentum contracta, si Canonicum aliud non obsistat; valida reputentur, ac firma; quia tamen Sancta Dei Ecclesia ex justissimis causis semper illa detestata est, atque prohibuit, Parochi eorum prius voluntatem explorent, sive parentum, cura sive aliorum, ad quos futuri sponsi, vel sponsæ tutela, vel cura dignoscitur pertinere; qui si non consenserint, paterne sponsos admoneant, ne suis invitis aliquid deliberare velint, sed parentibus obediant.* Nec permittit, illos ultra progredi, ut legi potest ibidem.

98. *In Synodo Auximana* sub *Cardinali Antonio Maria Galli* anno 1593. sub tit. de matrim. cap. 19. sic decernitur: *Mandamus, ut nullus Parochus eos, quos sciverit invitis parentibus matrimonium velle contrahere, matrimonio conjungat, sed ea de re nos reddat certiores, ut quid sit agendum, mature possimus deliberare.*

99. Gabriel Paleottus, qui ut Jurium Doctor Sacro Concilio Tridentino interfuit, postea Sac. Rom. Ecclesiæ Card. & Bononiensis Archiepiscopus renunciatus *Statuta* edidit vernacula lingua quo dirigendis matrimoniorum negotiis, inter quæ illud legitur ... *Occorrendo, che qualche figliolo di famiglia, voglia congiongersi in matrimonio, contradicendo, & opponendosi il Padre, non sarà ammesso dal Curato senza partecipazione dell' Arcivescovo.*

100. *Panormitana Synodus* de anno 1586. sub Archiepiscopo Cæsare Marullo part. 2. c. 8. sic statuit: *Parochi officium sit, filios matrimonio adnectendos, absque parentum consensu veniaque petita, ne illud ineant, monere, ne paternæ obedientiæ, reverentiæque officio non satisfiat.*

101. *Synodus Catanensis* habita de anno 1623. sub Episcopo Joanne de Osorio par. 2. n. 97. *Parochus filios familias moneat, ne insciis parentibus, aut etiam invitis denunciationes haberi, aut matrimonio jungi velint; non propterea, quod ad Sacramenti matrimonii firmitatem necessario requiratur parentum consensio, sed ut paternæ obedientiæ, reverentiæque id tribuatur.*

102. *Carolus Rossetti* Sac. Rom. Eccles. Card. in Synodo Faventina, quam habuit de anno 1647. tit. 10. cap. 10. statuit: *Ut Parochi non solum sponsorum consensus, sed etiam eorum parentum, si filiifamilias fuerint, diligenter inquirant; quod si difficultates comperient, nobis inconsultis ad denunciationes non progrediantur.*

103. *In Synodo Montis regalis* de anno 1652. sub Cardinali Francisco Peretto sess. 2. cap. 8. sic legitur: *Si contrahentes filii familias fuerint, Parochi ab ipsis quærant, utrum consciis, & permittentibus, an insciis, & invitis parentibus jungi matrimonio velint; ac si de illorum voluntate non constet, interrogentur de causa, eaque cognita, graviter ipsos moneant, ne parentum, aut negligere, aut parvi facere auctoritatem velint.*

Digitized by Google

104. Inter Constitutiones Synodi Mazzarienſis indictæ a Cardinali Joanne Dominico Spinula anno 1641. lib. 2. cap. 10. hæc habentur: *Curatus, ſi matrimonium contracturi ſint filiifamilias, eos valde cohortetur, ne illud renitentibus parentibus ineant, ſed paternæ obedientiæ officio ſatisfaciant.*

105. Aliarum quoque Synodorum ejuſdem tenoris decreta refert (29.) *Gennettus* tom. 5. Theolog. moral. p. 310. & ſeqq. quibus adde Synodum *Placentinam* ſub Epiſcopo Philippo Sega anno 1589. *Cæſenaten.* ſub Epiſcopo Petro Bonaventura anno 1638. *Velitern.* ſub Cardinali Franciſco Barbarino Decano anno 1673. *Alban.* ſub Card. Flavio Chiſio anno 1689.

106. Nec difficile erit aſſequi unde emergat, & quot titulis conſolidetur in Eccleſiæ Paſtoribus debitum indiſpenſabile non ſolum ne foveant damnabilem iſtam filiorum impietatem, verum etiam ut totis viribus, ac quibuſvis Juris remediis, curent illos in officio continere. Attingam præcipua Capita (30) ex quibus laudati Theologi, & Canoniſtæ hanc obligationem concludenter evincunt. Nec pudet ipſorum fere verbis argumentum proponere; quippe qui nil magis optem, quam quod nemo credat rem tanti momenti nos proſequi novitatis amore, verum ſolummodo priſtinæ Eccleſiaſticæ Diſciplinæ ſtudio, ac zelo vitandi tot crimina, quæ ſub inani tuendæ libertatis prætextu impune graſſari merito pii, ac Religioſi omnes vident, & non impediri conqueruntur.

107. Primo igitur conſurgit hæc obligatio ex ipſo officio Judicis, quod Eccleſiæ Præſules exercent, quoque jus ſuum unicuique illæſum ſervari fatagere tenentur; qui multo magis cavere debent, ne ſua auctoritate lædant, neve lædere attentantibus favorem præſtent. At certum eſt, parentibus injuriam a filiis indigne contrahentibus irrogari, ut ex Jure Divino, Canonico, Civili, etiam naturali manifeſte demonſtravimus; ut fatentur Theologi omnes, ac utriuſque Juris celebriores Interpretes; ut et-

(29.) Velati quod Synodo *Mediol.* V. legitur: *Si vero filiifamilias ſint, hos Parochus valde cohortetur ... ut illis ne inſciis quidem, ne dum invitis rem tanti momenti ineant.* Si minus profecerint, rem totam ad Epiſcopum deferri jubet. In Synodo *Veſtana* an. 1699. cap. 15. *Præcipimus noſtræ Epiſcopali Curiæ, quatenus in poſterum per illam non recipiantur inſtantiæ de celebratione futuri matrimonii, quia prius extra judicialiter conſtet de conſenſu parentum. Quod ſi diſſentiant, cogneſcatur cauſſa diſſenſus, & ad nos referatur, qui penſatis cauſſæ momentis in jure, mandabimus opportune promovendum, vel impediendum matrimonium, ut juris erit; & in Domino judicabimus.* Totum hoc ſub pœna ſuſpenſionis ab officio præcipitur. Horum ferme ſimilia ſunt, quæ caventur in Synodo Provinc. *Senenſi* an. 1599. Poſtremo Franc. Card. Barberinus in Synodo *Velitern.* an. 1673.; cap. 17. ſic poſuit: *Parochi ... de illorum* (parentum) *conſenſu requirant, & ſi quid difficultatis occurrerit, nos conſulant, ut quid in ea re congruum viſum fuerit, decernamus.* Nec dubito, quin veteres Neapolitanas Synodos evolventi ſimilia decreta currerent. Atque optandum eſſet, ut in omnibus Diœceſibus Synodalia ſtatuta fierent; quibus huic malo obviam iretur.

(30) Quas rationes heic Noſter affert; ne Prælatus iſtis conjugiis filiorumfam. velificetur, eæ rationes ſuadent, ut ea non modo ad tempus (quod vulgo fit) ſed in perpetuum impedias. Ac ſane plures alias rationes liceret producere. Cujuſmodi illud eſt; ne præbeatur anſa perjuriis. Nam parentes ubi viderint, ſe intercedendo & obluctando parum proficere, ac juſtum diſſenſum ſuum ab Epiſcopis parvipendi, ad aſtum & artes illicitas animum convertunt: mulierculas falſoſque teſtes componunt, quidvis perjeraturos, ut probentur priora ſponſalia, aut fides alteri data. Novi ad hunc ſcopulum etiam viros pios naufragium facere, ac recurrere ad remedium deterius malo. Nec facile uſitatius eſt conſilium, quod dari ſoleat redactis ad incitas genitoribus. Adde quod in hac una ſtruenda fraude non duos treſve peccare neceſſe eſt; ſed plurimos, hos opera, illos conſilio. Cui malo debent Prælati obviam ire; præſertim quum id facile ſint aſſecuturi, modo ſemel appareat; indigna matrimonia invitis parentibus ineunda in perpetuum eos repellere (ad quod ceteroqui ex officio tenentur) in perpetuum inquam; niſi ſicubi circumſtantiæ aliud ſuadeant.

Digitized by Google

ut etiam illi, qui in aliis Matrimoniis non indignis, maxime filiorum libertati, & ultra honestatis fines indulgent, non diffitentur. Itaque Judex, qui talia conjugia, vel favore prosequitur, vel indulgentia fovet, vel non impedit, suo deficit muneri in re tam gravi, & a lethali culpa nullimode valet excusari. Hoc argumento utuntur *Dicastill.* loc cit. *Bonacin.* loc. cit. n. 26. & alii. Optime *Rebell.* loc. cit. n. 9. vers. *Probatur primo*, ubi subtiliter arguit, quod si Prælato liceret talia conciliare conjugia; *Dabitur bellum justum ex utraque parte inter Prælatos talia conjugia conciliantes, & parentes ad eadem dissolvenda contendentes. Habent enim Patres jus impediendi nuptias filiorum ob justam causam.* Quod plures affirmant usque adeo verum esse, ut in dubio de Justitia causæ, præsumptio stet pro parentibus. Ita *Molphes.* in Summ. tract. 4. cap. 7. (licet alias, nimiam erga filios præseferat indulgentiam) tandem cedit veritati num. 24. concludens his verbis: *Quamvis in dubio præsumendum est pro parentibus, & nunquam debent filii sine parentum consilio, & consensu Matrimonium inire.*

108. Secundo loco urget evidens absurdum, quod Ecclesiæ Præsules, quibus incumbit motum honestatem promovere, ac suarum ovium peccata coercere pro viribus, cum ingenti scandalo tot filiorum criminibus cooperarentur. Hoc utique argumentum liceat aliorum verbis proponere. *Ita Gutierez.* Canon. quæst. lib. 1. cap. 20. num. 23. ante med. ibi; *Quinimo in hac specie, si aliud faceret* (Episcopus) *dum Matrimonio inter valde Impares favere vellet; sibi forsan, ac suæ coscientiæ detrimentum afferet, tanquam cooperator, atque exequutor peccati filii.* Addit. *Rebell.* loc. cit. num. 9. *Si Prælati ejusmodi nuptias parentibus injuriosas concilient, cooperabunt peccato contrahentium, & in ferenda parentibus injuria socii erunt.*

109. Nec satis erit ad vitandam scandalum suumque munus adimplendum, non cooperari. Id fortasse excusaret quemquem privatum hominem non Judicem, non Pastorem. De eo enim verificatur, quod dum *potest prohibere* offensam, *& non prohibet, si est superior, & Judex, videtur consentire.* Felin. *in cap. Quanto, de sent. excom. num.* 2. & ibi: *Innoc. Ancaran. Joan. Andr.* & alii, quos allegat *Card. Tuscus* to. 6. lit. P. Conclus. 894. præcipue num. 7. ibi: *Et quod præcise Prælatus teneatur prohibere mala, cum possit, ... est Textus in cap. Præterea 23. quæst. 8., & in Can. Error. distinct.* 83. Tenetur igitur Episcopus Matrimonia cum peccato, & parentum injuria celebranda pro viribus impedire, vel ob istud motivum, *quia filius peccat ineundo Matrimonium in tali eventu*: Prælati autem *debent peccata impedire. Tum etiam quia ipsi incumbit saluti subditorum incumbere, rixas tollere, & scandala impedire.* Sic discurrit *Bonacin.* quæst. 4. cit. punct. 17. num. 26. vers. *Si sumptis.*

110. Tertio efficacissime evincitur quomodo Prælatus gravissime peccet, sive favorem præstet, sive non prohibeat hujus generis connubia, ex sanctitate Matrimonii inter Fideles, quod esse unum de septem Ecclesiæ Sacramentis fide docemur. Quod autem Episcopalis muneris sit vetare, ne ad Sacramenta suscipienda indigne accedatur, neve indigne ministrentur, quodque horrendum sit, favorem præbere indigne accedere, & ministrare contendentibus, veritas est luce meridiana clarior. Sicuti igitur inter primas Episcopi sollicitudines illa adnumeratur, ne permistas Sanctum dari canibus, & Margaritæ projiciantur ante porcos, ut arceantur ab Altari; qui notorie in peccato versantur; multo magis, qui in ipso actu sumendi, vel ministrandi sacrilege, & irriverenter se gererent, ita etiam cavere debent, ne Matrimonium contrahant ii, quos constat non aliter contrahere, quam sacrilege profanando Mysterium, quod perficiunt, quatenus in ipso actu contrahendi parentibus, & familiæ dedecus, & ignominiam ingerunt. Neque enim quoad hoc differentia ulla dignosci valet inter Matrimonium, & alia Sacramenta, saltem respectu contrahentium, qui nullo potiuntur jure ad Matrimonium sacrilege ineundum, magis quam ad Sanctissimam Eucharistiam sacrilege suscipiendam. Quapropter si-

cuti

cuti arcendi sunt ab Altari, si peccatum eorum sit publicum; ita possunt prohiberi a Matrimonio propter eandem causam, quæ in Matrimoniis indignis semper urget. Nam disparitas contrahentium ac parentum justa repugnantia semper notæ sunt, ac ideo filiorum peccatum nunquam censeri debet occultum.

111. Nec obstat sententia illorum, qui putant, Parochum non æque peccare assistendo Matrimonio, dum contrahitur ab iis, quos novit peccato detineri, sicuti dum ministrat Eucharistiam indigne petenti, quippe in Matrimonio Parochus non est (31) Minister. Nam contrarium est verius, ut solide concludit *Arriaga* tom. 7. tract. de Sac. in gener. disput. 21. sect. 6. num. 36. & seqq. Præcipue attenta dispositione *Tridentini*, ex qua Parochi præsentiam redditur validum Matrimonium, ac proinde inevitabile est affirmare, quod Parochus assistens moraliter præstat operam ad Sacramenti confectionem. Ac ideo *Suarez* agnoscit in Parocho nedum parem, sed majorem obligationem quoad Matrimonium, quam quod cætera Sacramenta, itaut specialem in isto diligentiam adhibere teneatur, ut deprehendat, an contrahentes cum debita dispositione accedant. Sic docet in tertiam partem *S. Thomæ* super q. 65. art. 4. disput. 18. sect. 2. circa med. vers. *Dixi in Conclus.* Et post ipsum *Dicastill.* de Sacram. in gen. disput. 3. dub. 12. n. 271. ibi: *Unde in assistendo contractui Matrimonii, (in quo quamvis non sit Minister Sacramenti Parochus, in multis assimilatur ministro, & non debet assistere indigne petenti) præmittendæ sunt inquisitiones de moribus, de vita &c.* & in specie, quod Parochus ante omnia inquirere debeat de consensu parentum, monent *Barbos.* de Paroch. par. 2. cap. 21. num 1. & *P. Segneri in Parocho instructo* cap. 23. §. 2. Luculenter, & solide punctum examinat Serrarius to. 2. opusc. de Cathol. matrim. cum Hæretic. ubi cap. 3. ex professo demonstrat, quomodo peccent Parochi assistendo Matrimonio eorum, qui in statu peccati, & actu peccando contrahunt, & cap. 4. late probat obligationem Episcopi ad impediendum, dum potest. Ibi inter cætera argumentum deducit ex *Tridentino*, quod sess. 24. c. 10. mandat Episcopis curare nuptias, ut ea, qua decet, modestia, & honestate fiant, cujus rationem subdit: *Sancta enim res matrimonium, & sancte tractandum*. Itaque si honestatis, & modestiæ cura incumbit Episcopo: quo jure negligere valet, quæ spectant ad Religionem servandam, & sacrilegia removenda? Ideo concludendum cum *Card. Laureæ* t. 3. in 4. sentent. disput. 22. art. 22. n. 549. *In mortali contrahitur, & sic DEUS offenditur, ruinæ spiritualis proximi inducitur, fidelitas in ministrando non observatur, sanctum canibus datur, ideſt peccatoribus, & Sacramentum matrimonii sua efficacia privatur*. Ad hæc auxilium præstare, vel ea non impedire, utrum lethalem culpam inducat, aliis relinquimus judicandum.

112. Maxime in casu de quo agitur, in quo nulla suppetit gravis causa impellens Parochum, ut assistat, Episcopum, ut faveat, quin nec ipsum contrahentem; ut ineat Matrimonium, nisi ut suam effrænatam libidinem expleat. Imo tot vigent motiva ab indignis nuptiis retrahentia, ut possit absque hæsitatione affirmari, causam filiorum geri, si arceantur a conjugio, cujus quam cito continget ipsos inutiliter pœnitere. Etenim, cum ut plurimum hujusmodi matrimonia contrahantur ab iis, qui ob amorem, libidinemque ex blanditiis, vel maleficiis non sunt in recto sensu, dum faciunt id, quod alii sanæ mentis non gererent; proinde cum tali prohibitione, & diligentia potest quis induci postea ad contrahendum Matrimonium dignum, & æquale in recto sensu, & justo judicio, absque eo, quod dicatur gestum contra libertatem Matrimonii, ut cum *Cabiplanc. de Baron.* lib. 2. super pragmat. 9. num. 10. animadvertit *Reverendissimus de Zaulis* ad Stat. Faventiæ lib. 4. Rub. 26. num. 42.

123. Quæ-

(31) Hæc oppositio per se ruit in ea sententia: quam sup. *adnot.* 24. proposuimus, & ut veriorem amplexi sumus: quæ docet, Sacerdotem esse verum sacramenti hujus ministrum.

Digitized by Google

113. Quarto denique clarissime apparet culpa Prælati, si super denunciationibus dispenset, nam ejus facultas, ut supra etiam tangebamus, non est illimitata, sed continere se debet infra fines a *Sacro Concilio Tridentino* præscriptos, quos si prætergrediatur, lethaliter peccat, ut ex communi calculo *Theologorum, & Canonistarum* jam præmisimus. Concilium vero in nostro casu nullum Episcopo potestatem facit; quinimo in reprobandis clandestinis conjugiis, ac denunciationibus præviis statuendis, hunc inter cæteros finem intendit, ut vitarentur scandala, & discordiæ inter consanguineos, quæ frequentius subsequuntur Matrimonia insciis parentibus celebrata. Quod ex *Dominico Soto* non obscure deducitur *in 4. sent. dist. 28. q. 1. art. 1. column. 3.* & ex aliorum Doctorum sententia adnotavit *Vidal. in Arc. vital. tit. de matrim. inquisit. 3. num. 13.* Quapropter utcumque res se habeat de aliis Causis, de quibus non levis est dissensio maxime inter Theologos; hanc certe nullus approbat, ut scilicet Matrimonium parentibus injuriosum, atque scandalorum fons, & origo clanculum celebretur. Neque dubito; quin Prælato indulgenti, ut denunciationes ad hunc finem omitterentur, apprime conveniret, quod generatim de dispensationibus in Ecclesiæ legibus absque rationabili causa *S. Bernardo* scripsit *S. Antonin.* par. 1. tit. 17. capit. unic. §. 20. vers. *Unde definitur. Non sunt dispensatores, sed dissipatores, & peccabunt ipsi dispensantes cum dispensatis, si reis utuntur.* Quamobrem pro casu nostro concludendum cum *Gutierez lib. 1. Canonic. qq. cap. 20. n. 25. Adversus mentem Concilii fieret, si remitterentur denunciationes, cum Concilium ob hanc rationem, ut Patri notescerent, voluit denunciationes fieri debere. Ergo ordinarius concedendo prædictam licentiam forte excederet fines suæ potestatis.* Cui dicto consentiunt Doctores omnes pro nostra resolutione sub initio laudati.

114. Reliquum esset, ut quæ opponuntur argumenta solveremus, dilueremus difficultates, Textus explicaremus. At quænam objecta difficultatem faciunt? Qui Textus vel specie tenus nostris resolutionibus adversatur? Fateor non nihil me trepidasse, dum vulgo audirem, perbiberi, Matrimonia quævis quibusvis licite contrahi posse; dumque naturalis ratio, pietas, Theologorum auctoritas, ac Ecclesiæ disciplina in adversam abire sententiam adigebant, adhuc sistebam dubius, ne mihi inaudita (quo nihil facilius accidere posse sentiebam) lateret difficultas. Fefellit me tamen spes dicam an timor? Dum quotquot licuit Auctores consulens, tractatus percurrens, illud primo, illud postremo, illud unice viderim centies replicari, nempe LIBERTATEM in Matrimoniis indignis cum parentum & familiæ dedecore, cum scandalo, cum discordia inter consanguineos, contrahendis. De his conjugiis loquimur, de his Textum expetimus, desideramus argumentum, quo vel apparenter valeant cohonestari. Hæc prohibendo, hæc impediendo, non violatur libertas, sed servatur. Sic loquuntur *Theologi, sic Juris interpretes*, quos in duabus præteritis resolutionibus super puncto libertatis allegavimus. Sic quam plures alii, quorum nonnullos subdere non recusamus.

115. *Bonacina* tit. de iis, quæ pert. ad matrim. quæst. 4. punct. 17. n. 26. vers. *Neque obstat secundo*, ibi: *Neque obstat impediri libertatem matrimonii; tum quia libertas matrimonii non debet familiæ, aut proximo nocere; tum quia non dicitur libertas alicujus impediri; nisi impediatur ad id, ad quod habet Jus ad nuptias injuriosas Patri &c.*

116. *Gabriel a S. Vicentino* de Sacram. Matrim. disp. 3. q. 6. n. 48. *Ad matrimonii libertatem non spectat, quod cum peccato fiat, & cum maxima parentum injuria, sed matrimonii libertas tunc maxime est quando sine peccato est, ut patet de libertate creata; non enim posse peccare ad hominis pertinet libertatem, sed ad defectum illius.*

117. *Rebellius* de obl. just. p. 2. lib. 2. q. 14. sect. 1. sub. n. 9. *At dicere esse contra libertatem matrimonii. Negandum est assumptum, nec enim minuitur libertas nubendi, sed potius regulatur, & perficitur &c. esse enim liberum ad malum faciendum potius est imperfectio libertatis, quam conditio necessaria.*

118. *Joannes Martinon.* to. 2. de Sacram. disput. 71. sect. 9. n. 118. *Ita contrahere non est*

Digitized by Google

est uti, sed potius abuti sua libertate. Debetque libertas contrahendi esse justa, & rationabilis.

119. *Barbos.* super *c.* 17. *requisivit.* 17. *de Sponsal. n.* 4. Hanc firmat regulam: *si coactio fiat, auget potius libertatem, quam minuit. Dummodo ad id impellat, quod sub peccato mortali quis facere tenetur.* Quod verificari in casu nostro, ex iis, quæ supra firmavimus, quisque facile colliget.

120. *Anton. a Spirit. Sanct.* in direct. tract. 11. disput. 5. sect. 7. n. 267. vers. *Unde. Nec hæc restrictio est etiam indirecte contra libertatem, quæ desideratur in matrimonio. Nam libertas, quæ in matrimonio desideratur est libertas honesta, & rationabilis hoc est quæ secundum rationem, & debitum honestatis sit.*

121. Et aliis aliorum responsionibus prætermissis illam omittere non licet. Quod scilicet hic non agitur de prohibendo filiis simpliciter Matrimonio, sive de ipsis cogendis ad ducendam hanc, vel illam mulierem arbitrio parentum, vel Prælati. De hac restrictione libertatis, utrum quandoque licita sit, vel ob commune bonum, vel ob urgentissimam causam succurendi indigentiæ Patris, nostra non interest tem decidere. Loquimur duntaxat de impediendo conjugio cum muliere, vel viro indigno ob vitandam infamiam, dissidia, ac cætera, quæ in dies orini mala, etiam inter conjuges ex his connubiis despiciuntur: Facta in cæteris libera facultate filiis quamlibet ducendi feminam ipsis bene visam. In hac sane tam justa, tam honesta, tam ipsismet filiis proficua limitatione non valemus capere quænam violentia subsit, quodve libertatis vel minimum præjudicium. Hoc optime animadvertit *Menoch.* lib. 4. præsumpt. 189. n. 82. & seqq. ibi: *Non enim matrimonium impeditur, qui si uni nubere non potest, alteri potest.* Et infra, *num.* 84. *Non impedit matrimonii libertatem, quia, etsi nubere prohibetur indigna, potest tamen nubere digno.* Et aliis allegatis tenuit *Gratian.* discept. for. to. 1. cap. 5. num. 10. *Nam libertas matrimonii licet non possit impediri in totum, potest tamen modificari ratione personarum.* Consentit *Card. de Luca* t. 14. adnot. ad Concil. Trid. disc. 26. n. 37. & 38. idem *Gratian.* cap. 213. num. 25. *post Felin.* in cap. 1. *de Sponsal. num.* 20. *Quamvis prohibeantur nuptiæ cum aliquo; dummodo alteri possit nubere, ex hoc non impeditur libertas matrimonii.*

122. Neque enim ad libertatem pro Matrimonio requisitam necessaria est effrenata quædam licentia, per quam liceat contemnere honestatem, caritatem, pietatem, etiam justitiam. Modum, ac mensuram in Matrimoniis cernimus definitam in sacris Litteris, in Ecclesiæ Canonibus, in Summorum Pontificum Decretis; nec tamen ex ipsis violatam libertatem licet suspicari.

123. Replicant nihilominus: *Concilium Tridentinum* videtur plus aliquid tribuere huic libertati. Ad eam tuendam anathemate ferit eos, qui ad Matrimonia cogunt directe, sive indirecte; sint Domini temporales, sint Magistratus, sive alterius dignitatis, aut gradus existant. Ita sess. 24. de reformat. matrim. cap. 9. Ubi illam firmat regulam: *Maxime, nefarium esse matrimonii libertatem violare.* Igitur neminî licebit filium contrahere volentem quovis titulo a Matrimonio arcere.

124. Verumtamen hæc objectio statim evanescit, si locus Concilii percurratur, nec aliam meretur responsionem. Siquidem ibi sermo est solummodo de sæculi potestatibus, quæ ad certum Matrimonium viros, vel mulieres maxime divites, & spem magnæ hereditatis habentes minis, ac pœnis adigunt, & compellunt. Hoc prohibet, hoc sub anathemate Concilium vetat; quia proculdubio libertatem violat, nec alia causa fieret, nisi ex terreno affectu, & cæca divitiarum cupidine. Cæterum Concilium nihil de iis, qui non cogunt ad certum conjugium, sed ab uno duntaxat prohibente nihilque denique de impedimento ex ejusta causa oppositio ibi statuere, communis fert Doctorum sententia, de qua *Gutierez* lib. 1. Canonic. quæst. c. 20. n. 32. *Boss.* de contract. matrim. c. 11. §. 3. ubi n. 30. addit. ex Zypæo de Sponsal. n. 6. in fin. *Excommunicationem Tridentini non incurrere Judices, qui ad instantiam parentum includunt*

Digitized by Google

dunt alicubi filios ut cum ratione cauſſam examinent &c. & alii congeſti per Barboſ. in Collect. Concil. Trid. de reform. matrim. cap. 9. cit. quibus adde de iis, quæ pertin. ad matrim. quæſt. 4. punct. 17. ſub num. 16. ibi: *Neque obſtat decretum Tridentini, ubi videtur injunxiſſe excommunicationem cogentibus, & prohibentibus matrimonium. Ratio eſt, quia Concilium loquitur de cogentibus ad matrimonium, non vero de prohibentibus, ut multi Doctores teſtantur. Tum quia etiamſi admitteremur Concilium loqui de impedientibus, intelligendum eſſet de impedientibus abſque juſta cauſſa, ut bene tradit Coninck de matrim. diſp. 28. dub. 5. nu. 48. Rebell. par. 2. lib. 2. q. 14. a. 9. Menoch. to. 1. conſ. 69. n. 63. In hoc caſu matrimonium ex cauſſa impeditur.*

125. Tandem ne vel leviſſimam aliquam difficultatem ſilentio præterire videamur; occurrendum eſt quorumdam præcipue Canoniſtarum auctoritati, qui ut vitarent anguſtias Jure Cæſareo in Matrimoniis contrahendis definitas, in oppoſitam ex diametro ſententiam deſcendiſſe reputantur, quatenus Jure Canonico omnes civiles illæ leges fuerint abrogatæ, atque adeo circa nuptias, nihil non liceat filiis, etiam parentibus invitis. Enim vero non eſt valde difficile illorum dicta cum communi Theologorum, ac perilluſtrium Canoniſtarum ſententia concordare, ſi videlicet affirmemus illos non ſatis diſtinguere inter licitum, & validum, ut moris eſt Doctorum, qui pro Foro Fori commentaria exaraverunt. Nec aliud voluiſſe, niſi quod filiorum conjugia, quantumvis indigna, & parentibus inſciis, vel contradicentibus copulata, firma, ac rata habenda forent, nec humano arbitrio venirent diſſolvenda; quod veriſſimum eſſe refragari nemo poteſt. Sic antiquorum dicta conciliari facile poſſe autumat *Card. Palcott.* in tract. de ſpur. & noth. cap. 8. num. 14. ibi: *Id tamen non reticebo poſſe & mediam quamdam in hac re opinionem adſtrui, quæ cæteris æquior, & probabilior videatur, nempe ut dicamus Jure etiam Pontificio conſenſum Patris ex præcepto requiri. Si tamen adhibitus non ſit, non ideo dirimendum, quia & alia multa legibus prohibentur ne fiant, quæ tamen facta ſolent ſuſtineri.*

126. Hæc ſane de conjugiis filiorum familias duntaxat proſecuti ſumus. Ac ne videamur aliorum indignas nuptias ſilentio comprobare, ſubdere fas eſt, quod idem omnino ſentiendum erit de quolibet matrimonio cum detrimento familiæ, ac conſanguineorum dedocore contrahendo; ſive parentes, ſive fratres, vel ſimili proximo conſanguinitatis gradu conjuncti, ſi uxorem ducant infamem, longe imparem, unico verbo, quæ decus ſanguinis notabiliter denigret, mortaliter peccant, nec unicum, ſed totidem admittunt crimina, quot demonſtravimus filios indigne contrahentes, inexcuſabiliter detineri. Injuſte lædunt famam, honorem proximi: illicite odiis, diſcordiis, cæteriſque Peccatis viam aperiunt: virtutem pietatis, qua non ſolum filii erga parentes, verum & parentes ad filios, ac omnes conſanguinei ad mutuo ſe colendos obligantur, turpiter violant. Rem ita ſe habere perſpicuum fiet diſcurrendo per ſingula momenta rationum, quibus propoſitas reſolutiones ſatis credimus ſtabilitas. Adeoque nomine (32) *parentum* in hanc materia veniunt etiam in ſubſidium proximiores, qui locum parentum tenent, & ſub quorum cura, & cuſtodia exiſtunt. *Ad Texti in l. unic. §. Oportet C. de rapt. Virg. l. In conjunctione 20. C. de nupt. cap. Videtur, qui matrim. accuſar. poſſ.* & ex *Pontio*, & aliis notant *Boſſ.* de contract. matrim. cap. 11. §. 8. n. 88. *Panimoll.* dec. 45. n. 18. & paſſim Auctores ſupra relati.

D U.

(23) Id jam ſupra Adnot. 21. ad titulum loco animadverſum ab Archiepiſcopo noſtro *Dub. II.* adnotaveram; neſcius ſcilicet id hoc fuiſſe.

Digitized by Google

DUBIUM IV.

Utrum permittendum sit filiisfamilias inire Matrimonia cum persona indigna, cum qua præcesserunt sponsalia juramento firmata.

Obligatio, quæ oritur ex Sponsalibus nudis tam in foro interiori, quam exteriori a num. 127. *ad* 129.
Obligatio circa Sponsalia jurata declaratur. a num. 140. *ad* 144.
Sponsalia sive nuda, sive jurata super indignis nuptiis inita parentibus invitis non obligant ex communi fere Theologorum, & Canonistarum *sententia, a num.* 145. *ad* 177.
Ejusdemque conclusionis fundamenta, & rationes expenduntur a n. 178. *ad* 192.
Justa caussa irritandi sponsalia filiorum, ob infelices exitus, scandala, aliaque mala, quæ ex inæqualibus, vel indignis nuptiis cum parentum dissensu oriri solent a num. 193. *ad* 210.
Justa dissolutio sponsalium ex indignatione parentum, & timore privationis hereditatis, a num. 211. *ad* 213.
Ponderatur eadem promissio, de re illicita, numer. 214. *&* 215.
Subnectuntur exempla a num. 216. *ad* 218.
Prælati, seu Judices Ecclesiastici debent impedire, seu irritare hujusmodi sponsalia filiorum a num. 219. *ad* 232.
In comprobationem ejusdem facultatis, seu potius obligationis Prælatorum in rejiciendis filiorum sponsalibus respondetur contrariis argumentis a n. 233. *ad* 239.
Concluditur, hujusmodi filiorum sponsalibus, & illicitis nuptiis repugnare veram praxim totius Ecclesiæ etiam in sensu Sacri Concilii Tridentini *a num.* 240. *ad* 250.

127. INfandum scelus tot nominibus execrabile pejori facinore tueri contendunt effrenes juvenes, eorumque callidi defensores, ut jura, quibus indigna Matrimonia prohibentur, eludant, Jure jurando se obstringunt illas ducere in uxores, quibus uti cœperint concubinis. Hæ videlicet ab iniquis genitricibus edoctæ, omnis generis lenocinio adolescentes alliciunt, ut perdite exoptent, enixe petant, quod sub specie pudoris, se nunquam concessuras testantur, nisi jurata fide futuri conjugii. Itaque *Dei* nomine invocato se coinquinant stupro; exinde specioso prætextu servandæ fidei, adimplendi Juramenti, ac compensandæ injuriæ honestæ virgini illatæ, Ecclesiæ præsidium incredibili expostulant audacia, jactitant non suam caussam agi, sed *Sacrorum Canonum*, quibus statuitur, jubetur, jusjurandum inviolabiliter servari, resarciri damnum illatum, ad defloratorem virginis eam sibi matrimonio copulare.

128. Usquequo hæc vera sint, atque utrum aliquam limitationem recipiant, explicare (inviti licet) aggredimur. Urget quippe Sacrorum Antistitum zelus non valentium siccis oculis intueri, quomodo perjuria, stupra, impietas erga parentes, Sacri fœderis nuptiarum profanatio, vetera denique scandala superius enarrata, nedum impune grassentur, verum etiam sub pietatis prætextu quamplurium favore atque tutela potiantur.

129. Itaque ut veritas, satis sub generalibus regulis obnubilata perspicua fiat, par fore ducimus, has duas obligationes sejunctim pertractare; prius videlicet illam, quæ ex juramento inducitur pro adimplendis sponsalibus de futuro; deinde verba facturi de altera, quæ ortum habet ex speciali ratione stupri.

130. Sponsalia definiuntur *Mentio, & repromissio futurarum nuptiarum L. 1. ff. De Spon-*

Digitized by Google

De Sponsal. & in cap. Nostrates Cauſ. 30. q. 5. Futurarum nuptiarum promiſſio. Eamdemque definitionem amplectuntur unanimiter *Theologi* poſt *Magiſtr. ſent. in 4. diſt. 27. S. Thom. ibi quæſt. 2. art. 1. in corp. S. Bonavent. diſt. 28. artic. 1. quæſt. 1. in concluſ.*, & Canoniſtæ *ſuper Rubric. de ſponſal. ibi: Præpoſitus n. 2. Butr. num. 1.* Cæteros dabunt *Sanchez. de matrim. lib. 1. diſp. 1. num 1., & Covarr. tom. 1. in Epit. in 4. decretal. part. 1. de Sponſal. cap. 1. num. 1.* Ex recent. optime *Martinus Perez de Matrim. diſp. 1. ſect. 2. n. 1., & ſeq., Gonzal. Tellez in Comment. ſuper cap. Præterea de Sponſal. a num. 1.*

131. Propterea ſicuti ex cæteris promiſſionibus mutuis, ac acceptatis oritur obligatio adimplendi promiſſum, ita ex ſponſalibus conſurgere debitum contrahendi matrimonium, niſi juſta, ac rationabilis cauſſa excuſet, procul omni dubio tenendum eſt cum communi *Theologorum & Canoniſtarum*, itaut qui renuat ſtare Sponſalibus, lethaliter peccet, *S. Thomas loco cit. ad 2. ibi: Dicendum quod ex tali promiſſione obligatur unus alii ad matrimonium contrahendum, & peccat mortaliter non ſolvens promiſſum, niſi legitimum impedimentum interveniat.* S. Bonav. loco cit. *Si dicat quis, ego conſentiam in te; ſe conſenſurum promittit. Quia vero eſt promiſſio, ideo eſt obligatio; ſecundum enim Jura cogendus eſt vir, ut mulierem accipiat in uxorem, niſi aliquis caſus intervenat, qui ſolvat Sponſalia.* S. Antonin. ſum. 3. par. tit. 1. cap. 18. §. 1., ac reliqui omnes, quos lato calamo congerit *Sanchez de Matrim. lib. 1. diſput. 18. num. 7.* & poſt ipſum *Martinus Perez diſput. 6. ſect. 1., Boſſ. de contract. Matrim. cap. 11. §. 5. num. 36., Card. de Lauræa in 4. ſent. tom. 3. diſp. 37. art. 7., Gonzalez Tellez in Comment. ſuper cap. Præterea cit. num. 5.*

132. Evincitur autem hæc obligatio ex generali ratione pacti, & contractus, in quibus invicem ſibi aliquid promittentes tenentur exequi quod promiſerunt; ac ſi materia gravis, ſic ſequitur obligatio ſub gravi. Nihil enim tam fidei humanæ congruum eſt, quam ut pacta ſerventur, & adimpleantur *leg. 1. ff. de pact. cap. 1. & 2. de pact.*: idque negare repugnat principiis Juris naturalis, Divini, & humani, ut bene obſervat *Boſ. cap. 11. cit. num. 36.*

133. Neque obligatio prædicta procedit ex ſola virtute fidelitatis, ut videtur ſentire *Hurtadus de Matrim. diſput. 1. difficul. 6. num. 223.* verum etiam ex Juſtitia commutativa, ut poſt *Sanchez de matrim. lib. 1. diſput. 27.* concludit *Perez diſput. & ſect. 2.*, & ſolide confirmat; maxime quia virtus fidelitatis reſpicit ſolummodo debitum liberalis promiſſionis, at in ſponſalibus adeſt ultro citroque obligatio correſpectiva, & promiſſio repromiſſione compenſatur; eo proſſus modo, quo in reliquis contractibus oneroſis, ex quibus ſtrictum Jus quæritur pro utroque contrahente, ac proinde rigoroſum debitum Juſtitiæ reſultare *Doctores* omnes agnoſcunt. Sive igitur ſponſalia reducantur ad contractum inominatum facio ut facias, ut innuit *Sanchez diſput. cit. num. 2.*, ſive habeantur pro contractu nominato, prout affirmant *Robert. Konig. ſuper Tit. 1. de Sponſal. num. 51. verſic. ad hæc, & Chriſtoph. Scambogen. eod. tit. n. 25.*, ex iis ſtrictam adimplendi obligationem conſurgere, ne Juſtitia lædatur, jure non poteſt in dubium revocari, quod alios cumulatis optime confirmat *Gonzalez Tellez ſuper d. cap. Præterea n. 8. circ. med.*

134. Revocatur quidem in dubium, utrum aſſerta obligatio locum ſibi vindicet in Foro exteriori. In contrarias ſententias diſcedunt tum *Theologi*, tum *Canoniſtæ*. Negant aliqui, alii affirmant; plerique ſic diſtinguunt. Si ſponſalia ſint nuda, putant Judicem non poſſe compellere ad implementum, poſſe tamen, ac debere, ſi fuerint Jure jurando confirmata. Singularum auctores, ac viam ipſos conciliandi tradunt *Sanch. de matrim. lib. 1. diſput. 29. n. 5. & Averſa de matrim. quæſt. 8. ſect. 8. verſ. 5. dubitatum.* Nos ſatius ducimus ab his abſtinere, ne videamur perſequi novitates, ac contra ſententiam paſſim in Curiis uſu receptam procedere. Cæterum animadvertere fas eſt, ſententiam negantem obligationem Sponſalium quoad Fo-

rum

Digitized by Google

rum judiciale docuisse *S. Thomam in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. ad 2.*, aliosque gravioris notæ *DD.* quos dabunt *Sanch. & Aversa locis citat.*, quos immerito erroris damnat *Covar. in Epit. tom. 1. part. 1. de Sponsal. cap. 4. num. 3. & 51.*

135. Recepta itaque nunc temporis opinio, & ad praxim quotidie revocata fert, sponsalium obligationem procedere etiam in Foro Fori, atque compellendum esse renuentem Juris remediis, ut matrimonium ineat, nisi rationabili causa excusetur. Idque verum esse, sive sponsalia sint nuda, sive jurata. Ita *DD.* fere innumeri, quos congerit *Bos. d. cap. 11. nu. 35., Ricc. resol. 406., & 419., Card. de Lauræa in 4. sentent. tom. 3. n. 232. disput. 37. citat. art. 7. Perez disput. 6. sect. 2. n. 6., Card. de Luca de matrim. disc. 8. n. 2. & 3., Gonzal. Tellez super cap. Præterea citat. n. 5., Adden. ad decis. 431. tom. 2. part. 4. recent. num. 65.* Idemque pluries volut certum supposuit, vel decidendo firmavit Sac. Rota, ut in *Mediolanen. Sponsalium coram Bamphilio 14. Martii 1608. inter ejus. impressas 96. num. 1., & in dec. 142. par. 15. rec. in princ.* & alibi..

136. Tametsi autem *ex Jur. Cod. & Pandectar.* videantur sponsalia nullam parere actionem in Foro externo (sic *in L. 1. c. De Sponsal.* ibi: *Alii desponsatæ, renunciare Conditioni, & nubere alii non prohibentur;* & ibi *Gloss.* affirmans id licere cum causa, & sine causa; cui videntur consentire *Cin., Gratian., & Panormit.*, de quibus *Sanch., & Aversa locis citat.*) tamen vel præfatus *Textus* æquiorem recipit interpretationem, quatenus intelligatur procedere supposito consensu Sponsi, ad differentiam matrimonii, in quo non licet etiam de consensu resilire: vel dicendum correctam fuisse dispositionem Civilis Juris Jure Ecclesiastico, ut præter *DD.* relatos notat *Konig. super 4. Decretal. tit. 1. de Sponsal. num. 51.* (33)

137. Fateri tamen oportet assertam *DD.* sententiam, & Curiarum praxim non ita aperte ex *Jure Canonico* comprobari. Enim vero, ut moris est cursim scribentium, quam plures allegantur *Textus*, qui legenti nil minus sonant, cum procedant vel de sponsalibus per verba de præsenti contractis, quæ sunt verum matrimonium, vel de promissionibus juratis, in quibus apparet perpendi specialem rationem Juramenti ad inducendam obligationem. Frustra in primis adducuntur *cap. Atho, cap. Desponsatos, & cap. Conjuges Caus. 27. q. 2.*, quorum Casus erant de matrimoniis ratis, ut ex tenore *Textum, & Glos.* animadvertit *Perez disp. 6. sect. 1.* Frustra quoque afferuntur *c. Ex literis 2. & c. Requisivit de Sponsal.* est enim in his sermo de sponsalibus juratis. Immo ratio decidendi præcipue in Juramento fundatur. Sic in *c. Ex litteris: Quia igitur prædicto G. periculosum est contra suum Juramentum venire, mandamus &c.* Et in *cap. Requisivit*, quod *Mulier Juris jurandi Religione neglecta nubere renuit, cui se nupturam interposito Juramento firmavit.* Minus id evincitur per *cap. Juramenti 22. quæst. 5.* qui dicitur a *Covarr. optimus Textus*, nam illius verba desumpta ex *Chromatio* non habent vim legis, & insuper nulla fit mentio compulsionis in Foro externo; imo solummodo procedit de *Judicio Dei*, ideoque quoad Forum conscientiæ.

138. Unicus *Textus*, in quo nulla mentio Juris jurandi, suppetit in *cap. Præterea extra de spons.* in quo affirmatur illos qui mutuo de matrimonio contrahendo sibi fidem dederunt, commonendos, & omnibus modis inducendos; ut promissam fidem observent. Veruntamen neque ex hoc *Textu* evincitur intentum, tum quia agebatur de sponsis, qui communi consensu statuerant resilire, in cujus facti specie nemo dubitat, quin liberum sit spondenti a sponsalibus recedere, tum quia imo ex verbis

(33) Res eo redit. De jure veteris Latii apud Gellium IV. 4. ex sponsaliorum stipulatione olim actio ex sponsu dabatur: quæ jure Romano Pandectarum & Cod. nulla datur: imo alterutri sponsorum permissum est pœnitere; etsi cujus pœnitet, is arrhas datas amittit, aut acceptas reddit duplicatas. Longe alia est Juris Canonici ratio, quod, vult quidem, suadet, imo & minis urget, ut impleantur sponsalia de futuro, sed non plane compellit..

Digitized by Google

bis literæ manifeste deducitur Judicem non debere illlos adigere ad matrimonium contrahendum.

139. Ex hoc itaque *Canonum* silentio circa sponsalia non jurata, non pauci *Doctores*, quos colligunt *Card. Mantica de Tacit. lib. 3. tit. 17., & Antonell. de Regim. Eccles. lib. 5. cap. 2. n. 4.* inferebant Judici tunc solum incumbere munus compellendi ad exsecutionem sponsalium, cum constat ea fuisse interposito Juramento firmata. His autem non movemur ad discedendum a sententia communius recepta, maxime ne videamur contemnere tot gravissimorum *DD.* auctoritatem, ac frequentiorem praxim Curiæ Ecclesiasticæ. Attamen fatendum est non ita facile deveniendum ad compulsionem pro adimplemento sponsalium, quibus non accessit Juramentum, ac leviorem causam sufficere, ut Judex juste a coactione (34) abstineat, quod præclare insinuavit *Abbas in cap. Requisivit de Sponsal. in fine, Præpositus in cap. 1. n. 12. de pact.* & alii quos cumulat *Mantic. de Tacit. lib. 3. tit. 17. n. 6., & Rota in Comen. Sponsalium 10. Junii 1705. §. Præmissaque, coram Rño Molines. Decana.*

140. Ex hactenus firmatis circa sponsalia nuda facile colligitur quid veri sit, si fuerint Juramento firmata. Etenim dubitare non licet quin Juris jurandum novum vinculum addat, quodque magis peccabunt qui fidem frangerent sub Juramento promissam. Non defuere quippe, qui dicerent sponsalia jurata eamdem vim habere cum nuda promissione; eo quia, *quoad Deum paris conditionis est simplex promissio, & Juramentum: Boss. cap. 11. cit. num. 37., & Adden. ad dec. 431. par. 4. tom. 2. rec. n. 64.* ubi *quod Deus non facit distinctionem inter Juramentum, & simplicem loquelam, qui dixit, sit sermo vester, est est, non non &c.* Verum tamen hæc per exageration nem prolata censenda sunt; ad concludendum scilicet quod promissiones mutuæ vim habeant obligandi, quamvis Juramentum non intercesserit, non autem quasi negetur specialis reverentia Deo debita, qui jurejurando in testem advocatur, ut bene observat *Gloss. super Can. Juramenti 22. quæst. 5. vers. Distantiam.* Nemo igitur ex Catholicis vertit in dubium, quin sponsalia potiori jure sint observanda, dum additur Juramentum, quodque ab illis sine justa causa recedere sit gravis noxa contra Religionem, quatenus non tantum homini sed *Deo* quoque teneatur reddere promissum, qui promittendo juravit; quippe qui Deum testem, & quasi fidejussorem adhibuit; ut pro more egregie antiquioribus allegatis expendit *Suarez tom. 2. de Relig. tract. de Juram. lib. 2., Castropal. par. 3. tract. 14. disput. 2. punct. 1. n. 4.*, & innuit *S. Thom. in 4. dist. 27. quæst. 2. art. 1. ad 2.* ubi de spons. sal. & clare docuit de Juramento promissorio in genere 2. 2. *quæst. 89. art. 7.* Consentit *S. Bonav. tom. 5. in 4. sent. dist. 28. art. 1. quæst.*

(34) Ea manifesta est sententia *cap. Requisivit, de sponsal.* ubi illud ponitur: *Quum liberæ debeant esse matrimonia, monenda est potius quam cogenda: quum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere.* Ad hanc normam exigendę sunt cęterorum canonum decisiones minus claræ. Nec facile ad censuras deveniendum puto, etiam ficubi sponsalia jurejurando firmata fuerunt (quidquid de hoc Canonistę plures & Morales Theologi definiverint) nam in cap. *ex litteris eod.* etsi dicitur *Ecclesiastica censura compellas*; tamen potest, opinior, hoc compelle intelligi de mera comminatione censuræ. Deinde utut istud *censura compellas* interpreteris, tamen ibid. statim additur, *Nisi rationabilis causa obstiterit*: at in hoc negotio vel levissima causa habetur pro rationabili, quia coactiones habent in hac re difficiles exitus. Et quidem inter omnes convenit, si post censuras, adhuc pars renuat nubere, non esse ulterius procedendum, immo renuentem absolvendum esse a censura. At quanto præstabilius fuerat ab initio censuris parcere? Quas contemni non oportere, graviter Tridentini Patres sess. 25. de Ref. cap. 3. admonuerunt. Atque hanc generalem Trid. sanctionem sequuntur hodie cordati Episcopi; quorum neminem reperias acerbe nimis censuris abuti ad sponsos urgendos, ut fidem impleant. Et hactenus dicta procedunt in validis sponsalibus. At sponsalia in gratiis parentum facta nullius valoris esse, ac proinde non obligatoria, mox aperte demonstrabitur.

Digitized by Google

quæst. 2. Consonant Jurisperiti, quos cumulat *Barbos. tract. ver. de axiom. Jur. axiom.* 134. *n.* 2., *Gonzal. Tell. super cap. Præterea de Sponsal. n.* 6., ac passim alii, & traditur in perspicuis Textibus *cap. Debitores*, *cap. Si vero*, *cap. Cum contingat de Jurejur.*, *cap. De illis*, *cap. Ex literis*, *cap. Commissum de Sponsal.* Itaque res adeo certa est, ut supervacaneum foret plura in illius confirmationem adducere.

141. Neque hic locus est discutiendi celeberrimam quæstionem non minus inter Juris Interpretes, quam inter Theologos controversam de vi, qua pollet Juramentum ad confirmandos contractus. Dubium late pertractant *Suarez de Juram. lib.* 2. præcipue *cap.* 29., *Sanchez lib.* 1. *de matrim. disput.* 32., *Basil. Pont. de matrim. lib.* 12. *c.* 8., *Castrop. par.* 3. *tract.* 14. *disp.* 2. *punct.* 9., & ex Canonistis *Gonzal. Tellez super cap. Cum contingat.* 28. *de jurejur.*, *Gutier. de Juram. confirm. par.* 1. *cap.* 34. *&* 37. *Barbos. super cap. Cum contingat* 28. *cit.* alios colligens. Siquidem quod spectat ad contractum sponsalium inutilis prorsus esset disputatio, ut egregie discurrit *Gonzalez Tellez super citat. cap. Præterea de Sponsal. num.* 8. Illa enim controversia locum sibi vindicat, quando adhibetur Juramentum ad valorem actus alias invalidi, in cujus observantia nullum versatur peccatum. Si vero adhibeatur circa validitatem actus, qui alias sui natura validus est; tunc sequitur naturam actus, cui adhæret *leg. fin. C. de non num. pecun. cap. Quemadmodum de jurejur.* Unde cum Sponsalium actus validus sit, & Juramentum tantum ad majorem firmitatem sit adjectum; debet sequi actus naturam. Et quidem in materia sponsalium hæc fuit semper sententia *Rotæ* præcipue *in Mediolanen. Sponsalium coram Cincio* 437. *num.* 8. ibi. *Neque facit quod ista sponsalia sint jurata, quia si supervenerit nova causa, Juramentum non obligat, cum assumat naturam, & conditiones contractus, cui adjicitur.* Idemque post antiquiores tradiderunt *Barbos. super cap. Præterea de Sponsal. num.* 5. *Koning. in 4. decretal. super tit.* 1. *de Sponsal. n.* 60., & alii quamplures.

142. Fatendum est nihilominus, quod cum sponsalibus accessit Juramentum, fortius urget argumentum ad illa exequenda, quodque Judex studiosius agere teneatur, ut inducat renuentem, ac si aliter suadere non valeat, compellat ipsum etiam per Censuras, ut deterreatur a frangenda fide, & abstineat a perjurio, prout unanimiter tradunt *DD. Sanch. lib.* 1. *disp.* 29. *n.* 5., *Bos. d. cap.* 11. *n.* 38., *Aversa quæst.* 8. *sect.* 8. *vers. Quinto dubitatur*, & ex Canonistis *Præpositus super cap. Requisivit de Sponsal. n.* 2. *Abb. super cap. Ex literis n.* 3., & fuit expressa sententia *Rotæ in dec.* 1112. *coram Seraphino n.* 2., ac decrevit Sacra Congregatio Concilii apud *Fagnan. super cap. Is qui fidem num.* 12. *de Sponsal.* dum respondit, cum qui juravit contrahere matrimonium, cogendum ab Ordinario per Censuras.

143. Tandem non licet silentio præterire, quatenus compulsio Judicis ad inducendam partem renitentem adimplere sponsalia, sive nuda jurata, non debet esse præcisa, sed moderata, ut loquitur *Rota d. dec.* 1112. *n.* 2. *cor. Seraphin.*, itaut si prævideat Censuras futuras inutiles, abstinere debeat a coactione, *Rot. cor. Pamphil. dec.* 96. *n.* 6.; ac si post declaratoriam censurarum altera pars pertinaciter recuset matrimonium contrahere, etiam si non petat, veniat absolvenda, ne scilicet ficte, ac sine consensu matrimonium exterius contrahat, vel ita coacte consentiat, ut ex Conjugio pravus exitus timendus sit, ut collectis concordantibus, ac plerisque *Sacræ Rotæ Decisionibus* firmat *Barbos. super cap. Ex litteris de Sponsal. nu.* 5., *& super cap. Requisivit* 17. *eod. tit. num.* 3. additis recentioribus in *Albanen. Sponsalium super Censuris* 15. *Decembris* 1710. *§. Verum & seqq. cor. R. P. D. Ansaldo, &* 26. *Junii* 1711. *§. Et hinc cor. R. P. D. Scotto.* Sic conciliatur quæ in his duobus *Textibus* apparet contrarietas: quod nempe in *cap. Ex literis* decidatur, compellendum esse per Censuras qui renuit adimplere sponsalia, at *in cap. Requisivit* potius monendam esse, quam cogendam mulierem renuentem nubere ei, cui se nupturam juraverat. Sic præter relatos a *Barbos.* tenent *Bosd. d. cap.* 21. *nu.* 43., *Aversa quæst.* 7. *sect.* 8., *Antonel. de Regimin. Eccles. lib.* 5.

cap. 2. nu. 3., *Panimoll. dec. 23. n. 18.*, *Card. Albit. de inconst. in fid. par. 1. cap. 9. n. 20.*

144. Libuit hæc præmittere, atque in vestibulo longius forsan quam par erat immorari; ne quis suspicetur eo nos tendere, ut suademus impune licere rigorosum sponsalium fœdus violare, ac promissam matrimonii fidem infringere, etiam Jurisjurandi religione contempta. Satis ab hac calumnia nobis caviſſe putamus. Jam ad resolutionem propositi Dubii descendimus.

145. Tota difficultas versatur in hoc: Utrum laudatæ leges de obligatione ex sponsalibus, maxime Jurejurando interposito, consurgente, locum habeant etiam cum adolescens, vel puella juravit se contracturam indignas nuptias, quibus parentes cæterique de familia juremerito contradicant, quæque totius nobilis domus decorem minuerent, ac famam deturparent juxta tradita in superioribus dubiis, præcipue in *secundi Dubii* resolutione.

146. Vera sententia, quæ & communior dici valet, sive quia expresse a Doctoribus tradita, sive quia evidenter deducta ex principiis indubitatis apud omnes Theologos, & Canonistas, fert hujusmodi matrimonia non licere; nullam ex præfatis (35) sponsalibus obligationem oriri; Imo & jusjurandum sacrilege ad illa firmanda adhibitum fuisse; tantumque abesse ab eo quod servari debeat, ut potius injuriam Deo irrogaret, qui divinum testimonium vinculum haberi vellet iniquitatis. Ita sentiunt fere omnes qui punctum sedulo examinarunt, vel agentes de sponsalibus, vel de juramento, quod in hac materia sequi naturam actus, ejusque conditiones recipere satis firmatum est.

147. *Layman. Theol. moral. lib. 5. tract. 10. cap. 1. n. 14. verſ. Enimvero.* „ Si ex matri-
„ monio quod Filius, vel Filia contrahere cogitat, ob disparitatem Sponsorum ti-
„ meatur familiæ dedecus, tunc parentes illud impedire possunt, ac debent, et-
„ iam implorata Judicis auctoritate, ad cujus officium pertinebit cavere ne talia
„ matrimonia, ex quibus scandala, vel infelices exitus sequi solent, contrahantur.
„ Idque locum habet, non tantum antequam sponsalia celebrata sunt, sed etiam
„ postea; quia promissio non obligat, quæ versatur circa rem illicitam, videlicet
„ circa matrimonium cum peccato contrahendum: quare locum habet Juris rego-
„ la, in malis promissi fidem non expedit servari, cap. In malis de regul. Jur. in 6.

148. *Gabriel. a S. Vincentio de Sacram. Matrim. disp. 5. qu. 3. n. 5.* „ Sponsalia obli-
„ gare non possunt ad actum qui sine peccato poni non potest. Unde si notabili-
„ ter caritas læderetur, vel parentum pietas dissolveretur, contracta sponsalia dis-
„ solvi possunt etiam si Juramento firmata fuissent.

149. *Ferdinandus Rebellius de obligat. Just. par. 2. lib. 2. qu. 14. sect. 1.* Statuit Prælatum debere se hujusmodi Nuptiis opponere, & subdit *num. 9. verſ. Secundo quia.* „ Ne-
„ que obstat quod Sponsalia etiam jurata antecesserint. Quoties enim ea sine pec-
„ cato impleri nequeunt, ad sui impletionem non obligant.

150. *Franciſc. Texeda tom. 2. lib. 4. tract. 1. num. 79.* „ Cum tanto dedecore patris,
„ & propinquorum scandalo implere non tenetur promissionem, neque matrimo-
„ nium exequi, quia Justitiæ virtus obligare non debet ad actum, qui sine pecca-
„ to impleri non potest, qualiter intervenit si puella tam nobilis cum viro tam inæ-
„ quali matrimonium contrahat cum propria ignominia, & patris mœrore.

151. *Bonacina de iis quæ pert. ad matrim. quæſt. 4. punct. 17. verſ. Neque obſtat 3.* ibi: „ Neque obstat Vinculum sponsaliorum jam celebratorum; tum quia sponsalia
„ non obligant ad rem illicitam, tum quia Sponsus non tenetur sponsalia perfice-
„ re, quando ex eorum adimpletione grave immineat malum, seu scandalum. Ubi
ad-

(35) Vide de hoc argumento peculiarem Mantissam quam ad calcem hujus *Dub. IV.* adnectimus.

advertendum Auctorem loqui de obligatione Judicis ad impediendum tale matrimonium.

152. *Optime Aversa de Matrim. qu. 8. sect. 15. vers. Et quidem.* „ Si ob notabile damnum, vel scandalum non erat ei licitum cum tali persona conjugari eique promittere, poterit juste ab illa promissione recedere; & poterit etiam a Judice inhiberi ne contrahat, *ac pluribus citatis subdit rationem*: Non enim potest quisquam promittere, & se obligare ad aliquid illicitum faciendum. Poterit ergo juste, ac licite recedere, imo tenebitur. Ultimo *in vers. Pro altera* concludit id totum procedere etiam si sponsalia fuissent jurata.

153. *Thomas del Bene de Immunit. tom. 1. cap. 8. dub. 19. sect. 9. n. 43.* „ Ad Judicis officium pertinebit cavere ne contrahantur similia matrimonia. Quod non solum locum habet antequam celebrata sunt sponsalia, sed etiam post; quia promissio, quæ versatur circa rem illicitam, scilicet matrimonium cum scandalo, & peccato contrahendum, non obligat. " *Quare tunc locum habet Juris regula 69. in 6. In malis promissis &c.*

154. *Cardinalis Laurea tom. 3. in 4. sent. disput. 37. art. 11. §. 8. n. 458.* Ennumerans causas resiliendi a sponsalibus ait: *Scandala; quæ certo sequi possunt, si fiat matrimonium sunt causa sufficiens ad dissolvendum sponsalia*, & num. 460. addit id procedere etiam si sponsalia sint jurata.

155. *Antonius Cottonus Controver. Celebr. lib. 5. controv. 1. de matrim. cap. 2. num. 43.* sic habet: „ Obligant nisi prævideantur secutura scandala inter consanguineos, nam tunc impleri non possunt sine peccato; & promissio quæ impleri sine peccato nequit, irrita est.

156. *Bossius de contract. matrim. cap. 11. num. 93. & seqq.* docet ex *Rebellio, & Menochio*. „ Non solum parentes habere jus impediendi nuptias filiorum ex causa justa, sed etiam hoc adeo verum esse, ut etiam sponsalia jam facta, etiam juramento confirmata, possint parentes ea ex causa irritare.

157. *Adam Opatou. Tract. de Matrim. disput. prima qu. 7. num. 105. de sponsal.* etiam Juramento firmatis inquit: „ Si inter Parentes contrahentium odia interveniant; ita quod se opponant contrahendo matrimonio; propterea dissolvi possunt, ac debent.

158. *Georgius Gobat. Experient. Theolog. tract. 10. cas. 3. n. 105.* „ Si tamen matrimonium filii, aut filiæ esset cessurum in probrum parentum, sponsalia non subsisterent, utpote conjuncta cum injuria tertii.

159. *Franciscus de Amico tom. 9. disput. 29. sect. 4. n. 71.* „ Casu in quo cum probabili periculo futuri scandali sponsalia contraherentur, quia non possent executioni mandari sine peccato, quod committeretur in ipso matrimonio ineundo, invalida forent.

160. *Egidius Coninck. de Sacram. disp. 23. dub. 8. nu. 68.* inter causas non adimplendi sponsalia etiam jurata hanc enumerat: „ Si alterius partis parentes obstinati contradicant matrimonio, itaut ex eo contracto esset periculum ne lethales inimicitiæ orirentur inter partium affines, aut inter parentes, & ipsos sponsos, aut alias malus exitus omnino timeretur.

161. *Reginaldus in prax. pœnit. tom. 2. lib. 31. cap. 36. num 264. in fin.* „ Si lædetur proximi caritas, dissolvetur parentum pietas, & cognatorum amicitia; cum peccatum sit taliter contrahere matrimonium, sponsalia quibus id promissum est, quia sine peccato impleri non possunt, censeri debent dirempta.

162. *Gibalinus de usu. lib. 3. cap. 2. art. 6. num. 5.* „ Si grave aliquod scandalum jure merito timeatur ex futuro illo matrimonio, contrahendum non erit; sive vere, sive ficte fuerit promissum.

163. *Castropalaus par. 5. tract. 28. disp. prima punct. 27. num. 7.* „ Si alterius partis parentes obstinate contradixerint; ex qua contradictione timeri merito possit discor-

„ ſcordia gravis inter conſanguineos, ſeu parentes ſponſorum, uterque a ſponſali-
„ bus ſolvitur, quia in eo eventu utrique durus eſt contractus, & gravi periculo
„ expoſitus mali exitus.

164. *Salmaticenſes tom. 2. Theol. moral. tract. 9. cap. 2. punct. 6. num.* 85. firmant obligationem ſervandi fidem ſponſalium, at ſubdunt limitationem: „ Niſi forte ex
„ tali matrimonio magnum ſcandalum ſequeretur, & jurgia, aut diſſenſiones in-
„ ter parentes, aut conſanguineos, quia in tali caſu etiam ſi ſub juramento ma-
„ trimonium eſſet promiſſum non obligari ad illud docent auctores, & quod talis
„ promiſſio eſſet rei injuſtæ, quæ abſque peccato non poſſet adimpleri: quapro-
„ pter juramentum, quod non eſt vinculum iniquitatis, non poſſet talia ſponſa-
„ lia confirmare.

165. *Maſtrius in 4. diſp. 7. quæſt. 9. art. 3. num.* 275. „ A ſponſalibus poteſt eſſe liti-
„ tum reſilire, ſi prævideatur ſequuturum grave malum, vel magnum ſcanda-
„ lum, vel aliud grave incommodum; etenim juſtitia non obligat ad faciendum
„ malum; eſt autem malum celebrare matrimonium cum ſcandalo aliorum.

166. *Martinus Perez de matrim. diſp. 5. ſect. 3.* „ Virtus juſtitiæ obligare nequit ad
„ actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, ut certum eſt; at contrahere ma-
„ trimonium cum magno ſcandalo eſt culpa lethalis, cum notabiliter caritas pro-
„ximi lædatur, & cognatorum amicitia diſſolvatur &c. Hinc colligo poſſe Pa-
„ trem impedire ſponſalia filii, vel filiæ contra ejus voluntatem inita, interveniente magno ſcandalo.

167. Denique ne longiori tædio lectorem afficiamus, ſat erit recolere, quod in propoſita concluſione omnes Theologi conſentiunt, licet non omnes eodem innitantur principio. Plures ſiquidem ſponſalia præfata, maxime inter impares, invalida ab initio (36) affirmant. Reliqui cenſent diſparitatem ſponſorum non inficere valorem, ſed limitant illorum obligationem, ut evaneſcat in caſibus in quibus vel proximorum injuria, vel ſcandalum, vel detrimentum pietatis, vel aliud grave incommodum ſequeretur. Videri poſſunt *Filiuc. tract.* 10. *cap.* 7. *n.* 55. *Trullench. in prax. Sacram. tom.* 1. *lib.* 7. *cap.* 2. *dub.* 12. *nu.* 2. *Florentinus Coq. tom.* 3. *princip. Theolog. cap.* 12. *ſect.* 3. *n.* 10. *Franciſc. Silv. tom.* 4. *in ſupplem. ad* 3. *par. D. Thom. q.* 43. *art.* 1. *quæſt.* 2. *verſ. De priori., Petr. a S. Joſeph. in Theol. Sacram. lib.* 4. *cap.* 2. *reſol.* 7. *Eſcobar. Theol. moral. tom.* 3. *par.* 2. *lib.* 24. *ſect.* 2. *dub.* 23.

168. Ne tamen Theologos tantummodo conſuluiſſe videamur, præſtat vel paucos Juriſperitos afferre, qui caſum noſtrum individualiter attingunt. Ut plurimum enim diſcurrunt per regulas generales, quas vel in præteritis dubiis recoluimus, vel in ſequentibus occurret memorare.

169. *Navarrus in Manual. cap.* 16. *n.* 18. firmat regulam ſervandi fidem ſponſalium maxime dum adjicitur jusjurandum, & ſubdit duas limitationes, prior eſt, *niſi fuerint valde impares*: poſterior vero: „ Idem dicendum de eo caſu, quo promiſſio
„ fuit vera, & ex animo facta, ſed probabile eſſet quod ex matrimonio eam con-
„ ſequuturo grande aliquod ſcandalum naſceretur „.

170. *Cardinalis de Luca de matrim. diſc.* 8. *n.* 11. *& ſeqq.* agens de juſta cauſa ſolvendi ſponſalia *num.* 17. concludit: „ Quoniam ubi ratione inæqualitatis, ſcandalum in
„ Civitate, vel in cognatione, ſeu aliquod dedecus familiæ, vel domui reſultat,
„ adhuc dicitur juſta cauſa ex deductis per *Sanch. de matrim. lib.* 1. *diſp.* 14. *n.* 3. *&* 4.
„ apud quem concordantes „.

171. *Joannes Gutierez de Juram. confirm. par.* 1. *cap.* 51. *n.* 4. *poſt medium, & lib.* 1. *quæſt.*

(36) Et hanc veriorem eſſe ſententiam, non tantum ex Theologicis rationibus (nimirum quod promiſſio turpis non obliget) ab Auctore propoſitis liquet, verum etiam ex juris utriuſque principiis id luculenter oſtendetur in Mantiſſa, quam ad calcem hujus *Dub. IV.* ſubjiciemus; in quam contulimus omnia, quæ huc pertinent.

Digitized by Google

quæst. Canonic. cap. 20. præcipue *num.* 23., *& de matrim. cap.* 4. *num.* 3. ibi: *Valida sunt sponsalia de futuro &c.* num. autem 4. „ Superior tamen sententia limitanda „ est, nisi scandalum magnum ex eo matrimonio timeretur; nam virtus justitiæ „ obligare non potest ad actum, qui sine peccato adimpleri non potest; sed contrahere matrimonium cum magno illo scandalo est aperte lethalis culpa, quia „ notabiliter caritas proximi læditur, dissolvitur parentum pietas, & cognatorum amicitia: Ergo &c.

172. *Gonzalez Tellez in* 4. *decretal super cap. Præterea* 1. *de sponsal. n.* 8. „ Sed „ ego puto non esse discrimen constituendum in sponsalibus sive juratis, sive non; „ semper namque sponsus compellendus est adimplere, nisi quando alias ex circum„ stantiis judex prudenter arbitretur gravia mala timeri, & scandala.

173. *Franciscus Zypæus Respons. tom.* 1. *lib.* 4. *de divortiis respons.* 3. *num.* 4. *in fin.* quamvis scribens ad opportunitatem pro tuenda virgine turpiter decepta, quam contendit non fuisse imparis conditionis respectu viri; adhuc fatetur ex communi DD.; „ Inæqualitatem contrahentium obsistere, quando ex inæqualibus nuptiis scan„ dala, odia, similiave incommoda oritura sint, qualia evitare jubeat caritas, & „ quæ sine peccato mortali admitti vix possint. Et idem *Consult. Canon. lib.* 4. *de sponsal. tit.* 1. *n.* 18.

174. In terminis amplioribus idem tradidit *Felin. cons.* 26. *ex eo quia contrahere sine consensu patris est contra bonos mores omnium; item ex eo quia subest scandalum*, putat, subesse justam causam solvendi nedum sponsalia, verum etiam matrimonium ratum, ubi adsit magna natalium disparitas.

175. Et pluribus citatis *Illmus de Zaulis tom.* 1. *observat. ad statut. Faventi. Rubr.* 26. *num.* 40. *lib.* 4. ubi ex *del Bene* firmat impedienda talia matrimonia *etiam post contracta sponsalia* (37).

176. *Pignatell. consult.* 61. *tom.* 4. alias *cit. num.* 1. ibi: „ Respondeo, Judicem „ posse tuta conscientia, impedire tale matrimonium, idque etiamsi sponsalia fue„ rint juramento confirmata, quod multæ rationes omnino persuadent &c.

177. Superfluum ducimus Civilis Juris interpretes hic congerere; passim enim clamant ejusmodi sponsalia esse contra bonos mores, perturbare pacem Reipublicæ, regimen invertere, atque ex illis non nisi jurgia, adulteria, sæpius etiam homicidia promanare; unde deducunt vel fuisse invalida, vel esse dirimenda, imo & a parentibus solvi posse quantumvis fuerit additum juramentum; ad rem *Donat. Anton. de Marin. tom.* 2. *lib.* 2. *resol. quotid. cap.* 132. *n.* 7. *Didacus Perez ad l.* 1. *tit. lib.* 5. *ordinam. Paschal. de patr. potest. par.* 2. *cap.* 5. *præcipue n.* 21. *Ludov. Engel. Jur. Can. tom.* 3. *lib.* 4. *tit.* 2. *num.* 11. *Costa de facti scient. & ign. dist.* 40. *cent.* 2. *in responso ibid. impresso a numer.* 31. *& per tot.* ac reliqui quos dedimus in *resolutione* 2. *dubii*.

178. Ineluctabile assertæ veritatis fundamentum in eo situm est, quod neque promissio obligat, neque juramentum illius obligationem de novo inducit, vel auget, si opus promissum, quod a Theologis nuncupatur promissionis objectum, jungitur cum peccato, & vergit interitum salutis æternæ (38). Non utique tenetur quis adimplere, quod juratus promisit, si illicitum sit, & contra bonos mores, neque sub inani prætextu vitandi perjurium valet peccatum affugere, quod in opere promisso completur.

179. Hinc trita illa axiomata: *In malis promissis rescinde fidem, impia enim est promissio, quæ scelere adimpletur*, quod ex *Isidoro* descripsit *Gratian. decret. can. in malis*

(37) Præter *del Bene* citantur a Zaulio plures alii; quos Auctores aliisin locis Noster in partes advocat.

(38) Adde leges civilles illas, per quas turpes promissiones invalidè esse ostenduntur, quas mox in Mantissa seq. producemus.

malis 22. quæst. 4. & can. non semper eadem, ex D. Ambros. Non semper promissa omnia solvenda sunt. Quæ itidem verificantur in promissionibus juratis. Etenim, *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum, cap. non est obligatorium de regul. jur. in 6.* Idque quam plurimis auctoritatibus, & exemplis ex Sacra Scriptura, Conciliis, ac Sanctis Patribus confirmat *Gratian. decret. caus. 22. q. 4. per tot.* & aperte docuit septima Synodus generalis, cujus verba habes *in can. Actionem. eod. caus. q. 4.* Ratio autem perspicue exprimitur in *cap. Quanto de jurejur.* ibi: *Juramentum fuisset illicitum, & nullatenus observandum &c.* cum juramentum non fuerit institutum, ut esset vinculum iniquitatis. Quod ita certum est, atque indubitatum, ut *SS. Patres* per excessum dixerint potius esse perjerandum, quam pro facto juramento in aliud crimen divertere *can. si aliquid 22. qu. 4.* ac melius esse pejerare, quam servare Sacramentum in operibus illicitis *can. Actione eod.* In proprietate autem sermonis nequit dici perjurium in observantia rei juratæ, sed potius juramentum ipsum in confirmatione rei minus honestæ interpositum; quod præclare docet *S. Thom. 22. q. 98. art. 1. ad primum* ibi. *Quocunque enim modo quis jurat illicitum, ex hoc ipso falsitatem incurrit, quia obligatus est ad hoc quod contrarium faciat:* Consonat *S. Bonaventura in 3. dist. 39. art. 1. quæst. 1. in conclus. tom. 5.* & late tradunt *Suarez tom. 2. de Relig. tract. 5. de Juram. lib. 2. cap. 14. n. 2. Castropal. par. 3. tract. 14. disput. 2. punct. 6. num. 3.* & Canonistæ communiter quos dabunt *Barbos. super cap. Quanto 18. de jurejur. Fagnan. super cap. Sicut de probat. n. 18. & segq. Petrus Peckius in Comment. ad regul. 58. Jur. Can. num. 1. & 6.*

180. Hæc omnia, quam optime congruant promissioni nubendi, quamvis centies Sacramento firmatæ; si jurans, vel fuerit filius familias, qui inconsultis aut juste contradicentibus parentibus nuptias inire promiserit, vel quisquis fuerit, qui personæ indignæ se copulare juraverit, itaut ex matrimonio sanguine junctorum injuria, & familiæ totius grave dedecus certo sequuturum deprehendatur; ad evidentiam usque deducitur recolendo, quæ de hujus generis indignis connubiis ex communi DD. calculo in 2. *Dubio* late tradidimus, & comprobavimus. Siquidem, cum dubio procul tales nuptiæ sine gravissima, ac multiplici lethali culpa perfici nequeant; cumque *juri naturali, Divino, Canonico, ac civili* multifariam opponantur; quicumque illas audet jurato promittere, pejerat promittendo, quia jurat id, quod vitare omni jure tenetur. Tantumque abest ab eo ut obligetur servare promissum, quin potius ad illud frangendum pietate, justitia, caritate, ac religione compellatur, ne Deum velit confirmatorem impietatis, scandali, Sacrilegii cæterorumque criminum, quæ in præfatis nuptiis toties admitti satis clare concludunt auctoritates, & momenta rationum in præmissis *dubiis* cumulata. Absit omnino, ut hujus generis sponsalia Deus approbet, aut illis sui Testimonii robur adjiciat. Ad rem *Card. Bellarm. tom. 2. controv. de matrim. lib. 1. cap. 20. vers. Sic igitur si tantum ad explendam libidinem temere sine consilio parentum conjugium ineat; non erit Auctor Deus, sed Diabolus ejus conjugii.*

181. Itaque vel dicendum indignas nuptias omni culpa vacare; vel concludendum sponsalia etiam jurata in casu nullam parere obligationem: Prius vetat unanimis Theologorum, ac Juris interpretum sententia; Verbum Dei, Sacri Canones, Leges Civiles improbant; ac perpetuo detestantur. Igitur in sensu veritatis affirmandum, nec dicite, nec valide sæpe dicta sponsalia contrahi, atque sacrilege juramento firmari. Quod si incaute contracta impie jurata fuerint recolenda, quæ de simili juramento scribebat *S. Ambros. lib. 3. de offic. cap. 12. n. 76. Tolerabilius est promissum non facere, quam facere quod turpe sit.* Profecto instantibus, ut sacrilega sponsalia adimpleantur, improperandum verbis *S. Augustini tom. 5. edit. Paris. serm. 307. inter lascivias temere juratur, & impie quod juratur, impletur.*

182. Exinde manifeste rejicitur quorumdam dictum, qui agnoscentes quod filius fami-

Digitized by Google

familias peccet ineundo sponsalia cum persona inquam affirmare nihilominus, eumdem non peccare si adimpleat; utpote quia praestat id, ad quod ex justitia tenetur. Hoc primus asseruit *Molina tract. 2. de just. disput. 271. num. 4.* & ex parte sequitur *Sanch. de matrim. lib. 1. disput. 14. n. 2. (39)*.

183. Corruit de se hoc assertum. Namque unica ratio adstruendi peccatum in contractu sponsalium praecise eruitur a malitia, quae inficit matrimonium per illa promissum. Siquidem nulla supperit specialis prohibitio praefatorum sponsalium, sed tota quanta est ipsorum inhonestas trahitur a perfidia matrimonii, ad quod praeparant; neque enim est assignabilis casus, in quo promissio rei licitae sit illicita, nisi cum specialiter fuerit interdicta promissio, dum res ipsa non prohibetur, quod totum non cogimur aliunde probare, cum disertis verbis ab isdem *Molina*, & *Sanchez* declaretur *Puella nobilis* (sunt verba *Molinae* loco cit.) *quae male facit sponsalia contra voluntatem patris cum ignobili contrahendo, eo quod executio non possit esse sine scandalo aliorum, & dedecore ipsius puellae*. Eadem verba transcripsit *Sanchez disput. cit.* Quaenam vero excogitari potest executio sponsalium, nisi contractus matrimonii, qui proinde ex adversariorum verbis non valet perfici sine scandalo? Ex ipsorum igitur confessione habemus matrimonium esse illicitum puellae, nisi velint licere opus, quod sine scandalo nequit executioni mandari. Ex quo ulterius sequitur evidenter, promissum de tali conjugio nullam obligationem admittere. Aliter admitteremus consurgere obligationem justitiae ad exsequendum opus per se scandalosum; quod absurdissimum esse, tota eadem disputatione tradiderat, immemor postea sui dicti idem *Molina*; qui praecipue *n. 5.* sic habet; „ Etiam nulla sunt ea „ promissio, aut pactum, quae idcirco sunt contra bonos mores, quod manifestam „ tribuunt peccati occasionem, vel praejudicium afferunt, facileve afferre possunt „ moribus, quos esse expedit in bene instituta Republica.

184. Haec si vera sunt, qua ratione verum erit promissionem conjugii, cujus executio non potest esse sine scandalo, quoque nihil perniciosus Reipublicae contingere potest, irritam non esse, & vel minimam parere obligationem?

185. Agnovit *Sanchez* inevitabilem absurditatem hujus consequentiae, ideoque *n. 3. cit. disp. 14.* limitavit *Molinae* dictum his verbis: „ Hoc tamen limitandum est, „ nisi scandalum magnum ex matrimonio timeatur: quia virtus justitiae obligare „ nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest; sed contrahere matrimo„ nium cum magno illo scandalo est aperte lethalis culpa, cum notabiliter cari„ tas proximi laedatur, dissolvatur parentum pietas, & cognatorum amicitia &c.“ At quivis facile deprehendit quod ratio limitationis manifeste evincit assertae conclusionis falsitatem. Namque semel admisso inconcusso illo principio, quod nempe nulla possit subsistere obligatio justitiae ad praestandum actum, qui sine peccato impleri nequit; necessario affirmandum erit nulla sponsalia subsistere, quae parentibus juste renuentibus contrahuntur; maxime dum respiciunt matrimonium cessurum in infamiam familiae; ac propterea quod sit occasio odii, detractionum, caeterorumque criminum, quae saepius enumeravimus.

186. Totum hoc paucis, sed perspicuis verbis respondit *Sum. Pontifex Alex. II.* relatus *ab Ivone Carnotensi p. 9. Decreti de incest. copul. cap. 37. de juvene qui juramento se obstrinxerat ducere in Uxorem suam Concubinam*, affirmat fuisse Reum perjurii, dum promisit; quia juramento spoponderit, quod non poterat licite adimplere: *Juramen-*

tum

(39) His adde nuperum Canonistam Anaclet. Reiffenstuel ad lib. IV. Decretal. tit. 1. n. 23. 24. ubi sponsalia clam patre facta illicita quidem, sed tamen valida dici posse, non abnuit. Utinam opinionum portenta non ut cancer serperent. Verum in ea, quae non subjicietur, Materia liquido demonstrabitur, in sponsalibus tantumdem esse illicitum, quod invalidum; secus ac in matrimonio, quod pluries est validum, etsi illicitum.

rat enim, inquit, *eam in matrimonium ducere sponsus. Peccator iste notatur perjurio, quia quod observare legaliter non potuit sine judicio parentum, temere jurare præsumpsit.*

187. Augetur maxime robur argumenti ex eo, quod nulla inducitur obligatio in promissis etiam juratis, ne dum quando opus promissum separari nequit a lethali culpa, verum etiam dum secum trahit peccatum solummodo veniale. Veritas ista cunctis Catholicis comperta est, quin & ipsis terminis innotescit; repugnat namque peccatum quantumvis leve cadere sub præcepto, nec valet concipi, ut quis simul obligetur præstare id, quod aliunde vitare debet, utpote contra rectam rationem, & a Deo vetitum. Concordant itaque in hoc principio Theologi, & Canonistæ. *S. Thom. 2. 2. quæst. 89. art. 7. in §. Respondeo ante fin. vers. Si vero sit quid & §. ad 1. in fin. & §. Ad 2. S. Bonav. in 3. dist. 39. art. 3. quæst. 3. Late Suarez tom. 2. de Relig. tract. 5. de juram. lib. 2. cap. 15. Sanch. de Matrim. lib. 1. disput. 32. n. 1. Card. Tolet. Instr. Sacerd. lib. 4. cap. 22. n. 2. vers. 1. est Jacob. de Graff. dec. aur. par. 1. l. 2. cap. 18. num. 1.*

188. Et ne quis autumet hunc esse scrupulum Theologorum, quem liceat contemnere in Foro exteriori; fas erat adnotare eumdem esse unanimen sensum omnium Canonistarum. Optime *Felin. super cap. Si vero de jur. jur. ex Abb. Joanne Andr., Imola, Butr., & Archid.* tradit *n. 4.* quod *pactum includens peccatum veniale non tenet*, & subdit: *Ista revera sunt notanda ad irritanda mille juramenta, licet venialia sint plurima.* Deducunt autem hanc veritatem ex *cap. Quamvis de pact. in 6.* ubi legitur juramentum servandum, *cum non vergit in æternæ salutis dispendium* juncto *c. Si vero 8. de jur. jur.* in quo habetur, *nisi tale fuerit juramentum, quod servatum vergat in interitum salutis æternæ.* Notant autem discrimen inter has voces *interitus*, & *dispendium* in eo reperiri, quod *interitus* significet mortem animæ, quæ per lethalem culpam inducitur; *dispendium* vero quodvis etiam leve significat detrimentum. *Sic Joannes Andreas in cap. Quamvis cit. num. 3.* ibi. *Constat, quod interitus sonat in mortem, dispendium in damnum etiam parvum:* ex quo infert, *quod si quis juraverit facere aliquod veniale, illud juramentum servare non tenetur, licet possit non vergere in interitum salutis æternæ:* pro quo est optima *Glos. super can. Si aliquid 1. caus. 22. qu. 4.* quam allegat *Pechius in Comment. ad reg. 58. jur. n. 6. ampliat. 3.* & pluribus relatis *Gutier. de juram. confirm. par. 1. cap. 6. num. 15.* ubi addit idem procedere quoties peccatum veniale esset tantummodo ex prohibitione juris positivi.

189. Jam redeundo ad sponsalia filiorumfamilias, quibus reverentiam, & honorem parentibus jure naturali, & Divino debitum tantopere violari compertum est, quibus item consanguineorum decori, ac paci inevitabile detrimentum afferri luce meridiana clarius apparet: quisnam cordatus vir, quisnam non prorsus immemor pietatis, audebit negare, quod ad minimum venialiter in iis adimplendis peccetur? Licet ne dubitare quin leve saltem scandalum suboriturum sit? Quod saltem leviter lædatur Caritas? At hoc sufficit, ut irrita, & illicita censeantur, ut quavis obligatione affirmentur vacare: Id sequitur manifeste ex communi Theologorum, & Canonistarum doctrina, id deducitur ex Sacris Canonibus citatis, quibus docemur indubitati juris esse, quod omnis promissio, etsi Sacramento fuerit confirmata, dum citra venialem culpam nequit adimpleri, neutiquam obliget ad sui implementum, ac irrita a suimet initio fuerit.

190. Clarius adhuc evincitur inefficacia sæpe dictorum Sponsalium, & levitas juramenti, seu potius gravitas perjurii adhiberi soliti pro illis inutiliter confirmandis. Quantumvis enim omnino laxaremus habenas libertati Sponsalium, ac connubiorum, ac contra jura, rationem, & auctoritatem a veniali quoque culpa indigna conjugia absolveremus: admisso inquam hoc absurdissimo supposito, non ideo recedendum

dum foret ab assertione firmata; quod scilicet regulariter, ut plurimum irrita censenda sint sponsalia indigna; neque ad standum promissis urgeat additum jus jurandum: siquidem duplex suppetit principium, alterum in jure expressum, alterum experientia certum, ac ab omnibus, etiam iis, qui ultra modum & rationem nituntur ampliare libertatem in nuptiis contrahendis, absque dubitatione admissum, quibus demonstrative deducitur præfata sponsalia non subsistere. Principium juris est; Promissum etiam juratum, & individualiter sponsalia, ex quibus juste timeatur pravus exitus, non esse obligatoria. Communis autem conclusio experientiæ consona fert sponsalia contracta inter impares, vel invitis parentibus, semper, aut sæpe sæpius vergere in exitum deteriorem. Itaque absque dubio affirmandum, illa vel semper, vel plerumque nullum parere debitum servandæ fidei perperam sub juramento promissæ.

191. Sane prior illa propositio expresse traditur per *Gratiani decret. in can. Si aliquid 1. caus. 22. quæst. 4.* „ Si aliquid forte nos incautius juraſſe contingerit, quod „ observatum pejorem vergat in exitum, libere illud consilio salubriore mutandum „ noverimus. „ Eadem verba repetita leguntur *in can. Si aliquid* 2. ead. *ex Decreto Soteris Papæ*. Verbum autem *mutandum* interpretatur *Cardinalis Turecr.* ibi *num. 5. idest non adimplendum, seu non faciendum, sed veniendum contra Juramentum*. Et enumeratis modos, quibus Juramentum vergit in pejorem exitum, etiam dum non juratur opus mortale, vel veniale, sequens *Archidiac. par. 1. decretal. super eod. cap. n. 2.*, qui eadem docet *super cap. Quamvis de pact. in 6. num. 4.*, *& Joannes Andreas ibi num. 1.* Optime *Felin. part. 2. decretal. super cap. Si vero de jur. num. 5.* ibi „ Idem dic de Juramen„ to vergente in pejorem exitum. Et *n. 7.* ibi „ & per hoc apparet non esse su„ mendum argumentum a contrario sensu ex isto Textu, quod omne id, quod „ potest servari sine interitu salutis æternæ debeat servari si est juratum. Imo eti„ am si esset contra bonos mores naturales, non ligaret &c. „ Et clare tenuit *Glos. in cap. Si vero cit. vers. Salutis æternæ*, ubi late *Abb. n. 3. 4. & 5.* Consonant Theologi; eamdem regulam ut certam supponunt *Magister in 3. dist. 39.* & ibi *S. Bonav. art. 3. q. 3. in conclus. S. Thom. 2. 2. q. 89. art. 7. in resol.*, *& ad 2. Sotus de Just. lib. 8. quæst. 1. art. 7. Jacob. de Graff. dec. aur par. 1. lib. 2. cap. 18. n. 1.*

192. Et in propriis terminis sponsalium juratorum idem deducitur *ex cap. Requisivit de sponsal.* ubi statuitur neque injuste repugnantem reddere juratam fidem cogendum esse, & pro ratione adducitur: *Quia coactiones solent difficiles exitus habere*. Et ibi Glossa: *Nota quod Ecclesia dispensat hic contra Juramentum propter rationem, quæ hic redditur*. Et dubio procul Ecclesia semper abhorruit a conjugiis, quæ deterior exitus videtur sequuturus: Sic in *cap. Præterea 2. eod.* ibi. *Ne forte deterius inde contingat*, & in *cap. Cum locum* eodem *Ne sequatur exitus, qui de invitis solet nuptiis provenire*. Quapropter præfatam regulam & communem sententiam DD. sequens constanter amplexa est *Sacr. Rot.* ut quoties malum aliquem exitum prospexerit timeri, nedum abstinuerit a coactione, verum addiderit justam subesse Causam solvendi sponsalia etiam jurata, imo quoque impediendi matrimonium. Utrumque perspicue docuit in *dec. 437. cor. Coccino*, ib. *n. 3. Hæc justa videtur causa ut recedatur a sponsalibus, & matrimonium impediatur, ne matrimonium infelicem exitum habeat*. Idemque habetur in decisione super eadem causam *coram Pamphil. 96.* præcipue *n. 6.* ubi refert doctrinam *Collect. in cap. 2. vers. Credo tamen quod Eccles. de Sponsal.*, scribentis, *levissimam causam sufficere propter infelices exitus. Et Adden. ad eamd. decis. num. 10. legitima quoque causa reputaretur periculum mali exitus matrimonii*, & allegat *dec. 374. n. 7. cor. Celso*, & aliis collectis *Rot. dec. 207. par. 1. rec. n. 9.* ibi: *Si quidem ut plurimum exitus parum felices fortiuntur, & decis. 16. par. 10. rec. n. 45.* ibi: *Ulterius constat de maximo infelicis exitus timore, casu quo sequatur tale matrimonium; ac plurimi collecti per Paul. de Rub. in adnot. ad dec. 431. par. 4. rec. tom. 2. n. 71., & 79.*

& no-

& 79. & novissime *coram Pirovano in Romana Sponsalium 9. Febr. 1629. §. Quid in fine, & in Albanen. Sponsalium super Censuris 15. Dec. 1710. §. Quamobrem, cor. R. P. D. Ansaldo, confirmata 26. Jun. 1711. cor. R. P. D. Scotto.*

193. Superest modo inspicere, an liceat sperare facilem exitum ex indignis nuptiis, quas sibi parentibus invitis, totaque familia renuente filiifamilias parere non erubescunt. Piget equidem rem adeo per se manifestam, quamque quotidiano discimus experimento, pluribus adductis testibus comprobare; nihilominus nonnullos saltem cogimur proferre, ne quid minimum videamur arbitrio definire. Audiamus itaque quid loquantur.

194. *Paul. Rub. in Adnot. cit. ad dec. 331. par. 4. tom. 2. recen.* quamvis acerrimum se præbeat defensorem obligationis ortæ ex sponsalibus etiam inter impares, compellitur veritatem fateri *num. 83.* „ Matrimonia enim plerumque infelices exitus „ habere solent, quando inter impares contrahuntur *Menoch. cons. 385. n. 5.* super „ hoc exempla infinita adducere possem, & *num. 86.* subdit: Sicuti quoque infaustos exitus habere solent illa matrimonia, quæ inter amore excæcatos contrahuntur, ut notum est". *Cened. in Collectan. Jur. Can. ad cap. Veniens de Sponsal. n. 5.*

195. *Gutierez Canon. quæst. lib. 1. cap. 20. num. 17.* „ Ex hujusmodi matrimonio filii cum indigna contrahentis summa discordia inter patrem, & filium induci „ posset: & num. 18. Quia vero dissidium inter eos, qui se amore obcæcati ducunt, facile exoritur; matrimoniaque infelicem ex eo exitum habent, sicut & „ quæ coactione fiunt. Et num. 20. Quæ sane causa rationabilis est, ut recedatur a sponsalibus, atque ita matrimonium impediatur. &c." Pergit deinde totum confirmare rationibus, & exemplis.

196. *Barbosa in Collect. super 4. decretal. cap. 17. Requisivit num. 6.* „ Nuptiæ coactæ malos exitus habere solent. *Et in fin.* Id enim plerumque contingere solet „ quando inter impares contrahuntur. Et super *cap Veniens 13. 1. eod. n. 5.* Matrimonium inter amore excæcatos ut plurimum habet infelicem exitum.

197. *Donat. Anton. de Marinis tom. 2. lib. 2. resol. quotid. cap. 132. num. 3.* „ Et enim matrimonia hæc dum secreto celebrantur, odium parentum in filios, dissensiones inter consanguineos, cæteraque magni ponderis mala oriuntur.

198. Et ne longius procedamus, pleno ore testantur utriusque Juris DD. quos lato, & erudito calamo congerit *Tiraquell. de lex. Connub. lib. 3. n. 20.* ibi „ Æquas „ litas est Mater concordiæ, contra inæqualitas odii, dissidiique parens est". Quod exemplis, & rationibus ex Philosophiæ, ac Juris principiis petitis abunde confirmat usque ad num. 31.

199. Ex recentioribus testantur *Pignatell. tom. 4. consult. 11. Ullmus de Zaubis super stat. Saxon. lib. 4. Rubr. 26. num 41. & seq.*

200. Præclare autem eamdem veritatem docuit *Rota dec. 19. part. 10. recent. n. 59.* ibi „ Matrimonia enim infelices exitus habere solent, quando inter impares „ contrahuntur.

201. Quod usque adeo verum antiquioribus Canonistis visum fuit, ut consuerint disparitatem istam justam afferre causam, ut Summus Pontifex solvat (40) Matrimonium

(40) De vinculi solutione, non tori separatione, id esse capiendum vel pueri sciunt. Verum si propter metum infelicis exitus matrimonium ratum solvi potest, quanto magis sponsalia, etiamsi ab initio irrita non fuissent? Nam in hoc certe negotio verissima est illa exceptio Discipulorum Christi Matth. XIX. 10. *Si ita est causa hominis cum uxore, non expedit ducere.* Omnino si timor mali exitus, statim ac post contractum matrimonium suboluit, potest solvere matrimonium; idem si ante matrimonium fese prodat, non tantum potest, sed prorsus debet sponsalia (quia sua natura sunt revocabilia) distrahere.

Adhæc quod ad tori separationem attinet, communis est Canonistarum doctrina, propter malum

nium ratum, ut citatis *Felin.** *Soccin. Dec.* aliisque, coligit *Menoch. t. 1. de præsumpt. l. 2. præsumpt. 10. n. 39. & 40.* Propterea scilicet quia discordia, & pravus exitus magnopere in nuptiis inæqualibus timeri debeant.

202. Liceat ex plurimis hoc idem testantibus Theologis paucos aliquot adducere. *Sanchez*, qui cæteris acrius obligationem adstruit sponsalium indignorum. *lib. 2. disput. 16. num. 2.* luculentum præstat testimonium veritati, ibi: Quando contrahentes sunt notabiliter conditione impares, & affectione cæca ducti ineunt matrimonium, autumat subesse justam caussam solvendi matrimonium ratum, & subdit dicens „ Ratio est quia matrimonium ordinatur ad mutuam amicitiam, & concordiam. „ Nihil autem magis mutuæ amicitiæ, ac benevolentiæ quam conjugum dispari„ tas adversatur. Item quia experientia teste imparia connubia infelices exitus habent.“ Et plura prosequitur, quæ legere non pigebit. Unum ex nostro addimus. Si hanc justam caussam censet pro solvendo matrimonio jam contracto; cui non sufficiat ad obstandum ne contrahatur?

203. *Bossius* & ipse inter libertatis assertores nulli secundus, neque abnuit veritatem profiteri sæpius *cit. cap. 11. n. 87.* ubi exponens *Textum Tridentini sess. 24. de reform. matrim. cap. primo* docentis Ecclesiam justis de caussis detestatam fuisse matrimonia invitis parentibus contracta, hæc habet: „ Quamvis dici queat Ecclesiam „ illa semper fuisse detestatam, quia ex talibus matrimonis frequenter oriuntur scan„ dala, & magnæ perturbationes in familiis, quæ fortasse sunt illæ justissimæ „ caussæ detestationis.

204. *Jacob. Marian. in Candelabr. Myst. tract. 8. sect. 3.* ibi „ Tertia caussa infausti „ matrimonii est inæqualitas viri, & mulieris. Unde frequenter a Deo punitur ea„ rum personarum temeritas, quæ cum sint humiles, aut inopes, cum nobilibus, „ aut divitibus inire matrimonia contendunt &c. Nam disparitas conditionis fre„ quentes invenit dissensiones.

205. *Del Bene de Immunit. par. 1. cap. 8. dub. 19. sect. 9. num. 43.* „ Ad Judicis of„ ficium pertinebit, cavere, ne contrahantur similia matrimonia (scilicet inter di„ spares) ex quibus scandala, & infelices exitus sequi consueverunt.

206. *Adam. Opatov. de Sacram. Tract. de Matrim. disput. 1. quæst. 7. num. 105.* „ Si „ inter parentes contrahentium odia interveniant, ita quod se opponant contrahen„ do matrimonio, propterea sponsalia dissolvi possunt, ac debent, si quidem ti„ mendi sunt aliqui infelices eventus.

207. *Reginald. in prax. pœnitent. to. 2. lib. 31. n. 24.* de filiis contrahentibus matrimonium invitis parentibus ait: „ Immo sæpe esse mortale ob scandala, & alia ma„ la, quæ ex taliter contracto matrimonio oriri consueverunt.

208. Præclare *Michael. Salon. in 2. 2. D. Thom. quæst. 5. de Domin. artic. 5. tit. An filius temere contrahens conclus. 1. in fin.* „. Hujusmodi matrimonia regulariter gi„ gnunt scandala, inimicitias, perturbationes, & lites in Republica, inter affines, „ & cognatos utriusque partis, si personæ sint nobiles; vel saltem in domibus pa„ rentum si sint infimæ sortis. Et post pauca addit; Contrahunt multi turpiter, & in-

lum sævitiæ (quamvis non ultra processuræ; quam ad gravem verberationem), unius conjugis posse alterum divertere. De quo vide quos citat Anacletus a Reiffenstuel ad lib. 4. Decret. tit. XIX. §. 2. num. 37. & seq. Quare si ita se res habet; recurrit illud Matt. XIX. 10. *Non expedit nubere.* Nam quanto præstabilius erit sponsalia, ex quibus speratur malus exitus, dissolvere, quam aleam jactam sero tandem per divortia revocare.

* *Felini locum, quem hic citat Noster, habet super hoc eodem Dub. num. 174. Vide præterea auctores plurimos, quos citat & sequitur* nuperus scriptor *Dominicus Ursaya tom. 3. par. 1. Discept. 4. in qua tota id agit, ut ostendat, Papam quibusdam de caussis (quarum præcipua est gravis scandali timor) posse dissolvere matrimonium ratum.*

Digitized by Google

„ & indecenter cum maximo damno societatis humanæ, sicut videmus accidere „ quando similia matrimonia contrahuntur maxime inter nobiles.

209. Denique cæteris omissis, non licet præterire perspicua verba *Molinæ* qui præ cæteris indigna sponsalia formidat improbare. Is nihilominus *tom. 1. de Just. tract. 2. disp. 176. vers. Contrariam sententiam circ. med.* sic loquitur „ Experientia te„ statur eos, qui ita contrahunt, solere postea non raro dolere quod ita contraxe„ rint, neque similia matrimonia exitum prosperum habere consueverint„. Insuper affirmat hujusmodi matrimonia non contrahi „ nisi cum magno suo proprio, suo„ rumque parentum spirituali, & temporali damno, ac cum perturbatione, & de„ decore Reipublicæ „. Ea videlicet est veritatis conditio, ut adversariorum quoque testimonio confirmetur.

210. Reassumendo iterum vim argumenti sic rem conficimus. Sponsalia quantumlibet jurata vel ab ipso principio non obstringunt; vel veniunt omnino solvenda, quandocumque ex adimplemento deterior exitus jure formidatur. Hoc est principium juribus, ratione, auctoritate stabilitum. Atqui ex sponsalibus, invitis parentibus, maxime cum persona indigna contractis plerumque, frequenter, ut plurimum, deterior, ac infelix exitus oriri consuevit. Hoc experientia quotidie comprobat. V. J. Interpretes, Theologi omnes fatentur: ipsimet adversarii ultro concedunt. Igitur regula est, hujus generis promissa, quamvis juramento firmata, nihil obligare, eorumque exsecutionem ut plurimum debere impediri.

211. Quod totum efficaciter suadetur ex alio theoremate communiter admisso, atque Sacrorum Tribunalium constanti praxi confirmato; quod scilicet sæpe dicta sponsalia, nec ex vi jurisjurandi cogant, ut impleantur, si supervenerit gravis parentum indignatio, & multo magis si filios (juste, vel injuste, nil interest) sua hereditate privare comminentur. Ita tenuit *Rota in Tullen. prætensi Matrimonii dec. 1258. coram Seraphino* in cujus margine plures similes *Decisiones* allegantur; & in alia similiter *Tullen. coram Pema 13. Maii 156. quæ est 517. part. 1. coram eod.* quamque per extensum adducit *Boss. de contract. matrim. cap. 11. num. 97.*, & cum illa tanquam magistrali procedi dixit *Card. de Luca de Matrim. disc. 8. n. 10. & 11.* notans hanc justam esse causam, ut sponsalia dissolvantur; & in terminis fortioribus *Boss. loc. cit. num. 97.* scripsit „ Quod ob timorem probabilem magnæ indignationis, & male„ dictionis parentum tali matrimonio contradicentium hæc sit justa causa, ob quam „ Prælatus non debet parte instante cogere ad implenda sponsalia, sed potius (no„ ta) teneantur sponsalia dissolvere, & rescindere „: & articulo maturius discusso tenuit *Rotæ dec. 19. num. 58. par. 10. recen., & in Vienaen. prætensorum Sponsalium 12. Januarii 1705. §. Quinimmo coram Reverendissimo Kaunitz, & in Comen. Sponsalium 10. Junii 1705. §. Hanc autem justam, coram Reverendissimo Molines.*

212. Porro, ex hoc duo resultant pro veritate quam tuemur validissima, argumenta. Unum scilicet a fortiori. Quoniam si Judex tenetur solvere sponsalia ob metum indignationis paternæ erga filium; & amissio temporalis lucri est sufficiens causa, ne jurata in sponsalibus fides servetur: quanto magis tenebitur sponsalia solvere dum ex illorum implemento, innumera peccatorum, scandalorumque series in Dei offensam, & animarum ruinam agnoscitur sequutura?

213. Insuper argumentabimur velut a priori. Stante gravi indignatione parentum filius non obstringitur vi sponsalium: a quibus licet recedere, quæque Prælatus solvere potest, ac tenetur. Ergo filii familias non valent se excusare, neque a culpa indigne nubentium, neque a pœna, sub prætextu sponsalium: quæ quidem haberentur, ac si numquam præcessissent, dum ob præfatam causam ipsorum vinculum non perdurat. Et mirum sane foret, si liberum foret filiis, sive cum præjudicio sponsæ a sponsalibus resilire, sive cum injuria parentum & familiæ infamia sponsalia substinere; quodque Prælatus teneretur arbitrio filii eumdem absolvere, si temporale

lucrum

lucrum prosequi statuerit; vel favere ut sponalia exequatur, si concupiscentiæ potius morem gerere ei placuerit, contemnendo quidquid in ipsiusmet filii, cæterorumque spiritualem ruinam ex illius effræni libertate fore eventurum, manifestissime deprehendit.

214. Tandem illuc redeundo, unde extorsi sumus; inconcussi juris est, quod sponsalia sint irrrita quoties personæ spondentes non valent licite contrahere matrimonium. Veritas ista apud omnes in confesso est, nec de ea audent dubitare illi quoque, quorum interest libertatem in matrimoniis ad scrupulum usque tueri. „ Quia „ (sunt verba *Francis. Amic. tc. 9. disp. 31. num. 1. in fine*) cum sponsalia sint promissio „ ex Justitia obligans ad matrimonium futurum contrahendum, nullaque illicita „ promissio possit promissorem ex Justitia ad promissum servandum obligare, quo„ tiescumque matrimonium est illicitum, etiamsi sit validum, invalida erunt spon„ salia. *Et Dicastillo tom. 3. de Sacram. tr. 10. de Sponsal. dipf. 1. dub. 31. num. 432.* „ „ Generaliter loquendo qui nequit contrahere licite, etiam nequit valide promittere, „ neque enim valet promisso, quam promittens implere non potest licite, nulla enim „ promissio rei illicitæ valet, aut obligat. „ Disertius pro casu nostro *Robert. Konig. super 4. decret. tit. 1. de Sponsal. §. 6. n. 24.*, „ Materia, seu objectum Sponsalium est „ Matrimonium licitum, dixi licitum, enim vero valide promitti nequit, nisi per se „ licite contrahi possit. Nam etiam juxta legitimas Sanctiones pactum turpe, aut „ impossibile de Jure, vel de facto nullam obligationem inducit „. Atqui filium familias ducere uxorem parentibus ex justa causa reluctantibus, & inire matrimonium indignum cum familiæ dedecore, & consanguineorum injuria illicitum perpetuo est, quippe quia adversatur *Juri naturali, Divino, & Ecclesiastico*. Ita nulla Sponsalia valent, nulla ad sui exfecutionem obstringunt semper ac respiciunt matrimonia istius modi circumstantiis dehonestata.

215. Hactenus in abstracto de sponsalibus loquuti sumus. Modo non tædebit unum, vel alterum casum afferre, atque audire quid super ipsis consulti *Theologi* responderunt.

216. *Lessius super 2. 2. D. Thom. in Auctario verbo Sponsalia cas. 4.* sic factum enarrat „ Puella nobilis sexdecim annorum cuidam nobili adolescenti, sed inferioris fortu„ næ, hac forma verborum se obstrinxit: Ego N. promitto Domino N. jurans per „ SS. TRINITATEM per Sancta DEI Evangelia &c. me nunquam alteri nuptu„ ram; eumque accepi, & ex nunc accipio in maritum, etiamsi nostrum matrimo„ nium per multos annos non sequatur, si forte ejus parentes vel mei id vellent im„ pedire „. Nil solemnius dici potest pro sponsalibus confirmandis. Subest multiplex formula Juramenti. Prævidentur ea, quæ si fuissent occulta, possent defectum intentionis arguere. Non urget disparitas natalium, cum affirmetur adolescens æque nobilis, solumque divitiis impar aderatur. Adhuc tamen laudatus Auctor respondet primo, attenta parentum justa aversione locum esse dispensandi in sponsalibus, & Jurejurando. Secundo his verbis *sub n. 11.* „ Imo propabile est in tali casu non opus „ esse dispensatione, quia justitia non potest obstringere ad id, quod sine peccato „ fieri nequit, quale est matrimonium cum proximorum scandalo, & parentum „ gravi, & justa indignatione.

217. Similem proponit casum *Georg. Gobat. to. 1. Experient. Theolog. tract 16. cas. 4.* quem absque ambagibus resolvit. Ait itaque „ Callimachus honestæ familiæ, & for„ tunæ desponsavit sibi Calfurniam Virginem aliquanto honestioris familiæ: id fe„ cit tamen insciis parentibus. Ubi rescivit pater Calfurniæ facta esse sponsalia „ non tantum exanduit summopere, sed serio fuit minatus filiæ, se illam prætu„ riturum in testamento, nisi nuncium mitteret Callimacho. At cum hæc mittere „ nollet adivit Sedem Episcopalem, postulavitque ut dirimerentur sponsalia; quia „ tamen non impetravit, quod petebat, perstitit in proposito exheredandi filiam. *Super quo casu duo efformat dubia*. „ Quæritur primo an Calfurnia potuerit salva

„ con-

Digitized by Google

„ conscientia contrahere illa sponsalia". Secundo an parens potuerit agere quæ egit, ad quæ *n.* 111. ita respondet.

„ Ad primum apparet deliquisse Calsurniam dum contraxit sponsalia insscio pa„ rente, sciebat quippe, vel suspicabatur exoritura mala; nec deerant quibus ipsa „ apte nuberet. Apparet secundo non valuisse ejus Sponsalia; quia (nota) nequi„ bat sine gravi peccato in parentes inire matrimonium tale. Apparet tertio Judi„ cem Ecclesiasticum immerito tulisse sententiam pro valore, & obligatione illo„ rum sponsalium.

218. Plura subnectere exempla supervacaneum foret, cum ista satis sint ad evincendum, longe potiorem urgere rationem in casu nostro, dum non agimus de sponsalibus inter personas parum disparis conditionis, sed cum persona indigna, ideft valde dispare; in qua specie luce meridiana clarius simul militant omnia absurda, quæ vel divisim sufficiunt ad detrahendum valorem sponsalibus, sive ad illa solvenda, quæque adigunt Prælatum ut illorum exsecutionem juris remediis impediat. Siquidem omnino animadvertendum, *DD.* in toto discursu allegatos in enumerandis causis, per quas vel nunquam obitur, vel extinguitur sponsalium obligatio, afferre eas sub disjunctione, *sive* scilicet propter grave incommodum, *sive* propter injuriam parentum; *vel* propter scandalum, *vel* propter inimicitias; *etiam* propter dedecus redundans in consanguineos, *aut* propter deteriorem exitum verosimiliter timendum. Jam vero nos versamur in casu in quo non unum, vel alterum, sed cuncta simul enumerata mala, & facinora regulariter occurrunt; quod satis demonstrasse credimus secundum & tertium *Dubium* pertractantes. Ex hoc autem concursu causarum efficitur, ut quamvis singulæ minus efficaces censerentur; efficaciffime valeant dum copulantur ad vim sponsalium infringendam, ut singulariter advertit *Gobat. cit. tract.* 10. *cas.* 8. *n.* 341. ibi: „ Fit „ quandoque, ut concurrant plures causæ dissolutionis, quarum singulæ, etsi non „ sint sufficientes, universæ tamen sufficiunt; quia scilicet faciunt notabiliter dif„ ficiliorem contractum Matrimonii. Ratio est quia singula, quæ non prosunt; „ multiplicata juvant.

219. Stabilito firmiter (ni fallor) tum auctoritatum pondere, tum rationum momentis, quod promissio indigni conjugii vergens in aliorum infamiam (præcipue si promittens fuerit filiusfamilias; idque præstare ausus sit insscio, vel abnuente Patre) vel ab exordio sit invalida (quod puto verius) vel saltem veniat irritanda; superfluum prorsus apparet novam instituere quæstionem, utrum liceat Ecclesiæ Præsuli ab exsecutione sponsalium rebelles filios impedire. Equidem si sponsalia, si jusjurandum matrimonia promissa non valent immutare, neque ex illicitis licita reddere; si Divinum Præceptum de parentibus honorandis, si caritatis vinculum, si justitiæ debitum non solvunt; idem juris erit de matrimoniis, etsi præcesserint sponsalia, vel juramentum, ac propterea sufficiet recolere, quæ de munere Prælati in decisione tertii *Dubii* abunde satis cumulavimus. Eo magis quoniam *Theologi*, & *Canonistæ*, quos retulimus, plerique loquuntur etiam supponendo, quod sponsalia præcesserint. Si vero aliorum testimonium quærat aliquis, plures in promptu habemus, qui sponsalium meminerunt.

220. *Dicastillo tom.* 3. *de Sacram. artic.* 10. *de Sponsal.* 4. *disput. dubit.* 18. *num.* 180. „ Quamvis autem forte præcesserint sponsalia; nihil obstat quominus impe„ diri possint; quia nemo tenetur sponsalia implere, quando inde imminet ma„ lum, aut scandalum, & ex dictis colligitur posse, & imo DEBERE Prælatum „ impedire matrimonium contrahendum a filiofamilias cum aliqua, si inde pru„ denter timeatur scandalum.

221. *Gobat. Tract. cit.* 10. *cas.* 3. *num.* 106. „ Si timeatur gravis, & diuturna pa„ rentum offensa: si denique grave scandalum; irrita sunt sponsalia, potestque, „ ac DEBET Magistratus Ecclesiasticus impedire meditatum matrimonium.

122. Ro-

122. *Robert. Konig. super 4. decret. tit. de sponsal. n. 31. quartus Casus.* „ Si ex tali „ Matrimonio scandala, & infelices exitus metuendi sint; quandoquidem virtus justi- „ tiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Unde Pontifex „ jubet in tali casu Judicem debere interdicere Matrimonium *c. Cum inveta de spon.* (41).

223. *Pax Jordan. volum. 2. lib. 9. tit. 1. de dispensat. num. 268. Nono Episcopus impedit Sponsalia secundum terminos cap. Cum in tua de spons.*

224. *Ludovic. Engel. in 4. Decret. tit. de desponsat. Impuberum* §. 2. *num.* 11. „ Unum „ adhuc notabile placet hic adscribere; quod licet dissensus patris non invalidet „ matrimonium jam contractum; si tamen sola sponsalia jam contracta sint, & in- „ de ex dissensu parentum, & consanguineorum, forte propter inæqualitatem, aut „ aliam causam magnum scandalum, vel alius malus exitus timeatur; possit Ju- „ dex Ecclesiasticus tale Matrimonium prohibere, & sponsalia irritare, cum vir- „ tus justitiæ non obliget ad actum peccaminosum.

225. Egregie *Raphael. Aversa de Matrim. quæst. 8. sect.* 15. §. *Et quidem: Si ob notabile scandalum non erat ei licitum cum tali persona conjugari, poterit etiam a Judice inhiberi, ne contrahat,* & §. seq. *Quare etiamsi ipse nollet recedere* (a Sponsalibus etiam juratis) *merito poterit a Judice ex officio, vel ad instantiam aliorum, quorum interest inhiberi.*

226. Hoc idem expressa mentione præviæ promissionis tradiderunt *Thom. del Bene de Immunit. tom. 1. cap. 8. dub. 19. sect. 9. num. 43. Ad Judicis Officium pertinebit cavere ne contrahantur. Layman. lib. 5. tract. 10. cap. 1. de sponsal. num. 14. vers. Enimvero Parentes impedire possunt, ac debent, implorata Judicis auctoritate, ad cujus officium pertineat cavere ne contrahantur &c.* ac alii quorum verba supra descripsimus.

227. Hoc quoque spectant, quæ tradidit *Riccius in prax. rer. quot. tom. 1. resol. 218. n. 4.* „ Tertia Conclusio. Inter causas justas, ac legitimas non contrahendi est ma- „ gna disparitas inter sponsos, puta si unus erat ditissimus, alter vero pauper " *Paris consul. 58. num. 37. vol. 4. Cacheran. cons. 23.* „ Item nobilis, alter vero igno- „ bilis, ut fuisse decisum in Rota Romana testatur Cæsar de Grassis in *dec. de Sponsali*

228. Perspicue tandem id innuit *Sac. Rota decis. 437. cit. coram Coccino part. prima* ibi: *num. 3. Hæc justa videtur caussa, ut Matrimonium impediatur*, si infelix exitus timeatur.

229. Neque locus est timendi, quod vel utriusque spondentis minuatur libertas, aut quod jus quæsitum per juratam promissionem in minimo lædatur. Frustra clamant nonnulli parum experti Forenses; perperam scrupulum ingerunt, vel in Officio, vel in scientia tirones (42) Confessarii. dum Judices pulsant, dum pœnitentes terrent, ne fides frangatur, ne jusjurandum violetur, ne juri jam quæsito deroge- tur. Nulla fidei, nulla Religionis, justitiæ nulla obligatio sponsalibus indignis suf- fragatur. Etsi innumera id suadent argumenta ex Juribus, ex *Auctorum* consensu, ex naturali ratione, sæpius in præmissis dubiis inculcata; tamen vel pauca Testi- monia subnectemus.

230. Et quod spectat ad libertatem, solidissime respondet *Dicastil. tom. 3. de Sacram. tract. 10. de Sponsal. disp. 4. dubit. 18. num. 179.* „ Neque vero censetur impediri li- „ bertas Matrimonii, quia hæc debet esse citra scandalum aliorum. Neque ea- „ iam

(41) Ibi sic legitur: *Si persona gravis ..... de fama vel scandalo doceat .... debes ... compellere, ut a tali contractu desistant.*

(42) Maximopere optaverim, ut Sacramenti Pœnitentiæ ministri hoc Archiep. Rossanensis monitum etiam atque secum ipsi reputent. Qui si salutaria ac vera consilia hujusmodi adolescenti- bus falsa sponsaliorum putativorum fide obstrictis in tempore suppeditaverint; ne illi operæ pre- tium facient, atque extinguent opportune scin- tillas maximum incendium excitaturas. Quod si qui præposteto zelo ducuntur, etsi credant obse- quium se præstare Deo, officio certe suo desunt, inferuntque animabus ruinam.

Digitized by Google

„ iam cenſetur impediri, niſi quando impeditur ad id, ad quod quis habet jus: „ Id autem non habet filius ad nuptias patri injurioſas &c.

231. *Gibalin. de Uſur. tom. 2. lib. 4. cap. 5. art. 9. n. 4.* „ Neque libertatem, quam „ in Matrimonio requirit Eccleſia violant, ſed libertatis, quam male prætendunt, „ abuſum. Neque enim omnimoda libertas requiritur in Matrimonio; alioquin „ nunquam Judex poſſet quemquam cogere ad Matrimonium.

232. Fortius argumentatur *Adam Opatov. de Matrim. diſp. 2. quæſt. 18. num. 158.* „ „ Nota, ſi contingat quod pater ſponſalia invita filia ex juſta cauſſa diſſolvat; di- „ co quod libertas nubendi non minuitur, ſed regulariter perficitur; & ratio eſt, „ quia eſſe liberum ad malum faciendum potius eſt defectus, & imperfectio li- „ bertatis.

233. Fruſtra autem ſcandalo commoveretur quis audiens, patrem poſſe ſolvere ex juſta cauſſa ſponſalia filiæ; quippe hoc jus patri decernitur quoad ſponſalia etiam jurata ex aperto *Textu in cap. Mulier. 32. queſt. 2.* ut optime advertit *Fagnan. ſuper cap. Tua de Sponſal. Impub. n. 12.* Verba *Textus* ſunt: „ Mulier ſi quidpiam vove- „ rit, & ſe conſtrinxerit juramento, quæ eſt in domo patris ſui, & in ætate ad- „ huc puellari ſi..... ſtatim ut audierit, contradixerit pater, & vota, & jura- „ menta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur ſponſioni, eo quod contradixerit pater (43).

234. Reſpuat igitur Eccleſiaſticus Judex impudentium juvenum inſtantias, ſper- nat querelas, nec timeat, ubi non eſt timor jura violare, quin & reſpondeat cum *Auguſtino Epiſt. 157.* „ Hæc enim voluntas libera tanto erit liberior, quanto ſanior. „ Quomodo enim libera eſt, cui dominatur iniquitas? *Et tract. 41. in Joan. num. 8.* „ Non dicas liber ſum, faciam quod volo. Nemo prohibeat a voluntate mea, ſi „ liber ſum. Noli libertate abuti ad libere peccandum. Erit voluntas tua libera, „ ſi erit pia.

235. Minus ſubſiſtit alterum quo ſe recipiunt propugnaculum, Turpiter, inquiunt, ſpoliantur virgines deſponſatæ jure per ſponſalia jam quæſito. Et prorſus iniquum eſt, ut Judicis auctoritate tam enormis injuſtitia fulciatur.

236. Falſum quippe aſſumitur, dum ex promiſſione, quæ ſine culpa impleri ne- quit, jus aliquod conſurgere affirmatur. Id contra rationem, contra jura, denique communem ſenſum *DD.* procedere, prolixe ſatis comprobavimus. At detur adver- ſariis, quod immerito expoſtulant. Supponamus ex ſponſalibus præfatis conſurgere, quod volunt jus. Nonne Judex poteſt, ac debet prohibere, ne ſuo jure utatur, quem videt, vel in ſui, vel in aliorum perniciem abuſurum? Non utique juſtitiam lædit, ſed optime ſervat, qui aliquem licet (44) invitum impedit a ruina. Sic pro- digo, qui dubio procul jus habet ac dominium ſuorum bonorum, eorumdem in- terdicitur adminiſtratio *l. 1. ff. de Curat. furioſ.* Et hoc etiam per Judicem, ut ibi *Gloſs.* itaut intelligatur adempta facultas etiam teſtandi, & teſtamentum ab eo condi- tum irritum habeatur §. *Item prodigus, Inſtit. quibus non eſt permiſ. fac. Teſt.* ibi *Har- preſt. Card. de Luca de alienat. & contract. prohibit diſc. 36. per tot.* Imo etiam ſubdito licet alterius bona retinere, ſi certo agnoſcat illorum reſtitutionem domino, vel al- teri nocituram *S. Thom. 2. 2. quæſt. 62. artic. 5. ad primum:* „ Dicendum, quod „ quan-

(43) Quum verba textus ſint ex Num. c. 30. quę Fagnani loc. cit, ea Ambroſio tribuentis eſt *μοραιὰ?* Ex eo vero textu (quod cęteroqui de voto loquitur) quomodo conficiat argumentum ad oſtendendum ſponſalia filiorumfamil. eſſe invali- da, dicitur in ſeq. Mantiſſa in *Adnot. IX.*

(44) Niſi vero impiam gentilium ſapientiam ſequimur apud Horatium, *Invitum qui ſervat, idem facit occidenti*: & illud alterum ejuſdem poetę, *Jubeas miſerum eſſe libenter*. At longe alia eſt Chriſtianę Philoſophię ratio; cujus fun- damentum Caritas eſt.

Digitized by Google

„ quando res restituenda apparet esse graviter nociva ei, cui restitutio facienda „ est, vel alteri, non ei debet tunc restitui. " *Cajet.* & alii *Commentatores* ibi. Late pluribus citatis *Dicastillo de Just. & Jur. lib. 2. tract. 2. disp.* 10. *dub.* 5. *& Card. de Lugo de Just. tom.* 1. *disp.* 21. *sect.* 2. *n.* 24. ubi exemplificat in eo, qui petit gladium proprium ad se vulnerandum, vel pecuniam sibi debitam ad se inebriandum, vel ad fornicandum; & *num.* 29. firmat quod restituens rem, qua dominus prævidetur abusurus in alterius injuriam, peccet contra justitiam, ac teneatur ad damna, si quæ consequantur.

237. Porro hæc verificari in indignis nuptiis, ex sæpius firmatis credimus jure merito affirmari. Quænam filiorum ex turpi conjugio utilitas speranda, quæ non timenda animæ, & corporis pernicies? Enimvero inquit *Acac. de Privil. Par. & lib. privil. 6. cap. 6. n.* 16. „ Ipsis liberis, qui hanc eis fenestram aperire volunt pessime consu„ lunt, & quæ felicitas, qui successus Matrimoniis adsit, quæ invitis parentibus „ contrahuntur? Quid de odiis inter parentes, & liberos, inter soceros & generos hinc „ nasci solitis? Inter ipsos plerumque qui coeunt ad istum modum, discordiæ, dis„ sidiaque, vel hac ipsa de causa oriuntur. " Urget sæpius insinuata familiæ, consanguineorum, potissimum parentum denigratio, adde scandala, odia, quæ supra recensuimus. Nonne claret sic contrahentes inique abuti prætenso jure in sui suorumque perniciem, in Ecclesiasticæ ac civilis politiæ discrimen? Itaque si a meditatis nuptiis rejiciantur; ipsis optime prospicitur; Justitia, & Caritatis leges apprime servantur.

238. Pergat itaque Judex suo muneri respondere, prohibeat conjugium, ex quo maxime sponsis cupidine excæcatis deteriorem exitum conspicit imminere. Neque hoc (ait *Lelius Mancin. Jur. controv. to.* 1. *differt.* 10. *c.* 2. *n.* 32.) „ Neque hoc spon„ so, aut sponsæ, cui fides rumpitur, damnosum videri debet; imo eis consulitur, „ salubriterque providetur. Sic namque invitum, invitamve Judex servat, & quasi „ gladium, quo se enecent, petentibus negat. Et *Adam Opatov. de Matrim. disp.* 1. „ *quæst.* 2. *num.* 22. Sed dices quod Judex auctori faceret injuriam. Respondet, il„ lum non facere, nam illius utilitati consulit. Siquidem liberat eum a periculo con„ tinuorum jurgiorum, & dissensionum.

239. Ex hactenus enucleatis facile respuitur inutilis aliquorum jactatio; qui animadvertentes contrarium assumptum omni fundamento juris, ac rationis destitui, clamant sibi favere praxim Ecclesiæ, quæ in prosequendis causis sponsalium, præcipue juratorum, nihil ducere consuevit sive parentum dissensum, sive familiarum disparitatem. Id primus incidenter scripsit *Molina tom.* 2. *de just. tract.* 2. *disp.* 271. *n.* 4. & retulit *Sanch. de Matrim. l.* 1. *disp.* 14. *n.* 2. qui tamen subdit limitationes superius insinuatas.

240. Nihil profecto veritati adversius, aut magis in Ecclesiæ Præsules injuriosius dici potest, quam quod illorum suffragio scandalosa, ac iniqua connubia, vel unquam comprobata dicantur, vel in præsentiam comprobari. Praxim Ecclesiæ non ab arbitrio alicujus dicto, verum a *Summorum Pontificum* responsis, a *Sacris Canonibus Conciliorum* sive Generalium, sive Provincialium tandem ab Episcopis ipsis in Synodalibus suarum Diœceseon Constitutionibus addiscere par est. Quapropter quæ ex his fontibus hausta jam protulimus, fidem faciunt, veram Ecclesiæ praxim semper fuisse in detestandis, profligandisque nuptiis, vel ex solo parentum rationabili dissensu illicitis reputatis. Hæc denuo refricare non est animus. Cogimur tantummodo huic praxi Ecclesiæ imaginarie confictæ, & incautus prolatæ, veram Ecclesiæ disciplinam objicere irrefragabili *Sacrosanctæ Trident. Syn.* testimonio expositam; cujus verba in resolutione *primi Dubii* reddita, hic repetere congruum videtur. In *cap.* 1. *sess.* 24. *de reform. matrim.* de connubiis filiorum familias sine consensu parentum contractis sic loquitur. *S. Dei Ecclesia ex justissimis caussis illa semper detestata est, atque prohibuit.* Dedimus quoque Theologos, ac juris interpretes testantes præfata verba

Digitized by Google

nedum Matrimonia clandestina percuterc, verum etiam, quæ a filiisfamilias parentibus insciis, vel invitis, ineuntur. Illis nonnullos hic addere permissum sit.

241. *Franciscus Zypæus de Jurisd. Eccles. tom. 2. lib. 2. cap. 12. num. 2.* „ Si tamen „ filiifamilias parentibus inconsultis irreverenter contraxerint; cum Ecclesia semper „ hujusmodi Matrimonia detestata sit, *Conc. Trid. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.* „ Item *lib. 1. cap. 33. num. 4.* Statuta poenam imponentia filiisfamilias, si sine parentum auctoritate contraxerint; quod ut ait Concil Triden. Ecclesia illa Matrimonia semper detestata fuerit &c.

242. *Bossius de Contract. Matrim. cap. 11. num. 79.* „ Licet Tridentinum dicto Capitulo primo statuerit in Matrimoniis contrahendis pro validitate non esse necessarium patris consensum; tamen subdit, quod Ecclesia filiorumfamilias Matrimonia sine parentum consensu contracta ex justissimis causis semper est detestata &c. Et *n. 87.* Et hoc pacto posset intelligi auctoritas Tridentini dicentis, quod „ Ecclesia Matrimonia invitis parentibus contracta semper detestata est.

243. *Gibalin. de usur. tom. 2. lib. 4. cap. 5. art. 9. n. 3. de Matrim. Filiorumfamil.* sic habet „ Tridentinum tandem suo decreto confirmavit; non tamen licita unquam dixe voluit; unde, & graviorem noxam in ejusmodi conjugiis contrahendis a liberis committi passim fatentur DD.

244. *Sayr. in Clav. reg. lib. 7. cap. 2. num. 12.* „ Quia igitur ut plurimum incommoda magna solent eo quod filii, & filiæ Matrimonium insciis aut invitis parentibus contrahant, sequi; merito Ecclesia super hujusmodi Matrimonia prohibuit, ut notat. Conc. Trid. &c.

245. Proinde *Sacri Concilii* testimonio moti passim DD. adstruunt præfata connubia *Sacris Canonibus* damnari. *Molfes. in Comment. ad consult. Neap. to. 1. in fin. part. 7. consil. n. 36.* „ Imo Sacri Canones jubent filios debere contrahere Matrimonium de „ consensu parentum, & peccare mortaliter, si contra voluntatem parentum, & „ sine causa nuberent.

246. *Fagundez. tom. 10. in præcept. Decal. lib. 4. cap. 3. num. 4.* „ Quamvis Ecclesia Matrimonia contra voluntatem parentum, tanquam valida tueatur, non „ tamen approbat modum contrahendi, sed potius reprobat tanquam inhonestum, „ & peccaminosum, & merito, cum inde parentes gravissima afficiantur injuria &c.

247. Denique *Gonsal. Tellez in 4. decretal. tit. 2. super cap. Tua de desponsi. Impub. n. 11. prope fin.* adnotat, & pluribus firmata, conjugia, in quibus parentum consensus desideratur, inter Clandestina fuisse per veteres Canones recensita, & novissime a *Conc. Trident.* recenseri: „ Cum inter alias solemnitates consensus parentum exigatur, non immerito aliter contractum Matrimonium clandestinum appellabitur, „ atque ideo inter clandestina Matrimonia illud recenset *Trident. sess. 24. de reform. Matrim. cap. 1.* Non utique dum clandestina connubia irrita declarat, verum ubi „ illa docet perpetuo ab Ecclesia vetita fuisse, ac reprobata (45).

248. Ad hæc falso affirmari, quod Ecclesiæ forum præsto sit liberis, ut indigna sponsalia adimpleant; quisque facile comperiet; si *Sacræ Rotæ Decisiones* pereurrere, aliorumve Sacrorum Tribunalium Decreta non recusct; quippe qui hujusmodi momentis nullum assertæ praxis vel tenue vestigium supereſſe deprehendet.

249. Non

(45) Duplicem enim clandestinitatem, uti vocant, agnoscant vulgo, veteres, novique Canonistę: unam quę reperitur in matrimoniis; quę pręviis bannis, & Sacerdotis ac testium pręsentia destituuntur, eaque irritat matrimonium: alteram in matrimoniis clam patre copulatis, quę matrimonia quamvis sint valida, sunt tamen illicita ac prohibita. Ipsi etiam Protestantes, cum in Trid. Decretum invehuntur, nuptias injussu patrio factas, & ipsi *clandestinas* vocant, & a Tridentino sic vocatas agnoscunt, & prohibitas fatentur. Vide Chemnitium, & cæt. recentiores.

Digitized by Google

249. Non itaque dubitandum Judici, quin ab ejusdem Ecclesiæ praxi minime aberret, si nefariis filiorum conatibus viriliter resistat, atque modum statuat, ut libere quidem, sed non ultra fines libertati Divino, ac positivo Jure designatos, Matrimonio copulentur. Imo potius aliter se gerentes timere merito possent, ne prorsus sub inani prætextu tuendæ libertatis, & debitæ sponsalium fidei, sceleribus & scandalis præsidio sint, ac dum prætensum jus per fas nefasve nubendi servare studeant, totius honestatis, justitiæ, pietatis quoque, ac Religionis jura resolvant.

250. Rogare tandem liceat, quos audaciam crediderim admonere, ut meminerint illius moniti in *l. Legem Anastasii. Cod. de natur. lib.*, „ Nimis est indignum, ni„ mis item impium flagitiis præsidia quærere, ut petulantiæ servire liceat. In„ justa libidinum desideria nulla de cætero venia defendet, nullum sublevavit „ adminiculum.

ADMONITIO.

In Adnotationibus ad superius Dub. IV. *sæpe facta a me mentio fuit cujusdam* Mantissæ de Sponsalib. filiorum, *tanquam adnectenda ad calcem* Dubii IV. *Nunc quia id commodum Typographo non fuit: lectorem rogo, ut post finem* Dubii V. *hoc est totius Dissertationis, eam quærat. Id cæteroqui & lectori commodius fore visum, ne cogatur Dissertationis doctissimi Muscettulæ filum, insertis lucubrationibus alienis, abrumpere. Quare toties a me citata Mantissa, & quæ hanc sequentur Diatribæ duæ, inter Dissertationem, & Dissertationis Appendicem ab Archiep. elaboratam mediæ intercedent.*

DUBIUM V.

Utrum si sponsalibus additum fuerit stuprum, teneatur filiusfamilias ducere feminam alias indignam, non obstante scandalo, atque injuria parentum, seu consanguineorum?

Stupri nomen, & Stupratoris pœna de Jure Cæsareo *remissive, n. 251.*

Nuptiæ damnatæ inter Seductorem, & corruptam juxta veterem Ecclesiæ disciplinam, a n. 252. ad 254.

Stuprator Virginis hodie compellitur, aut nubere, aut dotare, n. 255.

Deflorans Virginem sub fide, & promissione futuri Matrimonii sive ficta, sive vera, tenetur præcise illam ducere n. 256. & 257.

Defloratur non tenetur nubere defloratæ, quando ex indignis, vel inæqualibus nuptiis timeatur scandalum, vel malus exitus, vel grave damnum ratione parentum, & familiæ, a n. 258. ad 289. & a n. 301. ad 310.

Et præcise ponderatur damnum parentum, & propinquorum in hujusmodi nuptiis a n. 298. ad 306. & per tot.

Virgo inferioris conditionis ex stupro etiam sub spe nuptiarum admisso non acquirit jus obsistente virtute justitiæ, & religionis, a n. 279. ad 292.

Voto simplici castitatis, vel religionis adstrictus virginem data fide Matrimonii corrumpens non tenetur illi nubere n. 290.

Sponsalia successive contrahens cum duabus puellis, tenetur priori sponsæ fidem reddere, etiamsi secundam violaverit, n. 291.

Seductio frequens filiorumfamilias ex illecebris feminarum expenditur n. 293. & 294.

Sponsalia per puellam tenuioris fortunæ a nobili ac diuste adolescente extorta, vel etiam coitu confirmata retractari valent, a n. 293. ad 297.

251. PLeraque de variis acceptionibus ſtupri, ac pœnis utroque jure contra ſtupratorem ſancitis nobis eſt otium cumulandi. Pauca tantummodo præmittere ſatius erit, ne plura ad eruditionem venditandam coarcervare videamur. Ut ſtupri nomen tum virginis; tum honeſtæ viduæ corruptioni accomodetur; utque modo ad quemvis illicitum congreſſum extendatur, modo ad violentam mulieris honeſtam vitam ducentis oppreſſionem reſtringatur: inſuper quas propter ſingula ex his cæteriſque ſpeciebus crimina pœnas ſibi ſtuprator contrahat, præcipue *Jure Cæſareo* (46), late tradunt *Harpprecht. in Commen. ſuper §. Item lex Julia de Adult. inſtit. de public. Judic. Henric. Zoes. in Commen. Pandect. ſuper tit. 5. lib. 48. ff. ad leg. Jul. de Adult. n. 57. & ſeqq. abunde Farinac. in Prax. par. 2. tom. 2. de delict. Carn. quæſt. 147. per tot.* & ex Canoniſtis *Gonzal. ſuper cap. 2. de Adult. Gutier. Canon. quæſt. lib. primo quæſt. 37.* qui congerunt antiquiores. Noſtra in primis intereſt ſcire, quid *Canone Jure* contra deflo-ratorem virginis ſtatutum ſit, præcipue quod Matrimonium cum violata contrahendum.

252. Vetuſta ſeverior Eccleſiæ diſciplina longius aberat ab eo, ut adigeret quemquam ducere virginem, quam ſeduxerat; imo vero damnavit nuptias inter ſeductorem, & corruptam. Docemur id ex *Can. 3. Concilii Aquiſgranen.* relato *ab Ivone par. 8. decret. de legit. conjug. cap. 171.* „ Placuit, ut qui fœminas (47) ſeducunt, eas „ nullatenus habeant uxores; Quamvis eis poſtmodum conveniat, aut eas dotaverint, „ vel nuptialiter cum conſenſu parentum ſuorum acceperint. Et *infra*: Qui vero „ eam

(46) Quid jus civile de ſtupro ſanxerit, vix eſt, ut paucis exponi poſſit. Adeantur DD. ad *leg. Juliam de adulteriis*. Tamen liceat ſumma rerum capita huc afferre. Duplici lege Julia ſtuprum coercebatur. Lex, quæ vocatur *Julia de vi publica*, ab Julio Dictatore, ut videtur, lata raptorem aut ſtupratorem violentum ferme capitis damnabat, præter alias pœnas. Vide commentatores ad lib. 48. Digeſt. tit. VI. qui eſt *Ad leg. Jul. de vi publica*. Altera (quæ huc maxime facit) eſt *lex Julia* ab Auguſto lata (de qua agitur eod. tit. V. qui eſt *Ad legem Juliam de Adulteriis*) quæ ſtupris ſine vi frena injecit. De qua ſic paucis accipe.

Papinianus in *l. 6. §. 1. ad l. Jul. de adult.* ait: *Lex* (Julia) *ſtuprum & adulterium promiſcue &... abuſive appellat: ſed proprie adulterium in nupta... ſtuprum vero in virginem viduamve committitur: quod Graci φθορὰν ideſt corruptionem appellant.* Nec vero in omnes virgines, ſed tantum honeſtas ſtuprum committitur; ex quo ſequitur, cum ancilla, cum libertina, cumque ea ingenua, *quæ obſcuro loco nata eſt, vel quæſtum corpore fecit*, (uti loquitur Marcianus *l. 3. pr. de concubinis*) proprie non eſſe ſtuprum jure Romano, ſed tantum concubinatum, uti viri docti colligunt ex citato Marciani reſponſo. Vide præ cæteris Heinneccium *ad leg. Jul. & Pap. lib. 2. c. 4. num. 4. p. 172.* ubi etiam vilis perſonæ exempla ponit, in ludionis, lenonis, arenarii filia. Addit Ant. Matthæus in *de ſtupro num. 3.* quum jure Romano cum vilibus perſonis, ſi nuptæ ſint, adulterium non committatur, multo minus ſtuprum commitii, ſi ſint innuptæ. Verum hoc totum diſcrimen honeſtiorum aut vilium perſonarum per diſciplinam Chriſtianorum ſublatum eſt. Ad pœnam ſtupri ſine vi quod attinet, ea in ſtupratorem honeſtum erat publicatio dimidiæ partis bonorum, at in humilem coercitio corporis cum relegatione, ex §. *Item lex Julia de adulteriis, Inſtit. de publ. judic.* præter alias extraordinarias pœnas, quas cognoſcere licebit ex Ant. Matthæo n. 8. 9. Sane illud a communi ſenſu abhorrere videbatur, quod ex lege Solonis gravius puniebatur perſuaſio, quam violentia, ut ex Lyſia adnotat Duarenus ad *l. Jul. de adult, c. 5.* Verum non temere, ſed ſapientiſſime id ſanciri, intellectum fuit, quod violentia corpus tantum corrumpat, mentem caſtam relinquat: at vero perſuaſio & blanditiæ & turpiloquium mentem prius inceſtant, poſtremo, quod reſtat, & corpus etiam polluunt.

At moribus hodiernis ſtuprata agit civiliter; & ad alimenta infanti conſtituenda, & ut ſtuprator aut ducat, aut dotet, idque etiam ſi ſtuprata cauſam ſtupro dederit. Etſi alii volunt excidere a dote eam, quæ ipſa ſtupratorem pellexit, vel ei ſe ſponte ſubſtravit, quæque mercedem, quam ſibi pacta eſt, abſtulit. At contra dotem non tantum virgini, verum & honeſtæ viduæ ſolvendam eſſe ſtatuunt. De quibus omnibus videndi ſunt practici, interque alios Carpzovius par. 2. q. 68. Atqui ſtuprator non tantum corruptæ virgini, ſed & magiſtratui obligatur ad pœnam: quæ cujuſmodi ſit, vide eumdem Carpzovium q. 69.

(47) In Gratiano hoc amplius legitur: *Placuit hi qui rapiunt feminas vel furantur aut ſeducunt, eas nullatenus* &c. Habentur hæc eadem in Barchardo, & in lib. VII. Capitular. c. 395. & in Concil. Remenſi Troslejano c. 8.

Digitized by Google

„ eam ſeduxerit, nunquam eam uxorem habeat &c. Quæ verba diminute quamvis, referuntur a *Gratiano in Can. Placuit 36. quæſt. 2.*

353. Plus aliquid rigoris quoque ferebat laudabilis illa *Canonum* ſeveritas priſcis temporibus accomodata, quatenus feminam ſe pollui a viro paſſam nulli ſinebat viro nubere, teſte *Magno GREGORIO in Epiſt. 17. alias 31. ſub cap. de Dedicat. lib. 14. ad Felicem Meſſariæ Epiſcopum*: „ Eam quam aliquis aliqua illicita pollutione maculavit in conjugium ducere nulli Chriſtiano licet, vel licebit „. Quandoque tamen factus eſt indulgentiæ locus, ut liceret Matrimonium inter virum & feminam illicito concubitu jam fœdatos. At nonniſi poſt annualem peractam pœnitentiam; ut deducitur ex *Euſebii Papæ Decretis*, & ex *S. Auguſt. in lib. de bono Conjug. cap. 14.* verbis relatis a *Gratian. in Can. denique 31. qu. 1.*

354. Vigebat adhuc undecimo labente ſæculo rigor laudatæ obſervantiæ, ut aperte teſtatur *Ivo Carnotenſis in Epiſt. 16. VValterio Meldenſi Epiſcopo* directa in *princip.* ibi: „ Humilitatem meam conſuluit veſtra fraternitas, utrum quis habere poſſit „ eam mulierem in conjugem, quam prius habuit pellicem; quod idcirco vobis „ videtur illicitum; quia apud vos hactenus fuit inſolitum „. Exinde profert teſtimonia, quæ videntur partim ſive affirmantem, ſive negantem comprobare; ac utraque conciliare contendens, concludit ſecundum juſtitiam non licere, at nonnunquam fas eſſe Canonum rigorem indulgentia temperare: „ Ut habita ratione ſalutis animarum, pro qualitate perſonarum, pro opportunitate locorum & temporum, nunc ſeveritas Canonum poſſit exerceri, nunc indulgentia quibus oportebit impendi „. Hæc adnotare placuit ut ſcrupuli eximantur iis, qui monſtrum narrari putant, dum audiunt arcendum non raro virum a connubio cum vitiata virgine contrahendo. Falſo nempe ſibi perſuadent *Juri naturali*, aut *Divino* repugnare: quod ſi verum eſſet; nunquam Eccleſiæ *Canones* contradixiſſent.

355. Mitiorem deinceps viam aggreſſa fuit *Sancta Mater Eccleſia*, labentium imbecillitati ſimul indulgens, & violatæ virginis conſulens indemnitati. Suſcitavit quodammodo jam mortuum judiciale præceptum veteris Legis, quod habetur *Exod. cap. 22.* quæ ferebat (48) *ut is qui ſeduxerit Virginem, dormieritque cum ea, dotet eam, ac ſimul habeat in uxorem*, & refertur in *cap. 1. de Adult.* Poſterius aut rigorem mitigans, aut

(48) Ex XXII. 16. 17. ſic legitur: *Si ſeduxerit quis virginem nec dum deſponſatam, dormieritque cum ea, dotabit eam & habebit eam uxorem* (Heb. *feſtinando feſtinabit eam ſibi in uxorem*: ſed Hebraiſtæ volunt, verb. Heb. *mahar*, quod vulgo eſt *feſtinare*, habere etiam *dotandi* ſignificantiam: itaque LXX. poſuerunt φερνᾶ φερνιῖ ἀντὶ ἀντῆ γυναῖκα *Dotando dotabit ſibi eam uxorem*: ubi tantumdem eſt *dotare ſibi in uxorem*, quod *ducere*: nam antiquitus tam apud Hebræos, quam & gentes cæteras mariti dotem futuræ uxori dicebant) *Si pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam virgines accipere conſueverunt.* Quiſnam vero ſit ille *modus dotis*, diſerte ſtatuitur in loco parallelo Deut. XXII. 28. 29. *Si concubuerit cum illa* (virgine nondum deſponſa)..... *dabit..... patri puellæ quinquaginta ſiclos argenti, & habebit eam uxorem, quia humiliavit illam*. Scio Grotio & aliis placuiſſe, differre facti ſpeciem, quę in Exodo, ab ea, quæ in Deuteronomio, quia ibi optio patri datur, heic non datur. Verum poſterior locus, opinor, cum priore eſt conciliandus, ſubaudiendo, ſi pater corruptæ in matrimonium conſenſerit, vide heic obiter quam poteſtatem apud Hebræos pater in ſponſalia filiæ habuerit. Nam ſi defloratę ſponſalibus (quę inter virum & puellam interveniſſe, ſatis ſignificat Moſes *pelliciendi* verbo, pro quo vulgata uſurpavit *ſeduxerit*) pater diſſenire poterat, quanto magis integrę? Verum non id nunc agimus. At quę mens Joſepho fuit ſcribenti in IV. Antiq. 6. virum, tum demum dotem ſiclorum quinquaginta perſoluturum, ſi recuſaret a ſe vitiatam ducere? Ejus diſtinctionis nullum in Moſe veſtigium. Ergo aut Joſephi ætate is mos inductus erat, aut id referendum eſt ad ſecuram Flavii ſupinitatem. Interim quibus cum temperamentis Judęi Moſaicam hanc legem obſervari jubeant, Seldenus docebit in uxore Hebraica I. 16. Antequam hinc ab eo, ſcicndum eſt, ex jure Attico, quod magna ex parte ex Moſaico coaluit, qui virginem civem Atticam corrupiſſet, eam ducere coactum. Nec minus ex Moſe & jus hodiernum ducendi dotandive fluxit.

Digitized by Google

aut explicans quomodo mandatum illud renovare intenderit, præcepit Rupratorem aut virginem ducere, aut in Monasterio detrudi ad peragendam perpetrati criminis pœnitentiam *cap. Pervenit eod. tit.* ubi referuntur verba *S. GREGORII Papæ*, sic respondentis. Accessit tandem *Interpretum* consensus, & recepta ab omnibus consuetudo, qua vel antiquior exposita, vel nova sancita fuit lex, ut scilicet, qui seduxerit, ac violaverit Virginem, ipsam pro sui optione, aut uxorem ducere, aut dotare compellatur, prout uno ore fatentur *Canonici Juris* Interpretes, ut tradunt *Barbos. in Collectan. super. cap. 1. de Adult. num. 7. Gonzal. Tellez super r. 2. eod. tit. Joannes Christophorus Schambogen. in lect. Jur. super 3. decret. tit. 16. a num. 17. Rubeus in adnot. ad dec. 431. par. 4. tom. 2. recen. n. 110. Antonell. de regim. Eccles. lib. 6. c. 30. Card. de Luca de Dot. disc. 142. tem. 71.* & ex Theologis *Fagundez in 6. præcep. Decal. tom. 2. lib. 6. cap. 5. Bossi. de Matrim. cap. 1. a n. 23. Dicastillo de just. lib. 2. tract. 2. disput. 7. dubit. 9. n. 115.* Quam regulam magistraliter firmavit *Rota in Taurinen. Matrimonii 25. Jannarii 1590. coram Penna*, cujus miminerunt *Card. de Luca*; *& Rubeus locis citatis*, & per extensum allegant *Carbosa*, *& Bossius locis citatis*, *Ciarlin. tom. 3. controv. foran. cap. 174. n. 43. & sequen.*

256. Non satis tamen ex laudatis juribus, & praxi valet inferri propositi dubii resolutio, quod ex una circumstantia videtur defloratoris crimen minuere, quippe qui non præsefert virginis renitentiam, neque vim ipsi illatam: ex altera vero augetur obligationis argumentum, ratione sponsaliorum, sub quorum promissione virgo se viro obtulit vitiandam. Additur itaque in casu nostro promissio ducendi stupro, quibus simul junctis, non congruit eadem, quæ de singulis sejunctim considerantis, procedit juris dispositio. Nisi velis promissionem, sub cujus spe puella ad sui defloration em inducitur, inter modos seducendi connumerare; ita enim fiet, ut qui promisso conjugio virginem corrupit, seductor censeatur, ac propterea non omnino illam conjugem habere, sed pro sua optione, vel ducere tenebitur, vel dotare. Neque, ut puto, nimis a veritate aberraret, qui ita sentiret de ficto promissore, qui nempe animo extorquendi copulam, verbo tenus duntaxat Matrimonium spopondisset. Quis namque dubitet sic feminam decipi turpiter, ac seduci? Fictus autem promissor in hoc casu æquiparatur vero, itaut teneatur puellam a se defloratam desponsare, ut magistraliter firmat *Rota in Monasterien. Matrimonii 27. Junii 1696. §. Mulier., coram clar. me. Card. Caprara, & in ejus confirmatoria die 5. Decembr. ejusdem anni §. Absolutum cor. eodem*, ubi concordantes.

257. Verum enim vero, utcumque res se habeat, dum agitur de simulatis promissis; longe major est ratio de illo, qui sub seria pollicitatione nuptiarum puellæ consensum in copulam est assecutus. In hac enim facti specie non venit solummodo attendenda obligatio emergens ex delicto stupri, & damno virgini seductæ ejusque parentibus illato, verum etiam natura, & vis contractus, (in quo pro corporis traditione futuræ nuptiæ promittuntur) atque implementum jam redditum a muliere, quæ se viro permisit. Idcirco nullus videtur superesse pœnitendi locus, & omnino cogendus vir stare sponsalibus, ac violatæ sponsæ servare fidem, ut communiter utriusque Fori Doctores asseverant; & Praxis Tribunalium maxime Ecclesiasticorum obtinuit: innuunt *S. THOMAS tom. 7. in 4. dist. 28. q. unic. art. 2. ad 4. S. ANTONINUS 2. part. tit. 5. c. 6. §. 1. vers. in fin. autem conscien.* Cæteri ex antiquis, quos magno numero citant & sequuntur *Fagundez cap. 5. cit. num. 12. Dicastillo dub. 9. cit. num. 128. Portel. tom. 2. par. 3. respons. moral. cas. 6. per tot.* & plurimi quos paulo inferius afferemus. Ex juris peritis colligunt concordantes *Carlin. controv. 174. cit. num. 70. Franciscus Zypæus Respons. Canon. tom. 1. lib. 4. respons. 3. tit. de divort. per tot. Rubeus in adnot. ad dec. 431. cit. num. 89.* & pluries firmavit *Rota* præsertim *in una Calaguritana coram Melchio 163. par. 9. tom. 1. recent. num. 20. & seq.* ibi: „ Dum Angela ex promissione „ Joannis tradidit corpus suum, ac passa fuit defloration em, partem suam adimplevit, „ unde alter tenetur etiam adimplere, & *num.* 23. Nec satis est tali casu pecuniis

„ satis-

„ satisfieri, & sponsalia contrahens, ac sub spe futuri Matrimonii virginem defloràns, „ tenetur eam ducere". Et novissime in *Pampelonen. Matrimonii 23. 1702. in fin. cor. R. P. D. Lancetta, & in Camerinen. Sponsalium 12. Junii 1711. §. final. cor. Emo Priolo.*

258. Absit itaque, ut virum virginis seductorem vel in minimo tueri velimus, quin suæ libidinis Pœnas luat, quin adigatur damnum simplici puellæ illatum, tametsi cum sui gravi incommodo, refarcire. Sibi imputet ac suæ malitiæ, quos iniquos licentiæ exercitæ effectus experitur; atque virginem, quam volens libens fœdare ausus est, conjugem habere, invitus etiam, compellatur.

259. Verum tamen nos causam omnino dissimilem versamus. Non pro juvene contra mulierem agimus, cum inter ipsos nulla subsit controversia, quinimo in malo turpiter concordes reperiantur. Parentum, familiæ, Reipublicæ, Ecclesiæ quoque dispendium vitare quatenus fas est, unice meditamur. Cuncta enim in pessimum discrimen adduci sæpe contigit, si indigna connubia, sæpius dicta a filiisfamilias contrahenda nedum permittere, sed præcipere necesse sit, nec unquam liceat impedire. Præstat igitur examinare, num quandoque talis subsistat causa, ut non obstante stupro cum sponsalibus juncto, possit imo debeat filiusfamilias jure compesci, ne ducat virginem, quam violavit. Duram cuique videbimur suscepisse Provinciam; illam tamen detrectare quid cogit? Nihil profecto ad dicendum veritate facilius, inquit S. AMBROSIUS. Pro more igitur in præmissis dubiis decidendis servato, plura quæ meditati eramus, missa facimus, ea solummodo proferentes, quæ ab gravioris notæ sive *Theologis*, sive *Canonistis* decerpere potuimus.

260. Paucis quidem verbis negotium conficere valuissem, affirmans, easdem ferme de sponsalibus cum stupro, quæ de sponsalibus juratis, limitationes tradi a Doctoribus, quos pro superiori dubio congessimus. Nempe asserunt, dum parentes dissentiunt propter ignominiam ex nuptiis sibi irrogandam, ex quo scandalum immineat, & parum felix exitus timeatur; itaut Matrimonium absque peccato perfici non valeat; neque sponsalia, neque stuprum, obstare, quin possit, imo debeat etiam implorato Judicis auxilio conjugium a parentibus impediri. Lubet nihilominus eorumdem auctoritates, in quibus expresse meminerunt defiorationis vi Sponsaliorum consecutæ, in medium proferre; nec non plerosque adnectere nusquam in præcedentibus laudatos, ut vel ex testium numero veritati, quam prosequimur pondus accedat.

261. *Dicastillo de just. lib. 2. tract. 2. disput. 7. dub. 9. num. 128.* „ Asserendum quin„ to si vitiator promisit conjugium, & ea spe seu conditione virgo in copulam con„ sentit, tenetur eam ducere": subdit vero casus in quibus a nuptiis abstinendo satis erit satisfacere pro damno virgini illato, & *n. 133.* sic habet: „ Deinde etiam resti„ tutio sufficit, quando timetur ex Matrimonio scandalum, vel malus exitus, vel „ grave damnum futurum.

262. Apertius loquitur *tom. 3. de Sacram. in Tract. de Sponsal. disput. 1. dub. 10. n. 161.* ubi firmat sponsalia non obligare, si ex Matrimonio timeatur notabile scandalum „ aliudve grave incommodum, quod inde oriri solet; ac debere Judicem in„ terdicere Matrimonium: atque pluribus citatis subdit id verum esse, etiamsi secuta fuerit virginis defloratio. Hic enim etiam quando promissio fuit non ficta te„ netur quis ad evitanda talia scandala non contrahere cum ea, quam sub spe talis „ promissionis defloravit". Et iterum confirmat *disp. 4. dub. 18. num. 181.*

263. *Gibalinus. de usur. tom. 1. lib. 3. cap. 2. art. 6.* quærit, an violator virginis sub ficta promissione Matrimonii teneatur eam ducere, & *num. 5.* sic resolvit: „ Neque „ enim ficta promissio, & sponsalia magis obligare possunt, quam vera, & quæ „ causæ permittent istorum dissolutionem, illorum quoque rescissionem patientur. „ Quare si grave aliquod scandalum jure merito timeatur ex futuro illo Matrimo„ nio, & ut loquuntur, malus aliquis exitus, non erit contrahendum, sive vere, „ sive ficte fuerit promissum.

264. *Cardinalis Toletus. Instruct. Sacerd. lib. 5. cap. 11. num. 1.* de stupeatore sic scribit: „ Si rursus promisit illam ducere, aut cum juramento, aut sine illo, quamvis vere promiserit, & possit ducere; si tamen timeret grave aliquod scandalum, sufficiet dotare,: & *citat. Navar.* cujus verba subdimus.

265. *Navarrus tom. 2. in Manual. cap. 16. num. 18.* de virginis defloratore sic loquitur: „ Si promittit se ducturum eam, sive promittat ex animo vero, sive ficto, „ obligatur ad explenda promissa, & multo magis si id juramento firmavit. Nisi „ (*nota*) essent valde inæquales genere, vel divitiis, puta si vir esset nobilis, & „ illa artificis mechanici filia, eo enim casu judicio nostro non obligatur ad amplius quam ad dandum ei tantum, quantum opus habet ad talem adipiscendum „ maritum, qualem si non esset infamata, adipisceretur. Idem dicendum de eo „ casu, quo promissio fuit vera, & ex animo facta, sed esset probabile, quod ex „ Matrimonio eam consecuturo grande aliquod scandalum nasceretur.

266. *Casmas Philiar. de Offic. Sacerd. to. 1. par. 2. lib. 4. cap. 17.* „ Defloratur virginis si „ promisit se illam ducturum, sive ex animo, sive ficte, tenetur eam ducere, ni„ si essent valde inæquales genere, vel divitiis &c. Idem dicendum est de eo ca„ su, quo promissio fuit vera, & ex animo facta, sed probabile est, quod ex il„ lo Matrimonio grave aliquod scandalum oriretur.

267. *Antonius a Spir. Sanct. in direct. Confess. tract. 10. disp. 1. sect. 8.* de viro nobili, qui serio promittens conjugium virginem violavit, sic habet *num. 58.* „ Tunc ratione „ promissionis veræ debitus esset totus ille excessus, ad quem reddendum promis„ sor serio, & conscius notabilis excessus se obligare voluit. Hoc tamen intelligi „ debet secluso scandalo, vel malo exitu Matrimonii, ut supra dictum est.

268. *Naldus in Cum. verbo. Virgo num. 3.* „ Virginem defloraus cum promissione il„ lam ducendi, tenetur servare promissionem. Limitatur tamen hæc sententia &c. „ Non tenetur eam ducere si ex tali Matrimonio magnum scandalum, aut detri„ mentum timeretur &c.

269. *Marcus Serius de Offic. Paroch. tract. 2. de restit. disput. 5. difficult. 2. quæst. 7. num. 1.* „ Qui virginem defloravit, Matrimonium vel vere, vel ex animo promittens, „ teneri eam ducere, est communis Doctorum sententia; limitatur tamen &c. *num.* „ 4. item non tenetur eam ducere si aliquod grave damnum, vel scandalum ex „ tali Matrimonio sequatur.

270. *Petrus Marchant. in Tribun. Sacrament. tom. 2. tract. 7. tit. 1. quæst. 2. §. 3. dub. 2. resol. 2.* „ Qui virginem defloravit promittens ei Matrimonium, tenetur eam ducere. „ In casu autem, quo illam ducere non posset, tenetur eam dotare. Casus illi sunt: ma„ gna personarum inæqualitas: grandes parentum inimicitiæ: gravia secutura odia &c.

271. *Thomas Tamburrinus in explicat. Decal. lib. 7. cap. 5. §. 3. num. 34.* „ Si vera fuit „ promissio, multo magis jurata, defloratorem obligari ad nuptias celebrandas, „ nisi legitima accedat excusatio, certum est, & *num. 39.* Excusabitur, si ex tali „ Matrimonio probabiliter timeatur oriturum magnum scandalum, vel fore malum „ ejus exitum per rixas, discordias &c. Sicuti enim hæc dissolvunt sponsalia, ita „ & promissionem de qua loquimur.

272. *Regin. in Prax. For. pœnit. t. 2. l. 31. c. 35. n. 255.* „ ultima propositio est ficte promittentem, qui sub ea promissione virginem defloravit, teneri sub mortali eam „ ducere &c. Limitanda est autem propositio hæc, ut non procedat, si ex Ma„ trimonio scandalum magnum, aut malus exitus probabiliter timeatur; quia tunc „ satis esset pecuniis damnum illatum resarcire, etiamsi sponsalia essent vera.

273. *Ægidius Trullenc. in exposit. Decal. tom. 2. lib. 7. cap. 9. dub. 3. num. 1.* „ Si defloraus virginem ipsi vere & ex animo Matrimonium promisit, tenetuream duce„ re &c. quod limitant, modo ex adimpletione promissionis non sequatur grave „ malum, vel grave scandalum, aut incommodum, ut graves rixæ inter parentes

„ con-

„ contrahentium; quia justitia non obligat ad faciendum malum; maxime „ si stuprator esset dives, & potens, puella vero quam violavit esset persona vi„ lis, & pauperrima, & non convenit eo in casu illam ducere.

274. Amplioribus terminis utuntur *Theologi* aliquantulum antiquiores: *Sic Gregorius de Valentia tom. 3. Commentar. Theolog. disp. 9. quæst. 3. punct. 3. fol. mihi* 1874. *vers. In specie*, ibi: „ Violator virginis tenetur eam ducere si virgini Matrimonium „ promisit vere, & ex animo; *& statim limitat subdens*: Si personæ ipsæ non sint „ adeo conditione dispares, ut ob eam inæqualitatem secutura videantur magna „ incommoda in Matrimonio tali.

275. *Lopez in Instructor. Conscien. 1. par. cap. 76. q. 3.* Quærit ad quid obligetur qui animo vero, vel ficto promisit se virginem ducturum, sub qua pollicitatione & fide ipsa illi sui corporis copiam fecit; resolvit teneri eam ducere, duplicem vero subdit exceptionem. „ Primo nisi valde inæquales genere, vel divitiis essent, §. *At„ que hoc*. Secundo vero si est probabile, quod ex tali Matrimonio grande aliquod „ scandalum oriretur.

176. *Corduba in quæstionib. Theolog. lib. 1. q. 13. dict. 1.* „ Quicumque vere promisit „ se virginem ducturum in uxorem, sive eam cognoverit, sive non, regulariter „ tenetur promissum adimplere. Dixi regulariter; quia est exceptio in aliquibus „ casibus; puta si ex tali matrimonio grande scandalum immineret.

277. *Jacobus de Graff. par. 1. lib. 2. dec. aurear. cap. 79. num. 3.* „ Defloratur virgi„ nis, qui animo vero seu ficto promiserat eam ducere in uxorem, adstringendus „ est ad servandam ei fidem; quod multo magis procedit, quando se ad id jura„ mento adstrinxerat, *sed ecce limitat*: Quod intellige, nisi probabile esset, quod „ ex Matrimonio consecuturo grande aliquod scandalum nasceretur.

278. Audiendus omnino *Sayrus in Clav. Reg. lib. 11. cap. 2. num. 33.* „ Si defloprans virginem promisit ei Matrimonium vere, & ex animo, tenetur eam duce„ re, sic Navar. Martin. Ledesma, Michael Salonius, & alii Doctores communiter „ &c. Hoc tamen limitant prædicti Doctores, ut non procedat quando esset tanta di„ sparitas, ut non esset honestum illam ducere, & magna incommoda ex tali Matri„ monio sequerentur, tunc enim docent satis esse, imo teneri ad dotandam puellam „ violatam, secundum qualitatem virginis ad arbitrium prudentis viri; *& subdit*: Hanc „ Doctorum limitationem consideratis circumstantiis in praxi observandam esse.

279. Clarius se aperit *Georgius Gobat in Tholog. experient. tract. 10. cas. 3. num. 106.* „ At vero si timeantur graves rixæ inter parentes contrahentium; si diuturna ho„ rum offensa, si denique scandalum; irrita sunt sponsalia; & extendit Sanchez „ etiam ad casum, quo virgo esset defforata spe Matrimonii: sed ego doctrinam „ Sanchez approbo in casu, quo pietas, caritas, aut alia similis virtus clare pro„ hibet nuptias cum tali.

280. Idem *Cas. 8. num. 335.* „ An quid si sponsus spe Matrimonii imprægnet sponsam, & pater minetur exheredationem si ducat? Sanchez diceret teneri deserere „ illam adhuc imprægnantem, si secutura sit perpetua offensa patris.

281. Plerisque tandem omissis, sufficiat duos subnectere, qui præcipui merito habentur inter *Doctores* de Matrimonii Sacramento ex professo disserentes, *Theologum* unum, alterum *Canonici Juris Doctorem*.

282. *Sanchez lib. 1. disp. 14. n. 3.* postquam auctoritate, & ratione in præcedenti dubio a nobis insinuatis, firmat sponsalia servanda non esse, cum ratione scandali servari sine lethali culpa non valent, citans pro sua sententia *Navar. Lopez., Capuam, & alios, pergit his verbis*: „ Qui loquuntur quamvis secuta sit virginis defloratio sub ea spe Matrimonii futuri; quod quidem verissimum est propter rationem dictam. Ratio autem præmissa fuerat: Quia virtus justitiæ obligare nequit „ ad actum, quod sine peccato impleri non potest.

283. Plura

283. Plura ad rem noſtram tradit *Joannes Gutier.* qui conſtanter aſſertæ ſententiæ adhæſit, præſertim *lib. 1. Canon. quæſt. cap. 37. num. 27.* ubi ſubſcripit opinioni *Navarri*, & *Cordubæ*, quorum verba modo retulimus: acriter vero illam confirmat *cap. 20. num. 23. & ſeq.* verbis ex parte in reſolutione primi dubii a nobis proditi; ibi. „ Neque Ordinarius ægre ferre debet, quod Matrimonium hujuſmodi inter valde „ diſpares impediri facile poſſit, & quod mulier abſque remedio manebit: Quan„ doquidem jure optimo, & tuta conſcientia pater abſque malitia aliqua id impe„ dire poſſit, & huic ſe ſponte exponit periculo femina, quæ altiori nubere vult „ inſcio patre viri. Quod ſi honorem, & pudicitiam ſuam indiſcrete profuderit, „ ſibi imputet cum præfatus pater jure ſuo contradicere valeat &c.

284. Conſentit aperte his citatis *Epiſcopus Pax Jordan. t. 1. Elucubr. Canon. lib. 3. tit. 7. num. 51. verſ. Imo*, ubi agit de diſpenſatione ſuper denunciationibus, & ſic habet: „ Imo ſi filius virginem defloraſſet, data fide matrimonii: ſi inter eos ta„ lis ſit diſparitas, ut verſimiliter gravia ſcandala oritura ſuſpicentur, non erit „ legitima diſpenſandi cauſa, ſi agatur de evitandis paternis ſuaſionibus contra ma„ trimonium; ſecus dicentes, quando nulla eſſet diſparitas (49).

285. *Franciſcus Zypæus Reſponſ. jur. t. 1. lib. 4. Reſponſ. Canon. tit. de divor. reſponſ. 4. n. 4.* quod edidit pro tuenda virgine præviis ſponſalibus chirographo ſcriptis, nec non juramento firmatis, inſuper ſacrilego dolo coram ficto Parocho deſponſata, ac tandem ſic ſtuprum paſſa. Cum vero ad vitandum Matrimonium ex parte viri opponeretur natalium diſparitas; Auctor admittit hanc ſufficere, ſed adhibita limitatione ibi: „ Et propterea qui tradunt inæqualitatem contrahentium obſiſtere „ ſponſalibus, accuſant, quod ex inæqualibus nuptiis ſcandala, odia, ſimiliaque „ incommoda oritura ſint, qualia evitare jubeat caritas, & quæ ſine peccato ad„ mitti vix poſſint.

286. Advocato concinit Judex; nempe *Joannes Baptiſta Ciarlinus lib. 2. Controverſ. forenſ. cap. 174.* ibi late examinat cauſam inter defloratorem, & mulierem præviis ſponſalibus juratis violatam, quæ pluribus annis cum illo verſata, pluries ex ejus concubitu conceperat, ac filios genuerat: quibus non obſtantibus cenſuit *Auctor* non eſſe cogendum defloratorem ad nuptias, eo nixus fundamento, quod ſubortis inter ſponſos odii ac malevolentiæ ſeminibus, merito metuendum erat, ne conjugium parum felicem exitum ſortiretur, quapropter morem ſe gerere Sacris Canonibus debuiſſe credidit, permittens reo ut a nuptiis abſtineret. Videatur præcipue *n. 77. 78. & 79.*

287. Claudat nunc Doctorum agmen S. Theologus, Juris Doctor & Epiſcopus Antoninus perſpicue idem docens *part. 2. tit. 5. cap. 6. §. 1. circ. med.* ubi. „ Et ſi promi„ ſiſſet eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea extorqueret, ſervet promiſſum, & „ multo magis juramento firmatum: *Et illico ſubjungit*: Et hoc niſi nimis diſtans eſſet „ eorum conditio, puta mulier plebeja, vir nobilis: vel etiam ſi magnum ſcandalum „ inde creditur proventurum. „ Putant aliqui id locum habere duntaxat cum promiſſio fuit ſimulata. Verum præterquamquod recitata verba nullam exprimunt diſtinctionem; tametſi illam expreſſe ſonarent, valeret argumentum a promiſſione ficta (50) ad veram ſemper ac adſtruatur ex ficta promiſſione oriri debitum juſtitiæ, ut nuptiæ contrahantur. Quandoquidem ſi aſſerta obligatio ceſſat ratione ſcandali ex nimia diſparitate imminentis, conſequitur illam ceſſare etiam in promiſſione ſeria, namque utrobique caven-

(49) Duplicem heic cauſam aſſignat remiſſionis bannorum, nim. deflorationem, & æqualitatem ferme conditionis. Cæteram ubi defloratio abeſt, requiritur etiam, ut patres, a quibus ſibi cavere volunt nupturientes, injuſte prorſus diſſentiant, aut omnino ſi ſit aliqua ex iis cauſis, propter quas judex imploratus filiis adverſus parentes auxilio venire debet. Verum de his Noſter *Dub. III.*

(50) Auctor ſup. n. 256. probaverat fictum promiſſorem impetrandi concubitus gratia æquiparari vero, quantum pertinet ad obligationem præſtandæ fidei. Quare procedit heic argumentum a pari.

Digitized by Google

cavendum est, ne adhibeatur vinculum justitiæ pro adimpendo opere, quod a peccato nequit separari. Quamobrem pro eadem nostra sententia non immerito adducerentur quotquot affirmant, pro stupro patrato sub ficta promissione matrimonii non satis esse damnum compensare, nisi omnino adimpleatur promissum; quique unanimiter excipiunt casum gravis scandali, aut deterioris exitus ex justa parentum indignatione propter notabilem generis disparitatem metuendi. Consulto tamen ab illis abstinemus, ne videamur testes emendicare cum tot præsto fuerint, & omni quidem exceptione majores.

288. Adstipulatur his omnibus *Sacra Rota in Calaguritana præsenti Matrimonii de. 19. part. 10. recent.* In ea iterum acta fuit Causa inter virginem, & virum, qui omnino conscius illius infimæ conditionis, pollicens connubium, ipsa potius fuerat, in qua jam Sacrum Tribunal pronunciaverat pro muliere contra defloratorem. Re tamen maturius discussa, ex noviter enarratis circumstantiis a decisis recedens virum absolvit. Quantumvis vero præcipuum mutandi sententiam motivum fuerit subsequens fornicatio sponsæ, agnovit tamen Sacrum Auditorium ad eumdem finem obtinendum plura suppetere valida argumenta *num. 45.* ubi: „ Ulterius constat etiam de „ gravi indignatione parentum, & consanguineorum: de odio & maxima animi „ aversione in sponso contra sponsam excitatis; nec non de imminenti scandalorum „ periculo, ac de maximo infelicis exitus timore, casu quo sequatur tale Matrimo„ nium. „ Exinde *num. 55. 56. & 57.* confirmat auctoritatibus & rationum momentis causas enumeratas sufficere, ut recederetur a sponsalibus supradictis, quæ juncta fuerant cum virginis defloratione.

289. Hactenus firmata evincunt, neque novum, neque difficile autumandum dictum, quo filio familias suadeatur, nec debere, nec posse licite inire Matrimonium indignum, quamvis virginem sub jurata pollicitatione conjugii vitiaverit, semper ac ex rationibili parentum contradictione imminens scandalum, ac minus felix exitus non inaniter formidatur. Quandoquidem præter tam multas ac gravissimas auctoritates fulcitur asserta veritas iisdem fundamentis, quibus sponsalia Sacramento interposito confirmata tantopere demonstravimus in simili casu nullatenus obligare. Namque stuprum non valet parere diversi generis obligationem, atque ad summum auget illam, quæ vi justitiæ oritur in sponsalibus; propterea si imminens scandalum, si probabilis timor deterioris exitus, si tandem injuria, quæ familiæ, quæque parentibus per indignas nuptias irrogatur, vel ab initio impedimento sunt ne contractus valeat, ne jurisjurandi religio liget, vel jam inductum ligamen solvere satis sunt; eadem vi polebunt adversus stuprum, sive impediendo ne pariat, sive jam per illud obligationem submovendo: neque enim aliquando duntaxat, sed perpetuo, semper virtus justitiæ nequit quemquam adigere, ut impleat opus quod, sine scandalo, sine peccato non est ipsi liberum adimplere.

290. Et proculdubio toto Cælo a veritate discederet quisquis æstimaret tantam inesse stupro vim obligandi, ut e conspectu ejus, etiam Divini Juris præcepta, nedum cæteras virtutes omni effectu vacuas perperam affirmaret. Quamplura suppetunt exempla, quibus perspicue comprobatur, nullum Jus ad nuptias adipisci virginem ex stupro sub illarum spe incaute admisso, sive quia altera virtus illicitum reddit Matrimonium, sive propter præcedentem aliquam obligationem justitiæ quantumvis minoris ponderis & momenti. Sic qui obstrictus voto, vel simplici castitatis, vel ingrediendi Religionem, virginem data fide Matrimonii corrupit, nec tenetur, nec potest licite ipsi nubere obsistente virtute Religionis, quam violavit promittens: nam irrita fuit promissio, utpote de re iniqua, ut solide comprobat *Navarr. lib. 4. Consil. tit. Qui Clerici, vel voventes cons. 1. per tot. Vivaldus in Candelab. part. 3, cap. 14. num. 64. Rodriguez in Sum. tom. 1. cap. 207. num. 11. Gabr. a S. Vincentio de Matrim. disp. 5. quæst. 1. num. 12. & seqq. Martinus Perez disp. 5. sect. 1. num. 6. & sequent.* fuse *Dica-*

Dic t-

Digitized by Google

Dicaſtillo tom. 3. de Sacram. tract. 10. de ſponſal. diſput. 1. dub. 42. num. 446. Quod abſque ullo dubio aſſerendum venit ſi virgo ſciverat viri votum quo conjugium illicitum reddebatur, *Sanchez lib. 1. diſput. 43. num. 3. Azor. 3. part. cap. 5. difficult. ultim. Leſſius de juſtit. lib. 2. cap. 10. dub. 4. Reginald. prax. pœnitent. lib. 25. cap. 6. ſect. 7. num. 95. Gutier de Matrim. cap. 25. in fin. Bonacin. de ſponſal. qu. 1. punct. 5. nu. 7. & cæteri apud ipſos.*

291. Item qui nuda ſponſalia cum una contrahit, ſi deinceps cum altera contrahat, illamque violet, priori ſponſæ fidem reddere tenetur, ac poſteriorem defloratam deſerere, juxta communem fere Doctorum ſenſum, quos colligunt, & ſequuntur *Henriquez in ſumm. lib. 11. cap. 13. num. 3., Lopez p. 1. inſtruct. cap. 97. Bonacin. q. 1. cit. punct. 5. num. 7. Philiarc. tom. 1. p. 2. cap. 1. Sanchez de Matrim. lib. 1. diſp. 49. Ledeſma de Matrim. quæſt. 43. §. In oppoſitum Dicaſtillo dubit. 32. cit. num. 472.* & ex Canoniſtis *Navar. in manual. cap. 22. de Sacram. Matrim. num. 26. Gutier. de Matrim. cap. 27. num. 5. & ſeqq. Zoeſius commentar. in Jus Canon. ſuper 4. decretal. tit. de ſponſal. num. 36. Pirhing. in jus Canon. tom. 4. eod. tit. §. 7. n. 57. Joannes Chriſtoph. Schambogen. ſup. 4. decretal. tit. primo num. 88.*

292. Porro tum præfata, tum pleraque alia quæ recenſeri poſſint exempla illo innituntur indubitabili axiomate, quod ad opus illicitum nemo unquam ſive ex juſtitia, ſive ex damno illato, ſive alia quavis cauſa compelli poteſt. Atque adeo cum tranſgredi votum, & frangere ſponſaliorum fidem vetet Religio, & Juſtitia prohibeat, neque ſubſequens promiſſio, neque ſtuprum ſub illa extortum quidquam valent, maxime ſi mulier votum, vel præcedentia ſponſalia non ignorans, ſe maculari conſenſit. Quid ergo mirum, ſi dicamus præceptum Divinum & naturale de non afficiendis parentibus gravi dedecore, & injuria, de non inferenda toti familiæ inevitabili infamia, de vitando ſcandalo, maxime inter conſanguineos, denique de non exponendo ſe ſe, futuramque conjugem evidenti periculo deterioris exitus, infirmare obligationem; quam cæteroqui ex ſtupro ſponſalibus junctо extra hunc caſum conſurgere non diffitemur? Idemque in primis verum eſſe, ſi femina hæc omnia prævidens filium familias alliciens, ut ab ipſo fidem conjugii extorqueret, extorta ſemel, ſui copiam eidem fecit, decipiens potius quam decepta?

293. Et hic non abs re erit tantiſper immorari, rogando judices, ne priuſquam pro tribunali ſedeant, ad iniqua, quibus vitam degimus, tempora, oculos convertere dedignentur. Quænam in præſentiarum puella vere ſeducta dici poteſt? Quam pauci ſunt ignobiles parentes, qui ſe inſciis vel invitis, filias ſtupro a nobilibus dehoneſtatas cum veritate conquerantur? Immo nobilium adoleſcentium patres, præcipuæ urbis familiæ, univerſa quoque Reſpublica, gravi ac juſtiſſima querela aſſurgunt contra filias, contra genitores, quæ blanditiis, qui lenociniis filiosfamilias trahunt (51) ſollicitant, invitant, utinam quandoque non cogerent, ut promiſſis nuptiis in libidinis cœno volutentur. Nempe quia falſo perſuaſum habent, ſponſalibus per fas nefaſve contractis, accedente ſtupro, revocare pedem licere nunquam. Profecto ingenti eos errore decipi ſatis evincunt uſque modo dicta, prout etiam animadvertunt in ſuis caſibus *Coſp. nel Giudice Criminaliſta p. 3. cap. 38. & late Urſaya Inſt. Crim. lib. 2. cit. 7. a num. 111. 2. edit.* Salubrius tamen eos errores eriperet timor pœnæ, qua dignos ne-

(51) Sicuti tenetur interdicto *de ſervo corrupto*, qui ei perſuaſit, ut *amator exiſteret*, teſte Ulpiano *l. 1. §. 5. de ſer. corr.* ita nec dubium viſum eſt, quin utili actione & pater experiri poſſet adverſus eum, qui iiſdem artibus deteriorem filium filiamve feciſſet. Paullus *l. ut tantum 24. §. 1. eod. tit.* ait: *De filio filiave corruptis ..... utilis* (actio) *competit, officio judicis æſtimanda: quoniam intereſt noſtra, animam liberorum noſtrorum non corrumpi.* Huc quoque pertinere quibuſdam viſa eſt *l. 14. §. 13. D. de furtis.* Huc quoque refer, ſi lubet, *Cod. Th. De Nuptiis* ubi ſic ſcribitur: *In oppugnationem ceſſent itaque ſequeſtres atque interpretes taciti, nuntii renuntiique corrupti. Nuptias nobiles nemo redimat, nemo ſollicitet, ſed publice conſulatur affinitas, adhibeatur frequentia Procerum.*

Digitized by Google

nefarios parentes ſcribit *S. Anton. 2. par. tit. 5. cap. 6. §. 1.* „ Parentes qui tradunt filias „ nobilibus & divitibus defiorandas, ut propter hoc eas nuptui tradant illis dotanti- „ bus, peſſimi ſunt lenones digni morte temporali, & æterna. „ Quam jure tum Eccleſiaſtico, tum Cæſareo ab iiſdem luendam decernitur; de qua alios cumulans late *Farinac. in Prax. part. 2. tom. 2. tit. de delict. Carn. quæſt. 144. per tot.* Ipſas pariter virgines cautiores redderet imminens eiſdem pœna vel infamia, quam in jure ſancitam legimus in *leg. Fœdiſſimam 20. Cod. ad leg. Jul. de Adult.* ibi *Fœdiſſimam earum nequitiam, quæ pudorem ſuum alienis libidinibus proſternunt ... leges ulciſcuntur*, ubi Gloſſ. *Mulier quæ ſponte committit ſtuprum, punienda eſt*, & ibidem Baldus. *Stuprum voluntarium punitur in utroque*: Late *Farinac. loco cit. q. 147. num. 49.* Et bene *Laurent. Matthæus de re criminal. Controv. 51. num. 38.* ibi: „ Si aliqua pœna coercerentur puellæ, ne- „ que tantæ deceptæ ſub fruſtranea ſpe nuptiarum deriderentur, neque tot adole- „ ſcentulos, quorum matrimonia ambiunt, ad amplexus invitarent.

294. Verum quia iſta receſſerunt ab Aula, cupienda omnino eſt exſecutio Decretorum pluries editorum per Sacram Congregationem Concilii, quibus Epiſcopi demandavit, ut graviter eos plecterent, qui contractis ſponſalibus de futuro, ante Matrimonium carnali copula ſe commiſcent (52) ut poſt *Bellarmin. & Farinac.* teſtantur *Boſ. de Matrim. cap. 7. num. 96. & Fagnan. ſuper cap. His qui fidem, de ſponſalib. num. 15.* Etenim quis dubitet ex indulgentia, quam inverecundæ virgines apud Judices experiuntur, cum pro pœna patrocinium ſæpeſæpius aſſequantur, jam id confici, ut nihil magis habeant in votis quam nobilem quemque juvenem ſui amore incedere, ut concupiſcentia excæcatum ſub conjugii fide ad ſtuprum admittant; exinde maritum habituræ? Ita prorſus pluribus Italiæ Catholicis urbibus accidit diſpendium pudoris, quod Hollandiæ contigiſſe meminit, ac deteſtatur *Grotius lib. 3. manuductionis cap. 35.* & ex ipſo *Gonzalez Tellez in 5. Decretal. ſuper cap. 2. de adulter. num. 8. in fine*, ibi. *Quid enim ſi virgines fiducia legis Divinæ licentius peccent?*

295. Scandalum iſtud, ut a ſuis evellerent Diœceſibus, jure optimo nonulli Antiſtites per *Synodales Conſtitutiones* irrita fecerunt ſponſalia clandeſtina, tametſi ſecuta copula inter ſpondentes: uti de Diœceſi Rhegienſi teſtatur *Ciarlin. d. cap. 174. num.*

(52) Hoc cur addiderit Auctor, animadverte. Putat enim heic procedere argumentum a minori ad majus: quod ſic habet. Poſt contracta ſponſalia ſe commiſcere plane videtur minus peccatum eſſe, quam ſine ſponſalibus: ibi jam *pacta* uxor cum pacto viro congreditur, inter quos amor conjugalis jam incipit exiſtere: heic non item. Ad hæc Jure Hebræorum ſponſa a ſponſo jure viri accuſabatur adulterii, at ſponſata non item. Imo ex jure Decretalium ante Concilium Tridentinum ſponſalia de futuro per ſubſecutam copulam tranſibant in de præſenti, nim. quia præſumebatur inter eos Matrimonium: quod tamen, poſtquam Matrimoniis clandeſtinis ſuus detractus eſt valor, deſiit. Ex his vides, etiam jure hodierno crimen levius eſſe concubitum poſt ſponſalia, quam ſine ſponſalibus. Nec obeſt, quod ſponſorum concubitus in pluribus Diœceſibus numerari ſoleat inter caſus Epiſcopo reſervatos: nam quia perquam frequens is caſus erat, ita ut ferme in morem tranſiſſet, idcirco remedio reſervationis compeſci debuit.

Dices, in ſpecie, qua de agimus non deeſſe ſponſalia, quia poſt extortam ſponſaliorum fidem, ſeſe illi commiſcent. Reſpondetur, iſtiuſmodi ſponſalia, non prorſus libera fuiſſe, ſed vi effrænis atque obcæcatæ cupiditatis, ſæpe & puellæ blanditiis extorta: quod etiam atque etiam eſſe conſiderandum, judico. Adde & hoc etiam, quod perquam abſurdum atque indignum videtur, ſi Matrimonii Sacramentum fœdiſſimi ſtupri pretium evadat: graviter admonente Apoſtolo Heb. XII. 4. *Honorabile connubium in omnibus, & torus immaculatus: fornicatores enim .... judicabit Deus*. Ex his vides, quidnam de iſtis ſponſalibus ſit judicandum, per quæ ſtultiſſimi adoleſcentes atque impudentes puellæ cauponantur Eccleſiæ Sacramenta. Hinc ſecundum uſitatam Sac. Pœnitentiariæ praxim, quoties diſpenſatio Matrimonialis petitur, inutiliter allegantur præcedens concubitus ad reddendam faciliorem diſpenſationem: id enim potius difficiliorem efficit. Imo in talibus legum matrimonialium laxamentis, quæ ab eo in Tribunali impetrantur, ſolet addi clauſula in hanc ſententiam, dummodo ne præceſſerit copula &c. aut tale aliquid in eamdem ſententiam.

Digitized by Google

mum 72. ibi: *Nec dubium est, quod talis constitutio sit licita, & honesta, & valida*, & de Diœcesi Lausanensi *Gobat. Experien. Theolog. tract.* 10. *casu. n.* 11. *&* 12.

298. Porro ut ad ea unde digressus est sermo, revertatur: „ Si parentes tenuio-„ ris fortunæ filiam indotatam locupleti locari cupiunt, & fallaciis adolescentem „ inducant ad dandam fidem de conjugio, sponsalia quamvis jurata sint, vel eti-„ am coitu confirmata, retractari queunt: sunt verba *Roberti Konig. princip. Jur. Canon. lib. 4. decretal. tit.* 1. *de sponsal. num.* 71. Id an sæpius contingat, prudentem Judicem neutiquam latet. Nobis satis esse debet, quæ ex jure ac per Theologiæ principia probati Auctores colligunt, ejus prudentiæ fideliter consideranda submittere.

297. Hactenus pronunciata verissima apparent inspecto juris rigore. At enim vero nonnihil tribuendum credimus æquitati. *In summa* enim inquit lex, *æquitatem quoque ante oculos habere debet judex, qui huic actioni* (53) *additus est, leg. quod si Ephesi* §. *Interdum ff. De eo quod cert. loc.* Æquitas vero naturalis occurrente casu puellæ humilis conditionis, quæ ad nuptias cum filio familias nobiliore aspirans, impetrata illarum fide se fœdandam obtulit, duo jubet sedulo animadverti a judice, ut juste valeat pronunciare. Unum est, ut æqua lance ponderet ex una parte damnum quod puellæ imminet, ac ipsis indignis parentibus, aut consanguineis, si ab optatis nuptiis arceantur; perpendens insuper ipsam innocentem non habendam, dum voluntarie se prostituit, neque ut plurimum consanguineos, præsertim parentes, culpa vacare, quorum inertia, vel ambitio, sæpius avaritia aut filiarum licentiam sollicitat, aut connivet. Denique id præ oculis habeat, num virginis damnum alia via possit reparari, attenta qualitate natalium, ac moribus regionis, & urbis quam incolit. Nam prorsus vana est quorumdam cantilena, qui mulierculæ stuprum esse irreparabile malum clamitant; dum, ut apprime bene animadverit *Card. de Luca tract. de dot. disc.* 142. *n.* 76. in fine: „ Juxta notissimam praxim excessus dotis de fa-„ cile sanat istam plagam: tum quia non desunt alia remedia cum quibus futuræ „ honestati, ac parentum famæ consuli potest, per ingressum nempe in Monaste-„ rium, vel Conservatorium, &c.

298. Ex altera vero parte præter scandala & deterioris exitus periculum, quæ ex indignis conjugiis, præcipue dum tam sordido ac iniquo principio deturpantur, frequenter proficisci compertum est; pensanda sunt honoris irreparabile dispendium, nedum parentum, sed universæ insignis stirpis; infamia non solum stupratorem, sed majores, fratres, sorores quoque virgines vel nuptas, omnes insontes ac nullius criminis participes, denigrans. Item Reipublicæ discrimen; cujus multum interest, ut nobilium familiarum decus servetur; insuper exemplum, quo humiles puellæ, ut per stuprum digniores nuptias adipiscantur, facile commoventur.

299. Alterum, quod æquitas recogitare Judicem monet, illud est: causam scilicet non inter mulierem violatam, & filiumfam. deflorantem pendere: uterque noxius, uterque reus est: ut in crimine, sic in agendo socii reperiuntur. Lis tota vertitur inter parentes, fratres, gentem universam, criminis prorsus expertem ac innoxiam, cujus honori ac famæ ut insidias tenderent, ut periculum molirentur, impudens virgo, rebellis filius consulto sponsalibus stuprum addidere.

300. Hæc pro veritate, pro conscientia, judex perscrutatus, judicet tandem, cuinam patrocinium debeat, cui præsidium impertiri. Quod sic adhuc dubitet, ac consiliarios quærat; præstosunt gravissimi Theologi qui omnem dubitationem excutiant.

301. *Bartholomæus a S. Fausto in specul. confess. p.* 1. *de restitut. disput.* 8. *quæst.* 8. *in princ.* postquam resolvit, defloratorem virginis, qui vere promisit eam ducere, teneri-

(53) Loquitur ibi Ulp. de actione arbitrar. *de eo quod certo loco*. Tamen hac regula DD. passim ut generali utuntur. In qua æquitatem intellige *jure informatam, & quæ ex jure possit colligi, non cerebrinam*, ait Abb. quod Jason de æquitate. Sed de eo argum. recondita brevi dabit JC. eruditiss. Jos. Aur. de Januario Jud. M. C. V.

Digitized by Google

neri etiam cum proprio detrimento ſervare fidem, ſic diſcurrit: „ Sed quid di-
„ cendum de eo caſu quando promiſſio fuit vera, tamen probabile eſt, quod ex
„ tali matrimonio gravia incommoda ſequerentur? Reſpondeo ſi talia incommoda
„ fuerunt prævisa, vel de facili prævideri poterant a ſtupratore, tunc videtur eſſe
„ obligatus ad ducendum eam, quia ſibi imputare debet damna, quæ eveniunt ſibi.
„ Quod ſi damna ſint aliorum, ſcilicet parentum, vel propinquorum; tunc non
„ tenetur eam ducere, ſed damnum reparare, tribuendo quanti plurimi eget ad
„ alteri pro ſua conditione nubendum.

302. Totidem ferme verbis reſolvit quæſtionem *Joannes Azorius 3. p. inſtit. lib. 5. cap. 5. difficult. 2. pag.* mihi 366. „ Difficultas 2. eſt, an qui ex intentione animi promit-
„ tit ſe ducturum uxorem, quam corrupit, teneatur eam ducere etiam in caſu,
„ quo ſit in vitæ ſtatu longe ſuperior. Reſpondetur eſſe obligatum. Aliud verò eſt
„ in eo caſu, in quo ſecutura creduntur multa & magna incommoda. Nam tunc
„ videtur diſtinguendum; ſi enim ea incommoda prævideriſ, videtur obligatus ad
„ ducendum eam, quia ſibi imputare debet damna, quæ eveniunt ſibi. Quod ſi
„ damna ſint aliorum, & non ſua, tunc non tenebitur eam ducere, ſed dotare.

303. Conſonat *Decaſtillo de juſt. lib. 2. tract. 2. diſput. 7. dub. 9. n. 129.* ubi loquens de defloratione puellæ ſub ſpe matrimonii ſic habet: „ Si tamen vere promiſit nu-
„ ptias, in omnium ſententia tenetur eam ducere niſi timerentur damna aliorum.
„ Si tamen ipſi promiſſori tantum damna ſequantur, ſibi imputet.

304. Alteram inſpectionem æquitati conſonam, ut ſcilicet damnum virgini impendens, ſi ſperato connubio decidat, cum damnis ex matrimonio contrahendo promanaturis ponderetur, egregie exponit *Averſa de ſponſal. qu. 8. ſect. 15. verſ. Pro altera concluſionis &c.* Perſpicaciſſimi hujus Theologi verba ex parte ſuperius dedimus, prout tulit occaſio, at operæ pretium erit ex integro ratiocinantem audire. „ Si ob notabile damnum, & ſcandalum imminens non erat ei licitum cum tali
„ perſona conjugari eique promittere, poterit juſte mutare propoſitum, & ab illa
„ promiſſione recedere, & poterit etiam a judice inhiberi, ne contrahat. Suadetur:
„ quia dum quis ab initio prævidebat tale damnum aut ſcandalum, cum quo non
„ poterat licite ducere talem conjugem, plane nec proinde poterat promittere ac
„ ſe obligare, non enim poteſt quiſquam promittere & ſe obligare ad aliquod illi-
„ citum faciendum. Poterit ergo juſte ac licite recedere, immo tenebitur, quia ad-
„ ſtringitur adhuc priori obligatione vitandi, ſeu non inducendi tale damnum &
„ ſcandalum. Quare etiamſi ipſe nollet recedere, merito poterit a judice ex officio
„ (54) vel ad inſtantiam aliorum, quorum intereſt, inhiberi. „ Et notant aliqui ex iiſdem Auctoribus (quos citaverat, & nos ſuperius adduximus) „ Idem totum intel-
„ ligi etiamſi ſponſalia fuiſſent juramento firmata, ac etiamſi interceſſiſſet virginis

defle-

(54) Notanda profecto judicibus eſt caſuiſtæ hujus æqua ſententia. Qui tamen cum dixit, POTERIT, non hoc vult, hoc totum in arbitrio judicis eſſe poſitum (vix enim umquam evenit, ut contradicentibus litigatoribus, ſententia prorſus ex judicis arbitrio pendeat) verum illud *poterit* generale verbum eſt, quo ſignificatur, circumſtantiis æqua lance utrinque penſatis, modo hoc, modo illud deberi. At alii juris utriuſque conſulti, aut Theologi (quos Noſter plena manu paſſim *Dub. III.* & alibi teſtes produxit) verbum *Debeo* in hac eadem ſententia uſurpare non dubitarunt.

Ergo ut planius dicam: qui in his theſibus *re poteſt* aut *poterit* uſurpant, ita loquuntur comparate ad ſponſalia aut ſtuprum, quæ videbantur debitum inducere. Cæterum totum illud, quod judex comparate ad ſtuprum jam puellæ oblatum *poteſt*, hoc ipſum ille comparate ad rixas, offenſiones, & ſimilia quę imminere animo providebit, omnino *debet*. Quare in hoc negotio nihil aut parum cæco judicis arbitrio permittitur, ſed totum illi arbitrio relinquitur, quod in re præſenti, jure, æquitate Chriſtiana aurigantibus regitur. Atque eo ſenſu *actio de eo quod certo loco* (vide ſuperiorem *Adnot.*) ab Ulpiano *arbitraria* dicitur. Sic & *actio quod metus cauſa*, & aliæ plures eadem acceptione *actiones arbitrariæ* nuncupantur: quæ quo ſenſu ab æquitate judicis pendeant, Abbas in ſuperiore *Adnot.* docuit.

Digitized by Google

„ defloratio ſub illa promiſſione Matrimonii; qua (adverte) adhuc præponderat „ tale damnum, quod ex matrimonio impendet: dummodo, inquam, ſit adeo gra„ ve & moraliter probabile, ut prudenter urgeat ad deſiſtendum. „ Profecto nil æquius aut concinnius dici poteſt.

305. Proſequitur deinceps concilians oppoſitas ſententias, quarum altera affirmat, negat altera, valere ſponſalia inter virum & puellam non parum natalibus diſpares, inquiens. „ Prior enim procedit & probat, quando imminet tale damnum & „ ſcandalum, quia tunc promiſſio eſt indiſcreta & imprudens, & tunc eſſet nimia, „ & illicita prodigalitas: ideo enim non tenetur quis prodigere totam facultatem „ ex vi ſuæ promiſſionis, quia non poterat licite id facere &c.

306. Id quoque videtur ſentire *Bonacin.* paucis ſe aperiens verbis *tract. de iis quæ pertin. ad matrim. q. 4. punct. 17. num. 27.* „ Ex dictis ſequitur Prælatum poſſe impedire „ Matrimonium contrahendum a filio familias cum aliqua indigna, quando ex ejus „ celebratione prævidet grave ſcandalum ac rixas inter parentes ſecuturas; & hoc ve„ rum eſt, inquit Sanchez, etiamſi ſecuta ſit copula ſub ea ſpe Matrimonii. Hoc ta„ men non facile admiſerim, niſi filius alia ratione valeat occurrere damno ſponſæ „ defloratæ, aut niſi tam grave ſit ſcandali periculum, ut præponderet damno ſpon„ ſæ. „ Claret igitur ex mente Auctoris, ſi alias ſponſæ proſpici valeat, aut ſi ex matrimonio imminens malum prævaleat diſpendio mulierculæ defloratæ, poſſe judicem nuptias filii familias impedire.

307. Addere tandem pro coronide facile nobis eſſet Theologos in terminis longe amplioribus contra præfata ſponſalia differentes. At ſtudium brevitatis vix ſinit duos ex ſchola *D. Thomæ* proferre.

308. *Joannes de Cruce in Director. conſcien. de 7. præcept. decal. tit. de reſtitut. art. 2. dub. 4.* „ Violans virginem promittendo eam ducere in uxorem, ad id tenetur per „ ſe loquendo, nam aliquoties ad illud non tenetur violator virginis. Primo ſi ſint mul„ tum diſpares. Secundo ſi grandia ſcandala ex illo matrimonio probabiliter timentur.

309. Clarius, & gravius teſtimonium præſtat magiſter *Acacius March. de Velaſco in ſuis reſolutionibus moralibus Hiſpanice elucubratis tom. 1. ſub verbo Donzella reſolut. 272.* ejus verba latine reddita ita ſonant *num. 8.* „ Dico 4. qui promiſit puellæ eam du„ cere, ſi conſentiret ſtupro, & ipſa conſenſit, tenetur contrahere Matrimonium ſub „ lethali culpa per ſe loquendo. *Et num. 6. pergit dicens:* Dixi ſub initio per ſe loquen„ do, nam in aliquibus caſibus non tenebitur ipſi nubere, quamvis non ficte ſed ve„ re, etiam interpoſito juramento promiſerit. Primo ſi longe ſint natalibus diſpa„ res. Secundo ſi cum fundamento timeantur gravia ſcandala ex Matrimonio ſe„ cutura. „ Et noviſſime *per Stephanum Abbatem in Theologo Principis cap. 4. dub. primo & 2. per tot.* idem concluditur ut vir nobilis puellam diſparis conditionis a ſe defloratam non teneatur ducere, ſed tantum dotare ſive ficte, ſive vere promiſerit.

310. Rurſum ex his, plurimiſque non contemnendis auctoribus non leve quiſquam agnoſceret fundamentum ad aſſerendum, prorſus irrita eſſe ſponſalia inter virum nobilem, & puellam indignam, etiamſi copula interceſſerit, eo prorſus modo quo de ſimilibus contractibus æque juris Periti ac Theologi pronunciant, quotieſcumque merces vel pretium pro opere promiſſum longe excedat æſtimationem operis ab altero contrahente præſtiti vel præſtandi, neutiquam obligare, & arbitrio boni viri reducendos eſſe ad æqualitatem. At nos non intendimus, niſi mala toties recenſita pro viribus præcavere, ac per tritam tutamque viam incedentes, ea duntaxat firmare conati ſumus, quæ ſuadet ratio, quæ Reipublicæ ſalus expoſcit; ad quæ nobilium familiarum indemnitas cogit, quæque tandem Eccleſiæ diſciplina, dignitas Sacramenti, atque Divinus periclitans honor in ſæpedictis conjugiis, a Theologo, a Juris Canonici ſtudioſo, ac maxime ab Epiſcopo ac alio quovis Eccleſiaſtici Fori judice expoſtulant. Id, ut non infructuoſe præſtiterimus, faxit Deus Optimus Maximus.

Ita &c. Salvo &c. *M. A. N.*

Digitized by Google

MANTISSA.

De sponsalibus filiorumfamilias injussu parentum contractis, civiliter consideratis.

SPonsalia filiorumfam. statim ac ex injussu aut dissensu parentum sunt illicita, non esse obligatoria, imo esse vigoris expertia, noster quidem Archiep. liquido hactenus demonstravit, & quidem solidissimis rationibus, quas Theologia aut æquitas naturalis suppeditat, non neglectis interim quibusdam generalibus regulis ab utroque (1) Jure haustis. Vide Auctorem passim toto *Dub. VI.* præsertim num. 178. & seq., & num. 214. & deinceps. Posset heic & altera non spernenda ratio Theologica afferri a voto petita, quam satius erit infra num. 16. expositam cognoscere. Nam nunc quidem de jure civili (etiam quatenus hoc per Canonicum in aliquibus mutatum fuit) quid obtineat, porro videndum est; quam controversiam a nemine eorum, quos videre contingit, pertractatam reperienti mihi dabitur, credo venia, sicubi forte ostensum fuerit.

Atque equidem in hac Mantissa id dedi operam, ut quæ πρωτοτυπα aut mere philologica, & ab usu fori remotiora viderentur, ea majorem partem (nam semper id factum esse, non præsto) in subjectis *Adnotationibus* seponerem: eo consilio, ne cui properanti per me mora injiciatur, neve quis forte deserti mea caussa vadimonii querelam instituat. Atque hoc morosо lectori satis. Nunc priorem Mantissæ partem aggredior.

PARS PRIOR.

1. *Ex Paulli responso patrius consensus non minus ad sponsalia, quam ad nuptias requiritur.* 2. *Patres filiorum nomine spondebant. Iidem dissolvere arbitratu suo filiorum sponsalia Jure Latino non poterant, at Romano poterant.* 3. *Opponitur obscurus canon Iliber. idemque contra Mendozam exponitur. Patres antiquitus temere distrahebant Matrimonia, abducendo filiam, quod postea correctum: ut iidem solvere sponsalia semper civiliter potuerunt. Verior canonis expositio alio rejicitur.* 4. *Filii non minus quam filiæ non dissentiebant, nisi ex justa caussa, sponsalibus a patre factis, contra Cujacii sententiam.* 5. *Basilii Canon XL. de servis, non item de filiisfam. loquitur.* 6. *Reditur ad positionem. Jus civile irritans sponsalia a filiis clam patre facta, quum a Canonico non sit correctum, adhuc obtinet.* 7. *Objectio petita a Jure Canonico novissimo quod sicuti Matrimoniis injussu patris valorem impertit, sic videtur & sponsalibus impertiisse.* 8. *Eademque difflatur. Sponsalia & nuptiæ non æquis passibus incedunt, sed multipliciter discrepant.* 9. *Ad illustrandam sponsaliorum ac Matrimonii naturam, illa cum venditione, hoc cum traditione comparatur: atque in eo contra Thomasium disputatur in* Adnot. VII. *Et in* Adnot. VIII. IX. *prisci ritus coemptionis sponsalitiæ (quæ in dotib. & ἀντεφερναις adhuc restat) enodantur.* 10. *Multiplex inter venditionem & con-*

(1) Quale illud est quod *Dub. IV.* num. 178. 179. & alibi passim assumitur, nim. pacta & stipulationes turpes nullius esse roboris: quod millies in Jure nostro decantatur, ut *l. Generaliter* 26. & *l. Si flagitii* 123. *D. de verb. oblig.* & *l.* §. 14. *l.* 27. §. 4. *D. de pact. l.* 5. *C. de legib.* & alibi. Tale quoque & illud est, quod eodem *Dub. IV.* nu. 179. & alibi jus jurandum rei illicitæ minime obligatorium dicitur: id quod præter juris Pontificii textus ab Auctore productos, & alios plures qui afferri possint, confirmatur etiam *l. non dubium* 5. *in fine D. de legib*, ubi in stipulatione illicita *nec Sacramentum admitti* dicitur & l. *juris gentium* 7. §. *Et generaliter* 16. *D. de pactis*, ubi legitur, *Nec jusjurandum* de *hoc* (nim. *quoties pactum a jure communi remotum est*, uti sup. dicebatur) *adactum..... servandum.*

Digitized by Google

contractum sponsalitium comparatio: sponsalia coemptionem, nuptiæ traditionem imbibunt: per illa jus ad rem ut in venditione, per hæc jus in re, ut in traditione, paritur; utrobique aut res tradenda, aut præstandum id, quod interest: utrobique arrhæ, & quidem ejusdem naturæ; utrumque contractus ante traditionem est revocabilis: cum eo tamen ut arrhæ amittantur simplæ, aut duplæ reddantur: 11. *Insignis ultima inter sponsalia & venditionem comparatio, quod sicuti venditio irrita (puta quia secundo emptori facta) accedente traditione roboratur, sic secunda sponsalia, etsi irrita, per subsequens Matrimonium convalescunt.* 12. *Opponitur Trid. Decretum.* 13. *Triplex responsio.* 14. *Trident. Sanctio sponsalia clam facta saltem implicite prohibuit.* 15. *in sponsalibus* prohibitum *tantumdem quod* invalidum. 16. *Ex voto filiorum Num. XXX. trahitur argumentum ad sponsalia: de quo in* Adnot. *fusius.* 17. *Excipiuntur casus, in quibus ea sponsalia possint esse aut fieri per judicem valida.* 18. *Hactenus de jure communi.* 19. *Idem tentatur ex Pragmatica per excellentem.* 20. *Objectio proponitur, tolliturque.*

[1] AJO igitur sponsalia, de quibus loquimur, fuisse, & adhuc esse civiliter irrita; imo & Canonice, modo parentes cum ratione dissentiant. Ac primum nemini obscurum esse potest illud Paulli *l. 7. de sponsalib. In sponsalibus etiam consensus eorum exigendus est, quorum in nuptiis desideratur.* Quibus verbis per illud *eorum etiam* patrium consensum ab JCto designari, tum verba sequentia (ubi dicitur, *intelligi semper filiæ patrem consentire, nisi evidenter dissentiat*) ostendunt: tum idem Paullus *l. 2. de rit. Nupt.* dicens, *Nuptia consistere non possunt nisi consentiant omnes, idest qui coeunt, quorumque in potestate sunt.* Ergo horum omnium etiam in sponsalibus consensus exigitur. Et hæc quidem etsi satis esse possunt, tamen adde his, si lubet, quæ sup. *Adnot.* 17. congessi, ut ostenderem, semper patres pro filiis despondisse, nec ferme aliter factum.

2. Adde hoc etiam, quod sicuti passim patres pro filiis spondebant, sic non aliter ferme, quam iidem filiorum sponsalia dissolvebant. Et ea quidem dissolutio antiquo Latinorum jure (intellige, si sine causa fieret) erat illicita, & contra detrectantes *ex sponsu actio* dabatur: id quod ex Ser. Sulpicio & ex Neratio A. Gellius IV. 4. prodidit. At jure Romano liberum patri erat sponsalia distrahere, dicente Ulpiano in *l. 10. de sponsal. In potestate manente filia, pater sponso nuntium remittere potest, & sponsalia dissolvere.* Nec dubium est, quin idem patri in filios, quod in filias licuerit; quorum utrorumque non tantum sponsalia, verum etiam ipsa Matrimonia dissolvere antiquitus poterat. At deinde prohiberi placuit patrem, ne bene concordantia Matrimonia turbaret: sed sponsalia pro filiis contrahere, & contracta distrahere pater Romanus semper potuit.

3. At enim, inquies de sponsalium solutione contrarium elicitur ex Can. LIV. Illiberitano (in quem utinam non forte fortuna incidissem, dum hæc scriberem: ita me is canon distinuit, nemini adhuc intellectus) quo ad triennalem pœnitentiam parentes illi damnantur, qui filiorum *sponsalia fregissent*; ex quo alterutrum inferre licet, sive id parentibus jure Cæsareo (cujus illo tempore Christiani servantissimos se præbebant) non licuisse, sive saltem ea parte jus civile per Canonicum videri correctum. Respondeo, etsi doctiss. JCtus Ferd. de Mendoza in *De confirm. Conc. Illib.* in commentario ad eum Canonem, nomine *sponsaliorum* non aliud intelligat, quam quod vulgo solet intelligi: tamen mihi verosimile videri eo loco *sponsalia* non aliud esse quam ipsum Matrimonium. Nam olim apud Ecclesiæ Scriptores *sponsaliorum* & *nuptiarum* item *sponsorum* & *conjugium* vocabula haud raro confundebantur & alternabant: id quod ex usu Sacrarum Litterarum profluxisse, reor: nam in Scripturis quæ tantum desponsæ erant, etiam uxores dicuntur proprietate Hebraica, teste Hieronymo: & ibidem *desponsari* verbum est tum nudis sponsalibus, tum etiam Matrimonio jam copulato conveniens. Hinc parum conve-

nit

sit (II) inter intepretes ad Matt. I. 18. utro significatu accipiendum sit illud: *Quum esset desponsata ..... Maria Joseph*. Sane & apud Italos verbum *Sponsare* de celebratione nuptiarum, non sponsaliorum usurpatur. Ergo apud Ecclesiæ Scriptores *sponsalia* æquivocæ significationis erant. Quæ ἀμφιβολογία ut tandem tolleretur, in Decretalibus introducta est distinctio sponsaliorum in *de futuro*, & *de præsenti*, ut illa sint, quæ in Jure Romano simpliciter *sponsalia* dicuntur, hæc vero Matrimonialis ipse contractus. Ergo in eo canone Illiberit. sponsalia de præsenti videntur intelligenda: nec enim mihi fit verisimile, Patres Illiberitanos id punire voluisse, quod legibus Romanis permissum erat, nim. sponsalia (de futuro) dissolvere. At filiorum Matrimonium rite contractum & consummatum antiquitus quidem distrahere patri Romano licuit abducendo filiam, id quod ex (III) veteribus poetis viri docti demonstrarunt: quod postea tamen mutatum fuit, dicente Ulpiano in *l.* 1. *de liberi exhiben. Certo jure utimur, ne bene concordantia Matrimonia jure patriæ potestatis turbentur*. Hoc quia jure civili vetitum erat (imo & Divino,) quia *quod Deus conjunxit homo non separet*: & *Relinquet homo patrem & ad hærebit uxori*: per quæ verba Matt. XIX. non a sponsaliorum, sed a Matrimonii dissolutione prohiberi parentes, manifestum est) idcirco Illiberitani Patres a communione abstinuerunt eos parentes, qui filiorum Matrimonia turbassent. Lubet Canonis, quem in hunc modum interpretati sumus, verba subnectere. *Si qui parentes fidem fregerint sponsaliorum* (de præsenti) *triennii tempore abstineant se a communione*: *si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine* (distracti temore Matrimonii) *fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. si vero* (parentes) *in eodem fuerint vitio, & polluerint se consentiendo* (filiis sine justa causa divertentibus) *superior sententia* (de triennali pœnitentia) *servabitur*. In filios nulla pœna statuitur, quia a patribus id vitium manare solebat, raro admodum a filiis, si Mendozæ credimus. Sed rectius dicemus, non defuisse & in conjuges temere divertentes canonicam animadversionem, cujus, quippe jam in usu positæ, non opus fuit heic fieri mentionem. At in patres quia pœna deerat, ea per hunc canonem suppleta fuit. Et hactenus de ea canonis Illiber. sententia, quam veriorem suspicabar. Quæ postquam ita conjeceram, confirmavit me in ea suspicione Gabr. Albaspineus, cui eamdem sententiam insedisse, ex ejus brevissima ad eum Can. adnotatione animadverti, ubi sic posuit: *Quum, qui MATRIMONIUM contraxerant sponsi & sponsæ, fidem datam perfregerint, parentes .... omni culpa vacant*. Verum ne sic tamen in tradita interpretatione conquiescebam. Tandem verissimam Canonis hujus sententiam assecutus, eam, quod paucis exponi non posset, nequa-

(II) Hodie parum in eo inter nostros interpp. convenit: at Græci Canonistæ certum habent, nondum eo tempore inter Josephum ac Mariam Matrimonium constitisse, sed tantum sponsalia. Eaque sententia mihi vera videtur: de qua videbis, si lubet, mox. in *Diatrib. II.*

(III) Olim inquam jure vetere Romanorum licitum patri fuit Matrimonia temere distrahere, abducendo filiam in generi sui contumeliam. Tale illud est ex Afranio apud Nonium: *O indignum facinus! adolescentes optimas*, * *Bene convenientes, concordes cum viris* * *Repente ut vidimus faciant spurcitia patris*. Et quod in Stricho Plauti Antiphlo filias Panegyrin & Pinacium ob illud tantum vult abducere, quod generi paullo diutius domo abessent: quem Panegyris sic compellat I. 2. 73. *Aut olim, nisi tibi placebant, non data oportuit*, * *Aut nunc non æquum abduci, pater, illisce absentibus*. Apud Ennium filia sic expostulat: *Injuria abs te afficior indigna, pater*: * *Nam si improbum esse Cresiphontem existimaverat*, * *Cur me huic locabas nuptiis? Sin est probus*, * *Cur talem invitam invitum cogis linquere?* At mirari subit, quo pacto id patri licitum fuerit apud Romanos, apud quos uxor per in manum conventionem in viri potestatem transibat. Itaque certo certius mihi videtur non quaslibet uxores abduci a patre potuisse, sed tantum usuarias nec dum usurpatas, sive quia nondum annus effluxerat, sive quia uxores illæ abnoctando *usurpatum iverant*, de quo vide infra in Diatr. II. num. 5.

Digitized by Google

ne qua properantibus per me mora fieret, contuli in subjectam (IV) *Diatribam*. Nunc venio ad rem positam.

4. Pater ergo Romanus, qui contracta jam Matrimonia distrahere pro sua libidine nequibat secundum posteriorem jurisprudentiam (nam secundum antiquam id poterat) idem sponsalia dissolvere pro sua maxima voluntate poterat, nec *ex sponsu actio* dabatur. An & filio sponsalibus a patre factis licuerit sine probabili caussa dissentire, non reperio. Sed verisimile mihi fit, civiliter non licuisse, argumento *l.* 12. *D. de sponsal.* ubi Ulpianus ait: *Tunc autem solum dissentiendi a patre licentia filiæ conceditur, si indignum moribus, vel turpem sponsum ei pater eligat.* Ex quo conjicio, intra pares justæ caussæ cancellos id filiosam. licuisse (V), extra eos non licuisse. Imo longe plus est, quod in eo genere jus Canonicum sanxit, de quo vide *ca. Tua nos de desp. impub.* nostrumque commentarium ad eam Decretalem sup. in *Addnot.* 17. At cæteroqui sponsus sui juris poterat alteri invito tempore repudium mittere, ex *l.* 2. *C. de repud.* & alibi. Nunc redeo, unde diverteram.

5. Nec enim id magnopere agimus, utrum parentibus filiorum sponsalia solvere licuerit: sed utrum filiis clam parentibus permissum fuerit sponsalia facere, & utrum ea sic facta valuerint. Dixi autem, certi juris esse, ea civiliter non valere. Id videbatur etiam colligi posse ex Basilii ad Amphiloch. Can. XL. ubi sic legitur: *Eorum enim, qui sunt sub alterius potestate, pacta conventa firmi nihil habent:* id quod, utpote generaliter pronuntiatum, non tantum de Matrimoniis (de quibus ibi sermo est) sed etiam de sponsalibus valere videbatur. Verum, ut ingenue fatear, Canon ille de servis, non de ingenuis loquitur. *Quæ*, inquit, *præter* (τοῦ δεσπότου) *domini sententiam se viro tradidit, fornicata est*..... αἱ γὰρ συνθῆκαι τῶν ὑπεξουσίων οὐδὲν ἔχουσι βέβαιον: *eorum enim qui sunt sub alterius potestate pacta conventa firmi nihil habent.* Quod ultimum generale effatum de servis tantum esse intelligendum, non etiam de filiisfam., ex eo manifestum est, tum quia Basilio de servis loqui propositum erat, tum etiam quia de servis duntaxat generaliter verum est, eos nihil contrahendo efficere, non item de filiisfam. qui in pluribus injussu patris de jure communi se obli-

(IV) Diatribam, qua vera interpretatio Canonis Illib. 54. traditur, quia longior justo evaserat, ad calcem Mantissæ hujus subjiciendam statui. Videant, quibus cupido est, *Diatr. I.*

(V) At Cujacius in *Recitat. sollemn. ad l.* 1. *D. de sponsal.* (tom. VII. edit. Neap. p. 897. B) eos quos dixi fines filiæfam. duntaxat fuisse positos putat, non item filiosam. nam huic temere & pro sua libidine dissentire a patre licuisse. Auctor & fundus Cujacio opinionis sive potius hallucinationis hujus est Paullus *l.* 13. *de sponsal.* scribens: *Filiosam. dissentiente, sponsalia nomine ejus fieri non possunt.* At decebat Paullum intelligere de *dissentiente ex probabili caussa*. Quid quod Paulli responsum generale est, ad utrumque sexum pertinens? Nam *filiorum* nomine *filias* quoque contineri non est dubium ex *l.* 16. *de test. tut.* Cæterum ne detrahere gratis videar summo nostrorum temporum JCto, Romana Græcorum jurisprudentia illos quod supra dixi, cancellos non minus maribus quam sequiori sexui fixos putavit, eamque in partem Ulpiani suprascriptam *l.* 12. interpretata fuit. Matthæus Monachus cognomento Blastares in *Syntagm. Alphab.* apud Beveregium *tom.* 2. *p.* 78. *C.* hunc in modum civiles leges huc facientes recitat: Τότε δὲ μόνον ἀντιλέγειν οἱ ὑπεξούσιοι (quo nomine uterque sexus positorum sub patria potestate venit.) δύνανται, ὅτε τοῖς τρόποις ἀναξίους καὶ αἰσχρούς αὐτοῖς μνηστεύωνται οἱ γονεῖς &c. *Tunc autem filii & filiafam. contradicere duntaxat possunt, quum maribus indignos & turpes eis sponsos parentes eligunt. Si tales autem non sint, qui eis despondentur* (*licet exheredari se liberi malint, modo ne parentum voluntati, sed sua satis faciant*) *omnino non valere eorum institutum sancimus. Nam cupiditates juvenum* (notabit lector interim hanc sententiam, quæ summopere ad caussæ summam & Dissertationis hujus, quam illustramus, scopum facit) *ad excidium & interitum proprium tendentes, omnimode coercendas esse, leges ipsa statuunt.* Hæc quæ hactenus ex Matthæo posui, ea ille sub lemmate (οἱ νόμοι) *legum* recitat: ex quo apparet, ea ex *Basilicis* fort. fuisse desumpta, quibus voluminibus carebam, dum hæc scriberem. Vides, inquam, quam recte Græci Ulpianeam legem interpretentur, contra Cujacii sententiam.

Digitized by Google

obligare possunt: tametsi cæteroqui ex eodem jure communi in sponsalibus & nuptiis clam patre pasciſci non possunt. Hæc tetigisse satis fuit, ne tui postrema canonis verba fraudi essent. Nunc ad jus civile redeamus.

6. Ex hactenus dictis perspicuum est, explorati juris esse, sponsalia, quibus pater minime consensisset, fuisse jure civili irrita. Jam vero Jus Romanum ea parte a Canonico jure nusquam correctum reperitur. Quare dicendum est, eam juris civilis dispositionem, qua sponsalia hujusmodi habentur irrita, adhuc obtinere robur suum.

7. Scio quid sint fortasſis excepturi. Dixerint etenim, tum sponsalia clam patre facta pro irritis habita, quando etiam Matrimonium in gratiis parentum contractum irritum erat: nunc postquam jure Canonum novissimo his nuptiis suus tributus est valor, censeri simul etiam sponsalibus suum valorem tributum. Ad summam sponsalia & connubium videntur pari passu procedere. Atque olim quidem neutrum eorum injussu patris consistebat: at hodie quando in Matrimonialibus, sicubi ambo se jura collidunt, unice jus Pontificium sequimur (id quod ipsi etiam Protestantes profitentur, nisi quatenus, inquiunt per Reformationem eidem juri derogatur) quandoquidem jus civile ea parte per Canonicum refingitur, dicendum est non minus sponsalibus, quibus non consenserit pater, quam ipsi connubio constare valorem suum.

8. In qua tota argumentatione illud ante omnia falsissimum est, sponsaliorum & connubii contractus pari passu procedere. Sunt enim contractus diversi, inter quos plures disparilitates intercedere, quis per se poterit animadvertere, super quibus nolo heic lectorem morari: videat, cui tanti est inferne (VI) adnotata. Quare nihil dici falsius potest, quam duos hosce contractus paribus vestigiis progredi, aut quidquid de uno affirmatur negaturve, id continuo de altero adstrui aut abnui debere. Nisi vero jus Canonicum orientale sequimur. Apud Græcos enim Canonistas ea regula valet, *sponsalia ferme in omnibus æquiparari nuptiis*, ea nim. sponsalia, quæ cum precibus osculo & arrhis celebrata fuerunt. De quibus vide dicta in *Diatriba* ad Can. Illib.

9. Ac mihi quidem illa comparatio justior videtur posse institui, per quam sponsaliorum conjugiorumque doctrina illustrior fiat: si priora illa (VII) venditioni, hæc atte-

(VI) Sponsalia a Nuptiis differunt 1. nomine, & etymologia nominis. 2. Definitione. 3. Causa efficiente, quæ in illis est consensus sponsalitius, in his consensus nuptialis. 4. Forma, quia sponsalia perficiuntur pactione de futuro conjugio, nuptiæ præsenti traditione, cohabitatione, individuæ vitæ societate. 5. Fine, qui in sponsalibus est animorum exploratio ad futuras nuptias: in his vero finis est *liberum quærendorum causſa*. 6. Adjunctis essentialibus, quia Matrimonium est Sacramentum, sponsalia non item: illud est irrevocabile, hæc revocabilia: illud inter puberes, hæc etiam inter impuberes fiunt. 7. Adjunctis accidentalibus, quia sponsæ habitu & vestitu a nuptiis distinguuntur: sponsalia sub conditione contrahuntur, nuptiæ non solent: illa interdum cum pœnæ adjectione, hæ secus: & quæ sunt plura hujus generis. 8. Effectis, quæ diversa omnia esse in sponsalibus atque nuptiis, clarius est, quam ut in eorum enumeratione sit laborandum.

Cæterum hactenus dicta procedunt de sponsalibus jure civili & Canonico Latinorum notis: nam cæteroqui genus alterum sponsaliorum apud Græcos est, ferme nuptiis æquiparandum: de quo ad calcem Mantissæ disseram in *Diatriba ad Can. Illib.*

(VII) *Sponsalia* venditioni, *non ex sententia Thomasii* promissioni venditionis *esse æquiparanda*. De universo nuptiali negotio ac processu cum contractu emptionis venditionis comparando, ut eo modo sponsaliorum nuptiarumque Romani juris natura penitus introspiceretur, mirabar nihil tot viris clarissimis suboluisse, post illa certe, quæ jamdudum Tiraquellus ad leg. connubialem V. aliique viri eruditi observata reliquerunt de *coemptione*, quæ in nuptiis interveniebat: de quibus vide seq. *Adnot.* Verum in his dum eram, animadverti, Christianum Thomasium in *De validitate conjugii invitis parentibus contracti* (cujus opera heic raro obvia habet tamen Vir Amplis. & JCtus eruditis. Bernardus Tanucius Regis nostri

Digitized by Google

altera traditioni æquiparentur. Nisi quod ea non tam comparatio videri potest quam ταυτότης (*identitas*). Nam illud vel mediocriter eruditi sciunt, nuptias (cujus nominis ambitu pluries uterque contractus, sponsaliorum & Matrimonii, imo & universus connubitalis processus continetur), nuptias, inquam, per *coemptionem* hoc est (VIII) mu-

a secretis, cujus humanitate commodata habeo: ceteroqui & JCtus amicis. Horatius Buscionius habet; quod in curiosorum gratiam moneo) de ea quidem comparatione vix aliquid §. 5. injecisse: verum eam comparationem non recte ab illo fuisse institutam. Contendit enim, sponsalia, quæ de futuro dicimus, non cum ipsa emptione venditione, sed cum promissione venditionis esse conferenda. Non recte: est enim dispar utriusque rei ratio. Per venditionis promissionem, ut quæ non habet statutum pretium, non perficitur venditio, ac nulla adeo inde nascitur actio, nec *ex vendito* in emptoris gratiam, nec *ex empto* in gratiam venditoris: at vero in sponsalibus simul etiam de dote (quæ tantumdem est ac venditionis pretium: de quo vide seq. *Adnot.*) conveniebatur: unde ex sponsalibus prodebatur in Latio *actio ex sponsu*. Adhæc sicuti venditor, per quem stetisset, quominus res emptori traderetur, *quanti interfit*, condemnatur, *l. 1. l. 21. §. 9. l. 12. de act. empt. l. 10. quib. mod. pign. solv.* sic apud Gellium IV. 4. *Si post eas stipulationes* (sponsaliorum) *uxor non dabatur: qui stipulabatur ex sponsu agebat: judices cognoscebant, quambrem data acceptave non esset uxor; judex quærebat: si nihil justa causa videbatur, litem pecunia æstimabat, QUANTIQUE INTERFUERAT eam uxorem accipi aut dari, eum qui sponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat.* Accedit quod secundum sponsalia arrhæ sponsalitiæ dari solent: quæ plane vix darentur, si illa naturam promissæ tantum venditionis imitarentur; vix enim aut raro promittentes vendere aut emere dant, aut accipiunt arrhas, sed tantum qui emerunt vendiderunve. Quid quod utrasque arrhas, tam emptionales, quam sponsalitias, eadem conditio comitatur, ut, non secuta traditione, is, per quem stetit, sive datas amittat, sive acceptas reddat duplicatas? De quo dicetur infra num. 10. in fin.

Quæ hactenus edisserui, ea non tantum ostendunt, ridiculam esse Thomasii comparationem sponsaliorum cum mera promissione venditionis, sed etiam veram esse comparationem a me positam, ac revera non aliud olim sponsalia quam *coemptionem*. Esti vero postea ritu tantum coemptio adumbrata fuit (de quo in *Adnot.* seq.) manfit tamen ut in sponsalibus dos dicta aut promissa locum statuti pretii teneret. Nam in stipulandis sponsalibus simul de dote conventum fuisse, docet Plautus Aulul. II. 2. 57. ubi Megadorus sic stipulatur ab Euclione: *Quid? nunc etiam mihi despondes filiam.* Euc. *illis legibus.* * *Cum illa DOTE, quam tibi dixi.* Meg. *Spondeo. ergo?* Euc. *Spondeo.* Et in Trinummo V. 2. 33. Lysiteles a Charonde stipulatur in hunc modum: *Spondeo. ergo?* Char. *spondeo, & mille aurei Philippum DOTIS.* Verum de his plura in *Adnot. seq.*

Cæterum, si quod Thomasius contendit, sponsalia de futuro se habent non quidem ut venditio, sed ut promissio venditionis: quæro, quum olim nuptiæ coemptione fierent, quidnam porro in toto connubiali processu fit, quod loco venditionis sit habendum. *Sponsalia*, inquit, *de præsenti*, hoc est ipsum Matrimonium. At hoc plerumque supponit conventionem de dote, quæ pretii locum tenet: supponit sponsalibus arrhas. At qui si verum sequimur, sponsalia de præsenti non aliud in re Matrimoniali sunt, quam quæ venditionem sequitur traditio. Id & per se liquet, & constat ex verbis, *Accipio te in uxorem, in maritum*: constat ex junctis dexteris, & ex hierologiæ verbis, *Ego vos conjungo &c.* Ergo quum traditio sit venditione posterior: necesse est non aliud quam sponsalia de futuro illud esse, quod sit emptioni venditioni æquiparandum. Nuptialis autem ritus, uti dixi, traditionem corporum complectitur: at usus, qui rei venditæ traditionem ad ultimum sequitur, non alius in re matrimoniali, quam concubitus, reputari debet. Hæc quum sint per se clara, non video cur in ea re vir doctus cecutierit.

Non negandum est tamen, sicuti in emendo pluries simul res venditur traditurque, sic posse evenire ut uno momento simul sponsalia nuptiæque in unum conspissentur.

Cæterum haud erat difficile in nuptiali processu id reperire, quod cum promissione venditionis conferri posset. Nam quamdiu a procis ambiebatur uxor, quamdiu hæc *Sperata* vocabatur: sæpe fiebat ut pater se despondsurum polliceretur, modo scilicet de dote cæterisque sponsaliorum legibus conveniretur (atque ea, si quæris, est promissio sponsaliorum respondens promissioni venditionis) quæ postquam conventa sunt, tum & sponsalia existunt, & quæ antea *sperata*, postmodum *facta* dicitur, & sponsalitia venditio jam tum incipit perfecta existere.

(VIII) Nuptias olim per coemptionem fuisse factas, ubi non scriptum reperitur? Servius ad illud *Geor. 1. 31. Teque isbi generum Thetys emat omnibus undis*, ait illud EMAT *ad anti-*

quum

Digitized by Google

mutuam emptionem fuisse contractus. Ea coemptio processu temporis ritu (IX) tantum terminari quodam coepit. Postremo & eo ritu sublato, mansit illud tamen, ut jura sponsaliorum connubiorumque contractum emptionis venditionis imitatentur. Ea imitatio qualis sit jam paucis exsequar.

10. Ac 1. sicuti in contractu emptionis venditio distinguitur a traditione, per quam venditionis contractus consummatur; sic in re conjugali sponsalia quidem venditionem referuntur, at subsequens Matrimonium traditionem complectitur: nec enim Matrimonium, quatenus contractus est aliam habet vim a sponsalibus diversam, nisi quod mutuam corporum traditionem impertiat. 2. Deinde sicuti per nudam venditionem sine traditione tantum jus ad rem acquiritur, traditio vero postmodum largitur jus in re: sic etiam jus ad rem per sponsalia, jus in re (in qua locutione personæ conjugum tanquam res considerantur) per secutum Matrimonium paritur. 3. Emptione contracta, tenetur venditor rem tradere, aut (si ad id non tenetur secundum alios DD. quam (X). controversiamvide apud Vinnium initio ad *tit.* 24. *lib.* 3. *Instit.*) debet

quum nuptiarum pertinere *ritum*, *quo se maritus & uxor invicem coemebant*, *sicut*, inquit, *habemus in Jure*. Et quæ plura ibi addit. Complura etiam affert ad illud Æn. IV. 103. *Liceat Tyrio servire marito*, *Dotalesque tua Tyrios permittere dextra*; ubi de coemptione, deque *in manum conventione* (quam agnoscit invoce *dextra*) multa docet. Longe etiam meliora tradit ad illud ejusdem lib. 214. *Ac dominum Ænean in regna recepit*. Quem ultimum Servii locum descripsisse, aut certe ab oculos habuisse videbatur Boethius in lib. 2. ad Topica Ciceronis, nisi tamen idem Boethius Ulpiani Institura laudaret: ex quo potest intelligi, tam Servium libros Juris citantem, quam Boethium, ex eodem Ulpiano illud hausisse.

Ac ne ea coemptio Romanorum peculiaris videatur: & apud reliquas gentes vir & uxor se coemebant. Ac primum de Græcis videamus. Nam ecce Euripides in Medea uxores virorum emptrices facit: Αἳ πρῶτα μὲν δεῖ χρημάτων ὑπερβολῇ * Πόσιν πρίασθαι, δεσπότην δὲ σώματος Λάβεῖν. *Quas primum oportet grande vi pecuniæ* * *Emere maritum*, *dominus ut sit corporis*. At contra Sophocles uxores maritis venales facit: apud quem in Stobæo ser. 66. illæ sic expostulant: Ὅταν δ' ἐς ἥβην ἐξικώμεθ' εὐφρονες * Ἀθούμεθ' ἔξω, καὶ διαπωλούμεθα. *Namque ex ephebis ubi hilares excessimus*, * *Propellimurque foras*, *itemque vendimur*. At utrumque scitissime junxit Nazianzenus in Carm. de virginitate: Ὡνὸς ἔσι δάμαρτι πᾶσις... καὶ ὤνιος ἔυνις ἀνάλτη. *Uxori vir venalis*, *venalis eidem Uxor*. Videatur & Aristoteles II. Polit. 98.

Idem mos & apud pleraſque alias nationes vigait. Assyrii teste Æliano in IV. Var. hist. & Stob. ser. 42. puellas nubiles in forum deductas viris in Matrimonium divendebant. Idem & Babylonii teste Herodoto faciebant. Idem & Thraces auctorem eodem Herodoto. At Solinus cap. x. Threissas etiam *subhastari* consuevisse tradit: in quem locum vide Salmasium. Indi apud Strabonem uxores par bovum emebant. Videatur de his omnibus Tiraquellus ad leg. Connub. V. Sed & apud Germanos vir uxori dotem offerebat, & quidem *boves & frænatum equum*, *scutum cum framea gladioque*, ut est apud Tacitum cap. 18. Postremo de Hebræis paria Scripturæ exempla complura sunt: de quibus, ut & de Talmudicis vide *Diatr. II.*

(IX) Ritus is quomodo procederet, explicuit Servius locis citatis, præsertim ad IV. Æn. 214. Boethius ad Topica Ciceronis, ac Nonius. Verum de iis ritibus plures habeo de meo observationes; quas contuli in peculiarem Diatribam, quæ (ne hoc plane obtunderem) promissæ *Diatribæ ad Canon. Illib.* comes accedet.

Atqui ea coemptio, quam citati auctores describunt, dicis caussa fiebat: isque ritus paullatim etiam obsolevit. At semper tamen intellectum fuit, tum dotem, quæ ab uxore dicebatur, tum & τὰ ἀντίφερνα: idest munera cujusvis generis, quæ a viro nuptiarum contemplatione uxori dabantur, utrumque, inquam, pretii locum tenere, quo se invicem coemebant, sive utrimque dabantur, aut quo unus alterum emeret, si ab una parte dabantur. Vide loca in superiore *Adnot.* producta. Quibus adde Theophyl. ep. 75. πρεσκίων τὸν γάμον ὠνήσομαι. *dotalibus maneribus emam nuptias*.

(X) *De eo, utrum venditor teneatur tradere rem, an præstando id, quanti interest, liberetur. Quid sit venditoris procacia.*

Vix alia circa emptionis contractum gravior quæstio exsistit, ultro citroque a DD. agitata, quam hæc, utrum venditor, ubi primum de pretio convenit, hoc est contractu jam perfecto, si habeat tradendi facultatem, teneatur præcise

debet saltem præstando *id, quod interest*, defungi. Nec diversa olim ex sponsalibus obligatio nascebatur, nam teste A. Gellio IV. 4. si uxor non dabatur, aut non accipiebatur, post intentatam actionem ex sponsu, judex *litem pecunia æstimabat: quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui spoponderat aut qui stipulatus erat*,

præstare rem, an etiam tantum solvendo quod interest, liberetur. Posse alterutro ex his modis venditorem defungi, senserunt ex antiquis Jo. Bulgarus, Azo, Hugolinus, ex recentioribus autem Alciatus, Duarenus, Donellus, Fachin. apud Vinnium ad tit. Instit. *de empt. & vend.* apud quem eodem inclinare dicuntur Covarruvias, Faber, Bachovius, Gudelinus, Christin qui ultimus etiam refert magnum Senatum Mechlinien-sem secundum hanc sententiam sæpe pronuntiasse. At opinio contraria (quæ docet, venditorem simul ac de pretio constitit, cogi rem tradere, si facultas tradendi sit) pluribus patronorum suffragiis & melioribus rationibus juvatur, atque hodie *tantum non ubique* (inquit Vinnius) *recepta est*.

Huic si a me quæratur, utra sit potior sententia, non dubitabo ad posteriorem me adjungere, quæ & naturali rationi est apprime consentanea, & cui plures eædemque apertæ legum auctoritates suffragantur. Quid enim clarius illo Paulli loco in I. *sent.* 13. sic scribentis: *Si id quod emptum est neque tradatur neque mancipetur, venditor cogi potest, ut tradat aut mancipet*. Nec minus diserte Justinianus in tit. Instit. *de empt. & vendit.* ait, emptione perfecta & & pretium omnimodo solvendum & rem tradendam esse. Idem tit. *de Donat.* §. v. eamdem traditionis necessitatem, quæ incumbit venditori, ad hujus exemplum donatori etiam imponit.

Hæc quam sint clariora sole loca, certam efficiunt ἀπόφασιν, venditorem cui facultas tradendi sit, non liberari, nisi tradendo rem. Cæterum ad loca alia priori opinioni in speciem faventia facile respondebitur. Nam *l.* 11 *l.* 111. §. 9. *D. de act. empti*, & alibi, ubi scribitur, non tradentem in id, quanti interest condemnari; intelligendæ sunt, ubi facultas tradendi deest. Itemque *l.* 17. *C. de fid. instr.* in illis verbis, *Necessitas venditori imponatur vel contractum venditionis perficere* (rem trahendo) *vel id quod emptoris interest, ei persolvere*, non alternativa obligatio venditoris designatur, sed successiva, ut tum solum sufficiat persolvere quod interest, ubi facultas tradendi deest.

Unus tamen locus est *l.* 4. *C. de act. empti*, cui nemo adhuc quod sciam, satisfecit. Ibi scribitur: *Si traditio rei venditæ.... PROCACIA venditoris non fiat: quanti interesse complere emptionem fuerit arbitratus Præses prov. tantum in condemnationis taxationem deducere curabit*. Ibi illud PROCACIA D. Gotofredus interpretatur *contumaci mora*. Atqui nulla est contumacia in eo qui facultatem tradendi non habet. Quare dicendum erit, solvendo, id quanti interest, venditorem defungi, etiam ubi facultatem tradendi habet. Respondeo, in ea lege *Procaciam* non esse contumaciam, sed longe aliud. In Glossis *Procacia* est ὀργή: hoc autem *præcipitantiam* significat, sive (ut appellat Seneca *de ira*) *irrevocabilem præcipitationem*. Porro venditoris Procacia in eo posita videtur, quod præcipitanter eamdem rem secundo emptori tradens, ademit sibi tradendi priore emptori facultatem. Aut verius *Procacia* idem est quod *petulantia*: nam ut istud a *patendo* fit, illud a *procando* ideſt poscendo. Utraque vox de meretricibus usurpatur amatores poscentibus atque invitantibus. Ex quo vides, hasce voces usurpari in malam partem & de impudenter petentibus. Scitum est autem, venditores ultro emptores deposcere, atque in eo esse nimios. Id ubi intra fines honesti fit, non erit *procacitas* aut *petulantia*. At ubi eos fines trasgressi, etiam res alteri venditas iterum vendunt simulque tradunt; ea merito *Procacia* dicetur. Vides jam in ea lege eos peti, qui procaciter re secundo emptori tradita, facultatem sibi tradendi priori præciderunt. Atque ea interpretatio quamquam certa est, ex loco Gellii, quem toties produximus, lucem hauriet, eidemque affundet: ex quo simul intelligetur, quam paria ac germana omnia in emptionis atque in sponsaliorum contractu fuerint. *Sed si post eas stipulationes* (sponsalitias) *uxor non dabatur aut non accipiebatur, qui stipulabatur, ex sponsu agebat: judices cognoscebant. Judex, quamobrem data acceptave non esset uxor, quærebat*. Hactenus rite & recte omnia: illud quod sequitur, non pronum est ad intelligendum. *Si*, inquit, *nihil justa causa videbatur, litem pecunia æstimabat: quantique interfuerat eam uxorem accipi aut dari, eum qui spoponderat, aut qui stipulatus erat, condemnabat*. Imo, inquam, *si nihil justa causa videbatur*, debuisset cogere ad dandam aut ducendam, non damnare ad id quod interfuisset. Verum loquitur ibi Gellius de ea faci specie, quando jam sponsa alteri proco-nupsisset, aut sponsus alteram uxorem duxisset. Huic quia dandi aut ducendi deerat facultas; is qui frangendo fidem, facultatem sibi tradendi ademerat, ad id quanti intererat damnabatur.

Digitized by Google

erat, condemnabat. 4. Præterea in utroque contractu tam venditionis, quam ſponſaliorum arrhæ dantur aut accipiuntur, & utræque arrhæ eamdem vim ac naturam habent. 5. Adhæc, emptio venditio ante traditionem revocabilis eſt: ſicuti & ſponſalia ante Matrimonium. 6. Nam in utroque contractu non tantum per parem præſtationem ejus, quod intereſt, contrahentes defungebantur, ut ante dictum fuit: verum etiam par utrobique fuit arrharum amiſſio aut redditio. Etenim ſicuti ubi in emptione arrhæ intervenerint, poteſt ab eo negotio recedi, ſi aut emptor diſcedere volens arrhas datas relinquat, aut recedens venditor, quas accepit, reddet duplicatas, *l.* 15. *Cod. de fid. inſtrum.* ſic etiam ex *l.* 5. *Cod. de ſponſal.* qui ſponſaliorum fidem non vult implere, acceptas arrhas ſponſalitias reſtituet duplicatas, aut, ſi minor ſit, ſimplas. Sicuti & ſponſus, qui dederat, non eſt dubium, quin per meram amiſſionem recedat a negotio. 7. Poſtremo eſt & alia inſignis ſimilitudo inter ſponſalia & venditionem intercedens, quam licebit latius deducere.

11. Nam ſicuti venditio irrita interdum accedente traditione roboratur, ſic etiam ſponſalia invalida, ſubſequente traditione hoc eſt Matrimonio convaleſcunt: id quod duplici exemplo expedio. Prius exemplum erit hoc. Etſi enim venditio poſteriori emptori facta per priorem vitiatur, tamen ſi poſteriori venditioni etiam traditio acceſſerit, jam hæc priore potior erit, *l. quoties* 15. *C. de rei vendic. l. traditionibus* 20. *C. de pact.* At idem juris & in re connubiali prorſus obtinet, id quod apparet in ſponſa duorum aut ſponſo duarum. Etenim ad eum modum, quo venditio poſterior per priorem, ſic ſecunda ſponſalia per priora infirmantur: rurſus autem quemadmodum venditio ſecundo emptori facta, mox ut acceſſerit traditio, vincit priorem venditionem, ſic poſteriora ſponſalia accedente traditione corporum hoc eſt Matrimonio, ſponſalibus prioribus prævalent. Alterum exemplum eſto in eo, quo de agimus, patrio diſſenſu. Nam ſponſalia, quæ injuſſu patris tui ſtipulatus es, caſſa eſſe definitum eſt in allata *l.* 7. *De Sponſal.* quam legem Jura Canonum, uti diximus, non reſciderunt. At ſi iſta ſponſalia initio irrita ipſum Matrimonium fic, quaſi venditionem traditio, ſubſequatur, jam is contractus ex Tridentina ſanctione eſt validiſſimus.

12. At enim, inquies, hoc ipſo, quod Tridentini Patres nuptiis ſine patre factis virginem tribuerunt videntur & eumdem vigorem furtivis filiorum ſponſalibus tribuiſſe.

13. Reſpondeo tripliciter. 1. Argumentum a validitate Matrimonii ad validitatem præcedentium ſponſaliorum non valet, ut ſatis jam proxime demonſtratum fuit tum exemplo traditionis, quæ venditioni invalidæ accedens robur eidem tribuit: tum ſponſaliorum cum ſecunda perſona contractorum per ſe vitioſum, tamen nuptiæ ſubſecutæ firmant. Contra vero ſi a validitate ſponſaliorum infertur Matrimonii valor, argumentatio recte procedet: e. g. ſponſalia cum Seja valent, ergo cum eadem & nuptiæ ſubſecutæ conſiſtunt. Ratio eſt, quia ſponſalia ſtatim ac inhoneſta ſunt & prohibita, etiam vitioſa evadunt: contra vero plura conjugia ſunt illicita & prohibentur ne fiant, at facta ſuo ſe robore ſuſtinent. 2. Tridentini Patres, qui nuptiis ſine auctoritate patris valorem conſtare voluerunt, fidem de ſponſalibus alte filuerunt: id quod etiam doctiſſ. Bellarminus agnoſcit. Quare diſpoſitio juris civilis ſponſalia clam patre facta irritantis, quia nuſquam in Jure Canonico antiquata cernitur, adhuc obtinet vires ſuas. 3. Tertia reſponſio paullo longior erit: de qua ſic accipe.

14. Dixi Tridentinos Patres de clandeſtinis ſponſalibus, ſeu clam patre factis ſiluiſſe. Nunc ipſe me reprehendo. Ajo igitur, ſponſalia injuſſu patrio contracta ab eo Concilio, ſi minus diſerte, at ſaltem implicite vetita fuiſſe, ac proinde ab eodem irritata, quia (uti modo dicebam, & mox uberius exponam) in re ſponſaliorum quod prohibitum, idem continuo & caſſum effectu eſt, ſecus ac in Matrimonio. Res ſic ſe habet. Synodus illa Seſ. 24. in *De reform. matr.* cap. 1. nuptias parentum auctoritate defectas, etſi jam contractas ſuſtinet, tamen deteſtatur & prohibet, dum

ait,

ait, *Sancta Dei Ecclesia semper detestata est atque prohibuit*. Quo loco τὸ *prohibuit*, habet vim præteriti proximi (τοῦ παρακειμένου) non remoti: quod Itali non redderent *proibì*, sed *l'hà proibito*. Quod tantumdem est ac *prohibuit & nunc etiam prohibet*: uti suo loco, ubi de Canonis Trid. sententia, pluribus demonstrabitur. Ergo quas nuptias Concilium factas sustinet, easdem *prohibet*; supple faciendas. At vero factas sustinere simulque faciendas prohibere tantumdem est, ac sustinere sponsalia de præsenti injussu paterno facta, at prohibere eadem de futuro: Nunc quæro, quo pacto ista sponsalia de futuro, quæ a Tridentino conventu, si minus disertis verbis, at certe ἰσοδυναμοῦσιν (*æquivalentibus*) &, uti loquuntur, *implicite* fuere prohibita, eadem tamen dici valida possint. Vides igitur tantum abesse, ut Tridentino hisce sponsalibus quidquam præsidii arcessi queat, ut si ejus judicio stamus, dicenda sint ea sponsalia non tantum civiliter, verum & canonice *prohibita*, quod tantumdem valet ac *irrita*.

15. Et quidem ut rem altius repetam, in Matrimonio quidem tum carnali, tum etiam spirituali (hoc est in sacris ordinationibus) valet hæc distinctio, ut possit esse validum, sed non licitum: at in sponsalibus inauditum est, ut quæ sint illicita ac prohibita, simul tamen consistant. Etenim mera sponsalia de futuro, quippe nullam corporum trationem continentia; ex eo solum quod prohibentur ne fiant, etiam facta, vitiosa sunt & effectu carent. Contra vero sponsalia de præsenti, sive Matrimonium potest multis casibus esse ratum, etsi fuerit illicitum. Si quæras discriminis hujus inter sponsalia & connubium rationem, promptissimum erit respondere: quia inquam, Matrimonium nexum indissolubilem habet, quem non modo dissolvere, ubi recte coaluit, sed ne tum quidem, ubi subolet vitium, pro infirmo ac dissoluto haberi seu declarari expediat: secus sponsalia. Et quidem quæ irrevocabilia sua natura sunt, in iis non solet ex illicito ac prohibito etiam τὸ ἄκυρον sive *invalentia* continuo inferri. Sic quia donationes sunt irrevocabiles, ideo lex Cincia *imperfecta* Ulpiano dicitur in fragmentis initio, ubi sic incipit: *Imperfecta lex est veluti Cincia, quæ supra certum modum donari prohibet .... & si plus donatum sit, non rescindit*. Eodem plane modo lex Tridentina de conjugiis clam parentibus initis *imperfecta* (XI) ut alibi sæpe monui, dici poterit, quippe eas nuptias *detestans & prohibens*, at vero semel factas fovens ac fulciens. At in sponsalibus longe aliter se res habet, in quibus, utpote revocabilibus, prohibere ne fiant, tantumdem est, quod irritare jam facta: Sic sponsalia post fidem alteri datam contracta, quia Jure Canonico sunt prohibita, continuo etiam sunt invalida, etsi ubi hisce posterioribus sponsalibus nuptiarum nexus indissolubilis accesserit, jam jure optimo consistent. Postremo si & hoc porro quæras, cur in sponsaliorum, imo & pactorum omnium legibus tantumdem sit prohibere, nequid fiat, ac factum infringere: ratio est expeditissima, quia certi juris est, sponsiones, pacta, stipulationes turpes nullius esse roboris, ex *l. Generaliter 26. l. Si flagitii 125. D. de verb. obl.* necnon *l. 7. §. 14. l. 27. §. 4. D. de pact. l. 5. C. de legib.* Id vero intelligendum est; sive ea turpitudo ex naturali honestate, sive ex legum prohibitione promanet. Etenim utraque turpitudo his sponsalibus inest, quæ & *naturali rationi* (ut ex instit. initio tit. de Nupt. intelligitur) adversantur, & a *civili* præterea abhorrent. Ad civilem autem rationem refertur *patriæ potestas* & *jus suitatis*, quorum illa facit ut filius nihil ferme, nisi auctore patre possit: istud vero prohibet ne patri invito suus agnoscatur heres.

(XI) Quum autem sanctionem hanc Tridentinam *legem imperfectam* voco; noli sic accipere, quasi quidquam Sacrosancto Concilio detractum eam. Tantum enim exempli & interpretandi causa hæc dicuntur. Non enim ratione potestatis aut cognitionis alteriusve defectus in Legislatore, ea lex *imperfecta* dicitur: sed quia Legislator ipse hactenus & non ultra prohibere voluit. Pari ratione impedita tantum impedientia vocari *leges imperfectæ* possunt.

Digitized by Google

res. Et ob has rationes sponsalia filiorum fam. inscio patre a Romanis legibus prohibentur, ac proinde sunt irrita.

16. Poterat & illa ratio afferri, quod sicut, de juris Mosaici Romanique collatione & vetus libet scriptus exstat, & eam comparationem non indiligenter viri eruditi atque industrii pertexuerunt: sic quandoquidem Num. Cap. 30. vota Deo a filiisfam. dissentiente patre nuncupata sunt irrita: non fuit consentaneum, ut sponsiones futurarum nuptiarum (quæ in jure nostro etiam *vota* dici solent) ut vota inquam hominibus non auctore patre facta valerent. Verum de hoc toto argumento, quo θεοδιδακτότερον videri poterat, videantur inferne (XII) adnotata.

17. Ex

(XII) *Ex voto filior. fam.* Num. xxx. 4. *non recte inferri, eorumdem nuptias, sed tantum sponsalia injussu patrum non consistere.*

Num. xxx. 4. 5. 6. sic legitur. *Mulier si quidpiam voverit, & se constrinxerit juramento, quæ est in domo patris sui & in ætate adhuc puellari: si cognoverit pater votum, quod pollicita est, & juramentum quo obligavit animam suam, & tacuerit, voti rea erit. Quidquid pollicita est & juravit, opere complebit. Sin autem statim ut audierit, contradixerit pater, & vota & juramenta ejus irrita erunt, nec obnoxia tenebitur sponsioni, eo quo contradixerit pater.* Hanc periocham quum Gratianus in eam Decreti partem, qua de Matrimoniis agitur (legitur enim Causa 32. q. 1. can. 14.) retulisset, ansam Glossographis præbuit ea verba non tantum de voto & juramento; sed & de Matrimonio impuberum intelligendi. Vide ibi Glossas, in quibus votum, ac Matrimonium aut confunduntur, aut pari passu in filiisfam. procedunt. Sed & Fagnanus ad cap. *Tua nos, de desponſ. impub.* 0. 12. hunc Decreti textum (qui est Mosæ Num. c. 30.) supine admodum Ambrosio tribuit, &, quum sit de voto ac juramento, tamen tamquam responsum matrimoniale laudat.

Quamvis autem adscriptus textus non de Matrimonio, sed de voto ac jurejurando loquatur, tamen ansam Protestantibus dedit, ut inde argumentum caperent, quo probarent, nuptias clam patre initas non consistere, aut saltem per patrium dissensum solvi. Primus, quem sciam eo argumento usum, fuit Erasmus, a quo id mox Protestantes arripuerunt, ac plenis buccis decantarunt. Nam si, inquit, promissio Deo facta a parentibus cassa redditur, quanto magis nuptialis promissio facta homini? At fateor, a voto ad Matrimonium non rite argumentum procedere. Nam votum non aliud quam meram promissionem complectitur: quum contra Matrimonium exhibeat & repræsentet, quod ante promissum fuerat. Vide proxime dicta in Mantiss. num. 9. & seq. & in *Adnot. VII.* ubi ostendimus, sponsalia venditioni, at Matrimonium traditioni esse æquiparandum. Ergo si quod argumentum ab hoc Mosis loco duci poterat, id unice ad sponsalia, non ad Matrimonia trahendum erat. Nam recte a voto ad sponsalia argumentatio fluit. Si enim promissio Deo facta in conceptione voti per patrium dissensum fit irrita, multo magis per eundem infirmabitur promissio hominis facta in sponsalibus. Hæc alia, reor, Gratiano mens fuit, quippe hunc Numerorum locum ineptos eos textus inferenti, qui sunt de sponsalibus: existimavit enim, recte a voto ad sponsalia argumentum trahi.

Imo fort. non tam Gratianus voto ad sponsalia argumentum ducebat, quam proprie Mosaicum textum existimavit de *votis* nuptialibus hoc est sponsalibus accipi debere. Cur? Quia quum a Vulgata, quam usurpavit, abest vox *Domino* (quæ tamen in fonte est, ubi diserte dicitur *Mulier si voverit votum Domino*) existimavit forsitan, hoc de votis nuptialibus posse accipi: nam *Votum*, etiam sine addito, sæpe nuptias significare, satis colligitur ex illo Apulei in IV. Floridor. ubi ait, *Togam quoque parari & voto & funeri* (ubi imperite commentator Julianus Floridus in *interpretatione* illud VOTO exposuit *ad votum nuncupandum*: imo ad ævum Apulei ibi alluditur, quo duobus duntaxat temporibus induebatur toga in nuptiis semel, iterumque in funere) & ex aliis Scriptor. & JCtorum locis apud Brissonium in *v. votum*. Accedebat quod Divinus Legislator similia Romanis sponsaliorum legibus ibi loqueretur. Nam illud Mosaicum Num. xxx. 4. *Si cognoverit pater votum, quod pollicita est... & tacuerit, voti rea erit*: ex æquo respondet Paulli responso in *l. 7. de sponsal.* ubi, præfatus de necessitate consensus ascendentium in sponsalibus, subdit: *Intelligi tamen semper filia patrem consentire, nisi evidenter dissentiat, Julianus scribit.* Postremo sicuti, ubi de sponsalibus sermo est, quod de filiabus dicitur, idem solet & ad filios porrigi (vide exemplum sup. in Adnot. V.) sic & in hoc Mosis loco, quod de filiæ voto Legislator posuit, id Hebræi JCti perinde de filiis esse intelligendum statuunt. Omnino videbatur, uti dicebam, ætate Gratiani Mosaicus is locus etiam de votis nuptialibus, hoc est sponsalibus esse capiendus, alioqui numquam in suo Decreto is Monachus hanc Sacræ Scripturæ laciniam ei panno assuisset, qui totus est de sponsali-

Digitized by Google

17. Ex hactenus dictis fit consequens, filiosfam. sibi invicem injussu paterno de re nuptiarum in futurum promittentes, per eas sponsiones nihil prosus efficere, ac protinus sponsalia esse ipso jure irrita: exceptis aliquibus casibus, quibus permissum est filiisfam. auxilium judicis adversus parentum morositatem implorare, quibus casibus posunt interdum nuptiarum promissiones nec turpes esse, nec irritæ: sed nec tamen statim actionem ex sponsu (XIII) saltem de Jure Canonico dabunt, ve-

libus. Aut (si non tam crasso ingenio Gratianus fuit, ut sic putaret) certe quidem ex vulgata sui temporis opinione aut existimavit, Mosaicum, de quo quærimus, textum generaliter ad omnia vota, tam Deo nuncupata quam homini, pertinere: aut postremo a voto ad promissiones hominibus factas argumenta tamquam a majore ad minus trahi oportere.

Antequam hinc abeo: Ulpianum reperio *l. 2. de pollic.* §. 1. de voto similia Moysi locutum. *Voto autem patres familiar. obligantur, puberes sui juris: filius enim fam. vel servus sine patris dominive auctoritate voti non obligantur.* Hæc ubi jam scripseram: animadverti, turbare heic Morales Theologos: apud quos sic distinguitur, ut impuberum tantum vota irritari a patribus possint, non item puberum, quos hodie voti reos faciunt: nisi si quando eorum vota sint talia, quæ regimen domesticum perturbent. Vide Nat. Alexandrum in Theologia, & alios. Et hactenus quidem do manus: nam tradita ab illis regula saltem ex Theologorum consensione potest hodie legis locum obtinere, etiam si aliter in Mose sit: quia istud Mosaicum præceptum (nimirum quod filiarum vota irrita fieri e patre possint) morale non est, quod variari nequeat; sed politicum sive judiciale. Hactenus, inquam assentior: verum si discriminis hujus puberum atque impuberum Mosem Num. xxx. (quem citant) auctorem faciunt; plane non assentior. Nec enim istud discrimen a Mose traditur. Pro *ætate adhuc puellari* (quod pulchre heic Hieronymus posuit) Heb. est נערתה *neurtha*, quæ vox ambitu suo tum pueritiam, tum adolescentiam universam complectitur: verum apud Legislatorem eadem vox totum illud tempus significat, quamdiu filia *in domo patris sui* (cum hoc enim illud *neurtha* conjugitur) hoc est quamdiu innupta sua patria potestate vivit. Cur eousque porrigitur vox *neurtha*? Quia statim ac elocata, ex patris domo exit, tum in mariti tutelam transit; ac novo statim oritur facti species, de ὑπάνδρῳ hoc est ea, quæ sub mariti potestate vivit. De ea vero pergit porro Moses eadem imperare ver. 7. & seq. ac quæ de filia innupta præceperat. Non est ergo dubium quin hoc loco, non solas impuberes Legislator, sed & puberes adhuc innuptas, & *in domo patris* hoc est sub patria potestate, designaverit. Accedit, quod impuberum votum aliunde ex infirmitate judicii non valere existimant Hebræi Doctores apud Ainsvvorthum. Nim. justam ætatem, ut votum valeat, definiunt an. 13. pro maribus, 12. pro femellis: aut vero 12. pro masculis, 11. pro sexu sequiore.

Hæc quæ hactenus dixi, confirmantur auctoritate Hieronymi, qui non *in pueritia* posuit, sed *in ætate adhuc puellari*: quod longe est aliud. Sed proderit Drusii huc adnotata producere. „ Addit (Moses) interprete Hieron. *in* „ *ætate adhuc puellari*. Emendant (critici) *in* „ *pueritia sua*. Est cur malim, *in adolescentia* „ *sua*. Nam *neurim* est *adolescentia* ... Cæte„ rum (illud) *in domo patris sui* R. Salomon „ explicat: *in potestate patris sui, licet non* „ *fuerit in domo ejus*.

Verum, nequid dissimulem, idem R. Salomon apud Drusium ibid. ætatem *neurim* ita definit, ut neque impubes in intelligenda (nam *votum* inquit *ejus non est votum*, nempe ex infirmitate judicii) neque בוגרת *bogereth* ideſt annos pubertatis egressa, sed (ut idem videtur ex Doctoribus inferre) pubertatis initium. Vide si tanti sit, locum. Idcirco vero pubertatis initium, non adultiorem ætatem intelligi (ut mihi quidem illi videntur) volunt; quia virgines statim πρωθήβας ideſt pubertate prima, esse elocandas volunt: in tantum ut in *Pesach.* fol. 113. 1. scribatur, *Si fuerit filia tua pubes facta, manumitte servum tuum, & dato eum ipsi:* ὑπερβολικῶς scilicet ut ostendant, non esse trahendas nuptias, ne nupturientes dehonestent familiam. Itaque huic & illud cohæret, quod in *Nidda* fol. 47. 1. huc pertinens edicitur: *Quando pubuit filia, non amplius patri est potestas in eam.* Næniæ. Nam mille possunt casus incidere, propter quos nuptiæ sint retardandæ: nec quia illa jam ὑπέρα, ἡμος, ideſt pubertatem excesserit, ideo minus sua patria potestate erit, donec ὕπανδρος hoc est sub viri potestate fuerit. Hactenus de Mosaico præcepto: quod quia morale non est; nihil derogat stabilito jam a nostris Theologis discrimini inter puberum atque impuberum vota, ut hæc, non item illa irritari a patre possint. Sed iidem frustra Mosem Num. xxx. discriminis hujus auctorem laudant: apud quem *Neurim* (Hier. *puellaris ætas*) est omnino antenuptiale tempus universum.

(XIII) *Actio ex sponsu* in sponsorum alterum reluctantem dabatur olim ex jure veterum La-

ti-

Digitized by Google

verum, ut opinor, in ſuſpenſo manebunt, donec judex interpellatus de eo pronuntiaverit.

18. Et adhuc quidem de jure communi diſputavimus, ex quo evicimus ſponſalia filiorumfam. patris auctoritate defecta nec olim firma fuiſſe, & ne nunc quidem poſt eas correctiones, per quas jus civile in Matrimonialibus ex Jure Canonico noviſſimo refingitur, valere. Quam juris diſcuſſionem doctoribus, quos equidem viderim, in mentem non veniſſe, præſertim in tanta quæ hodie eſt juris ſubtilitate, eſt quod mirer.

19. At illud magis miror, quum celebratiſſima ſit illa Regni noſtri Pragmatica Sanctio in tit. *De S. C. Macedoniano*, quæ incipit *Per excellentem*, in quam ſcripta exſtant ſpiſſiſſima a noſtratibus doctoribus commentaria, quumque ea Pragmatica longius multo, quam S. C. Macedonianum proceſſerit, quippe non tantum mutui contractum (quem duntaxat S. C. Macedonianum complectebatur) ſed omnino omnes pactiones, quæ quomodocumque a filiisfam. fiunt, ſine præſentia & conſenſu patris nullas eſſe juſſerit: quum, inquam, hæc ita ſe habeant, quæ hominum eſt ἀφασία, qui ſi non jure communi, at hac ſaltem conſtitutione ſponſaliorum iſtiuſmodi contractum prohibitum eſſe, non intellexerunt? An non ſponſalia de genere ſunt ſponſionum, pactorum, conventionum, contractuum? Nemo umquam de hoc (XIV) dubitavit: imo & per excellentiam apud Græcos Latinoſque is contractus nomen generis (XV) occupavit. Verum quod ad Pragmaticæ intelligentiam attinet, eſt plane indigniſſimum ac prorſus inauditum, ut ne ad modicam quidem ſummam poſſit ſeſe filius obligare injuſſu patris, poſſit autem ejuſdem in gratiis ſeſe in perpetuam ſervitutem dedere, atque in barathrum miſeriarum ſe præcipitem agere. Hoc quis ſanæ mentis animum induxerit credere? Niſi hoc eſt, quod male præconcepta de Matrimonii libertate opinio, & male intellecta Concilii Trident. de Matrimoniis clandeſtinis ſanctio noſtris doctoribus tantam caliginem offudit.

20. At erit aliquis, qui excipiat, non ſolere leges noſtras res matrimoniales attingere, quæ nim. ſub Juris Canonici diſpoſitione ſunt. Ita ſane, verum ubi de contractu matrimoniali, qui ſimul & Sacramentum eſt, agitur: at ſponſaliorum de futuro contractus nihil de Sacramento habet. Hinc quum contractus Matrimonii non niſi co-

tinorum teſte A. Gellio IV. 4. Atqui hoc jus non Romæ obſervatur, ſed in Latinorum urbibus, & quidem non ultra *id tempus quo civitas univerſo Latio lege Julia data eſt*, ut idem ex Ser. Sulpicio ibi docet. At jure Romano nulla ex ſponſalibus obligatio naſcebatur ad contrahendas nuptias, nec ulla indidem prodebatur actio, (ut alibi oſtendimus) quinimo liberum erat *nuntium remittere*, at ſponſalibus renuntiare, ex iis legibus, quæ infra in *Annot. XVII.* citantur. Sed tamen Jure noſtro Pontificio actio contra partem alteram retinentem dabatur, ac nunc etiam datur: de quo vide dicta ab Auctore initio Dub. IV. & a me in *Annot. XVII.* 33. 34. At hoc intelligendum eſt, quoties ſponſalia ab ipſis parentibus tutoribuſve, aut, ſi majorennes ſint, ſaltem patre conſentiente, ſunt facta. Nam furtiva filiorum ſponſalia numquam pro obligatoriis habuit Jus Canonicum: exceptis iis caſibus, de quibus ſup. num. 17.

(XIV) Tractant quidem pragmatici hanc otioſiſſimam quæſtionem, utrum ſponſalia ſint contractus. At omnes ad unum ajunt, nec ullus repertus eſt, qui hoc negaret. Vide *Ornat. de contract. to. 2. tract. 8. ſect. 7.*, *Sabellium*, alios. At de Franc. Hotom. alibi.

(XV) De Græcis non eſt dubium, quin ſponſalia vocarint Συνάλλαγμα ideſt *contractum*, nim. κατ' ἐξοχην *per excellentiam*. Nec te turbet Chriſoſt. qui Hom. 74 in Matt. matrimonium συνάλλαγμα dici teſtetur: nam ex orationis contextu apparet, ibi agi de iis contractibus, qui nuptias antecedunt, hoc eſt de ſponſalibus. Sic etiam Heſychius Συνάλλαγμα interpretatur γαμικὸν συμβόλαιον ideſt *nuptiale pactum* hoc eſt *repromiſſionem futurarum nuptiarum*, quomodo ſponſalia definiuntur. At apud Latinos etiam *ſponſalia* nomen generis invaſerunt, nempe dicta a *ſponſionibus* ſive pactionibus, quæ ſunt univerſi generis vocabulum. Nec ſecus ſponſalitia *confarreatio* nomen generis obtinet, quippe qua ex vi ſuæ etymologiæ *ſponſionem* deſignat, uti dicam in Diatr. II. par. 2.

Digitized by Google

coram Sacerdote celebretur, contra ſponſaliorum pacta publicus tabellio ſolet excipere. Poſtremo, ut omnes prorſus cauſandi anſas præcidam, verba Pragmaticæ ita concipiuntur, ut directe tabelliones petant. „ Nemo, *inquit*, dictorum Actuarium & Notariorum audeat ... adnotare neque recipere obligationes inſtrumenta vel contractus aliquos a filiisfam. quibuſcumque niſi in præſentia & expreſſo conſenſu ipſorum patrum. „ An non quem Canonicæ ſanctiones furtiva filiorum ſponſalia deteſtarentur & prohiberent, æquum fuit, ut civilis etiam poteſtas ſuppetias ferret, abſterrendo tabelliones, ne iſtas furtivas filiorum ſponſiones nuptiales in ſua commentaria referrent? Nihil æquius fingi poterat. Aut ſaltem æquiſſimum fuit, ut ea Pragmatica conſtitutione, qua minoris momenti contractus excipere tabelliones vetantur, hunc, qui maximi momenti eſt, in quo paterni conſilii maturitas præcipue requiritur, multo magis vetari intelligatur.

Ergo non eſt dubitandum, quin ſponſalia, de quibus quærimus, tum jure civili communi (etiam quatenus hoc in Matrimonialibus Jure Canonico noviſſimo correctum fuit) tum etiam noſtro municipali ſint irrita & caſſa. Et ſic quidem olim ſenſeram ſeriſperamque, nec de Jure civili eſt, quod mutem quidquam. Verum ad laudatam Pragmaticam quod attinet, nolo diſſimulare gravem difficultem, quam opponi poſſe mihi video, quæ talis eſt. Ea, qua de agimus, Pragmatica ante minus ducentos annos promulgata fuit. Interim ex Neapolitanis JCti, qui ætati Pragmaticæ illius æquales fuere aut ſuppares, nemo unus, quod ſciam, inventus eſt, qui iſtius ſanctionis vim atque intelligentiam etiam ad ſponſalitios contractus extenderet. Atqui ii, qui conditæ legis tempora vixerunt, aut ei ætati ſuccreverunt, optime noſſe poterant, quæ mens quodque ingenium Pragmaticæ illius eſſet. Ergo ex JCtorum æqualium ſilentio optime perſpicitur, conditoribus ejus legis hoc tantum fuiſſe propoſitum, ut cæteris filiorumfam. conventionibus ſine paterni conſilii maturitate factis occurrerent, eoſdem vero conditores de ſponſalibus nihil fuiſſe ſollicitos.

Huic quidem difficultati nihil habeo, quod reponam: ſi quidem ingenue, uti par eſt, & ex animi ſententia agere volumus. Sic enim ſum: a cavillationibus ſemper abhorrui. Eſto igitur. Fateamur, ea Pragmatica ſponſaliorum contractus non contineri; maxime quum hucuſque tabelliones impune filiorumfamil. conventionis ſponſalitias exceperunt, non requiſito parentum conſenſu atque præſentia. Sed tamen nemo mihi hoc eripiet, quin, quum ea lex patrium conſenſum ad cæteras longe minoris momenti pactiones deſideraverit, eadem præ ſe aperte tulerit, multo magis in ſponſaliorum contractu patrium conſenſum exquirendum eſſe. Verum quia de ſponſalibus, ne patris injuſſu fierent, ſatis in Jure civili cautum fuerat, neque id in Jure Canonum uſquam correctum videbatur: idcirco nova lege municipali, quæ filiosfam. in officio contineret, ſupersedere potuit. At vero S. C. Macedoniorum, qua tamdiu loquimur, merito ſuppletum fuit. Ac de his hactenus.

PARS ALTERA.

Conſectaria præcedentis doctrinæ.

21. *Ex ſponſalibus filiorumfam. nulla oritur actio nec civiliter, nec Canonice: immo judices patribus adverſus filios ſuppetias ferre debent. Ac ſultus eſt labor obſecrare filios, ut renuntient ſponſalibus, aliquin irritis.* 22. *At ſponſalia, a quibus patres injuſte diſſentiunt, ratiſperi in ſuſpenſo manent, donec judex pronatiaverit.* 23. *Propuniur objecto petitæ ab* Honeſtate, *quæ a furtivis filiorumfamil. ſponſalibus oritur, non oritura, ſi eſſent irrita. Reſp. in his oriri dubium Honeſtatis impedimentum, quod tamen pro vero impedimento eſt habendum, quia in Sacram. ſequenda eſt pars tutior.*

24. *Op-*

24. Opponitur Tribunalium laicorum stylus. Quem tamen ostenditur causis nostræ favere. De edicto exhibitorio & prohibitorio. Recens S. Consilii sententia pro patrum potestates. 25. In nonnullis casibus merito judices filii adversus patres auxilio veniant. 26. Quinque objectiones petitæ ex Curiar. Episcopalium praxi. 27. Ea praxis desumenda est ex Prælatis doctrina & prudentia illustribus. Laudantur præ ceteris Aloysius Riccius, & hujus Dissert. Auctor, atque Eminentiss. SPINELLIUS Archiep. Neap. 28. Resp. ad singulas objectiones. Incidere casus aliquos, in quibus Prælatus pro filiis stare debeat, maturando nuptias. Hodiernis moribus dissensum patrium aliis insignium, hujusque ejus rationem. 29. Ad V. objectionem responsio accuratior. Anterioribus sponsalibus validis, non item invalidis, impediuntur posteriora, ne transeant in Matrimonium. Quare illa, quibus parentes cum ratione obsistunt, quum sint irrita, nullum debent impedimentum afferre. 30. In praxi ante dicta sponsalia sunt moratoria tantum, non peremptoria. 31. Optandum, ut hoc ipsum publice Ecclesiæ judicio definiatur, ut amputetur seges infinita perjuriorum, quæ ex hac una radice pullulat. Deferre jusjurandum quando non licet ex August. Obstruendas esse perjurii quaslibet rimulas. 32. BENEDICTI XIV. laus. Ex ejus Brevi graves contra filiorumfam. detestandos conatus sententiæ excerptæ.

21. QUorsum vero, inquies, hæc tam multa de sponsalibus ejusmodi? Nempe ut intelligatur, ex eis, utpote plerumque ab initio invalidis, nullam pari obligationem, nullamque exinde actionem prodi, non tantum jure civili (ex cujus dispositione non solum mutuo dissensu a sponsalibus recedi potest, sed etiam ex alterius sponsi renuntiatione) sed ne Canonico quidem, quod cæteroqui solet sponsorum alterum refractarium hortationibus, aut minis urgere, ut fidem liberet. Cur? Quia ea sponsalia plerumque ab incunabilis irrita fuere: Imo ne citari quidem filius aut filia potest, ut in judicio sistat, ubi de justo patris dissensu constitit. Nec hoc satis: verum quia eadem sponsalia detestanda sunt ac prohibita, potest tum jure patriæ potestatis multis modis compesci filius, ne fidem præstet, tum vero judex imploratus (præcipue ubi juste pater dissentiat) debet omnibus juris remediis huic malo obviam ire. Postremo (ut plura alias hujus generis consectaria taceam) non coguntur patres ad filiorum genua se provolvere, ut sponsalibus suo injussu contractis renuntient: quemadmodum & quoties unus ex sponsis a sponsalibus recedit, hujus pater non cogitur partis alterius veniam largitionibus & pecunia redimere, ut possit filium aut filiam elocare alteri, de quo inferius disputabitur.

22. Quid si vero, inquies, contracta sint sponsalia in uno ex iis casibus, quibus sive propter majorem filiæ ætatem, sive parentum morositatem, cunctationem, avaritiam, licet liberis sibi conditionem quærere, aut vero saltem judicis auxilium implorare? Annon iis saltem casibus sponsalia & erunt valida, & actionem producent? Respondeo, quidquid de vigore sponsaliorum in hisce casibus sit (XVI) non ante tamen actionem adversus alterum sponsum renitentem, aut contra parentes impedientes dari, quam constito, illum esse unum ex antedictis casibus: id quod ei parti, cujus interest, probare incumbit.

Atque hæc in universum sunt positæ doctrinæ consectaria, quæ leviter tantum adumbrata non necesse fuit singulatim deducere: nec enim ignoro, ubi in rem præsentem venitur, pro circumstantiarum varietate etiam varia fore rerum singularum judicia.

23. Ve-

(XVI) De quo vide superius dicta num. 17. Illorum sponsalia illa, quibus patres injuste dissentiunt, non erunt quidem ab initio irrita: sed tamen quia id disceptatione & judicis sententia indiget, tantisper dum judex super eo pronuntiet, in suspenso manet.

Digitized by Google

23. Verum illam consecutionem, quæ statim in oculos incurrit, non possum heic dissimulare. Nam si sponsalia, de quibus tamdiu loquimur, censeantur invalida, nullum ex iis inducetur Honestatis impedimentum. Nunc vero praxis contrarium obtinet. Resp. nasci quidem exinde Honestatis impedimentum: verum non inde sequi, sponsalia illa fuisse valida. Quod totum quale sit, brevi sic accipe. Jure antiquo *Honestas* etiam ex irritis sponsalibus inducebatur. Id quidem sustulit Trid. Synodus, vetans ex sponsalibus undecumque invalidis id impedimentum inferri: sed tamen Trid. sanctio intelligenda est de initio irritis: nam ex initio validis sponsalibus, sed postea ob dissensum, mortem, fornicationem, notabilem sponsi unius mutationem evadentibus invalidis oritur optime illud impedimentum: de quibus omnibus vide Fagnanum in *cap. Ad audientiam, de sponsal.* num. 29. ubi & Decretum Congr. Cardinalium super ea re, idque a Papa comprobatum affert. Venio nunc ad sponsalia, maxime indigna, inscio aut dissentiente patre facta. Ea quidem ex multorum sententia (quos Muscettula noster sup. n. 167. laudat) ab initio fuere valida, etsi postea ob offensiones quæ prævidentur, irrita fiunt, hoc est minime obligatoria. Hæc opinio quum haud paucos patronos præferat, satis habet virium, ut ex dictis sponsalibus inducatur impedimentum. Nam in iis, quæ substantiam Sacramenti tangunt, (cujusmodi sunt omnia impedimenta dirimentia) tutior insistenda est via. Et enim etsi secundum meam sententiam illa ab incunabilis invalida erant; id tamen negatur ab aliis. Quid restat igitur, nisi ut in praxi ita geratur negotium, tamquam si revera id impedimentum oriatur; cujus cæteroqui venia, ubi opus fuerit, facillime impetratur? Deinde etiam secundum nostram sententiam adhuc inferri id impedimentum, necesse est. Dixi enim invalida initio esse sponsalia, si juste pater dissentiat, at valida (intrinsecus inquam valida) etsi donec id probetur, ea in foro tamquam in suspenso habebuntur) si injuste. Atqui totum hoc (*juste* ne an *injuste*) est in judicio disceptandum: quod judicium, utpote ex pluribus juris factique circumstatiis pendens, non est expeditissimum: adhæc autem & judex falli ut homo potest. Itaque quum non expediat Sacramenti valorem in discrimen adduci: ad eam se praxim conformare omnes debent, quæ tutior est, ac impedimentum honestatis ex his sponsalibus oriturum agnoscere; ac si sit dispensationi locus, eam minime negligere. Atque ea est hujus difficultatis enodatio.

24. Jam vero mihi opponetur fortassis stylus, uti vocant, nostrorum Tribunalium, in quibus ea sponsalia haberi valida videntur, & ex iis dari actio & coercitio. Respondeo, etiam si nostrorum Tribunalium *stylus* talis esset, qualis describitur (quod tamen pernego) deberet is *stylus*, si modo juri obsistat, si honestatem & Jus Divinum & naturale de honorandis parentibus evertat, deberet, inquam is *stylus stilo* contrario corrigi & emendari; id quod antiquitas *stylum vertere* appellabat, si apte metaphoram a stylo scriptorio ad Curiæ stylum trahere libeat. Verum quod hac responsione non indigeam, maximopere lætor. Nam si de laicis consistoriis agitur, hæc, ut alibi attigimus, nullam ex sponsu actionem admittunt adversus alterum detrectantem. Nec unquam fando auditum est, præturæ viribus sponsum refractarium adigi, nisi sicubi stuprum intervenerit: de quo alibi. Ergo jure communi (sicuti & nostro municipali) adversus sponsorum alterum nulla conceditur actio (XVII) imo jus civile, quantum in se est, renuntiandi sponsalibus præbet veniam. At vero ubi

(XVII) Nam quamvis jure naturali considerato ex sponsalibus non secus, ac ex quavis alia pactione, sua nascatur obligatio: tamen scitum est, jus civile non omni obligationi assistere, ut proinde non sit mirandum, si ob infinitam repudiorum licentiam, nulla ex jure civili prodita sit actio ex sponsalibus, quamvis stipulatione firmatis, vel quamvis pœna in stipulatum deducta fuisses, *l. 1. C. de sponsal. leg. 2. §. 1. 2. D. de divort. leg. 2. de repud. leg. 2. de inut. stipul.*

Digitized by Google

ubi neutra pars diſſidet, & inter utramque de nuptiis celebrandis jam convenit: tunc ad verſus impedientes actio dabitur fort. de injuriis, aut de dolo, aut ſi qua alia id genus actio prodi ſolet. Ad hæc ſicubi unus ex ſponſis a propinquis occultatur, tunc noſtris moribus agit nonnumquam ſponſus alter adverſus propinquos alterius *interdicto exhibitorio*, interdum & *prohibitorio*. utrumque tamen (XVIII) improprie, & contra naturam utriuſque interdicti. Atque hæ ſunt ferme actiones, quæ in diſceptationibus Matrimonialibus in uſu eſſe ſolent in laicis Tribunalibus. Scio ne ex his quidem quas dixi actionibus filiosfamil. juvari poſſe aut debere. Ac plura noſtrarum Curiarum *præjudicia* (quo nomine antiqui appellabant, quas nunc *Deciſiones* vocamus) quibus filiorumfamil. vota profligantur, facile eſſet viris pragmaticis, quibus hæc ſunt in manibus, per otium colligere. Verum inſtar omnium ſit ultimum S. R. Conſilii S. Claræ decretum, quod ante hos pauços dies in eo Sacratiſs. Conſiſtorio factum eſt: per quod ſapientiſſimi Judices præ ſe aperte tulerunt, propoſitum ſibi eſſe, ad conſtantem æqui bonique tenorem Tribunalia noſtra exigere: id vero nunc quum maxime ſub CAROLO REGE juſtiſſimo & civilitati deditiſſimo: quem bono Reip. natum DEUS OPT. MAX. diu ſoſpitet atque fortunet. Id jam *præjudicium* quia recens eſt, non gravabor heic (XIX) ſubjicere.

25. Cæ-

(XVIII) Dico improprie conveniri propinquos interdicto exhibitorio (quod hodie vulgo vocatur Mandatum ad exhibendum (nam contra eo interdicto agit habens patriam poteſtatem adverſus alios, ut filium quem in poteſtate habet, exhibeant. Et interdicto prohibitorio juvatur pater ſive alius aſcendens, quominus prohibeatur ducere aut abducere filium. At hodie interdum utroque interdicto ab uno ſponſo conveniuntur alterius non tantum propinqui, ſed etiam pater aut avus, ut exhibeat filium aut filiam quos in poteſtate habet, aut vero ne abduci prohibeat. Id quod eſt contra naturam utriuſque interdicti: nam utrumque a Prætore proponitur in gratiam habentium patriam poteſtatem, non adverſus eoſdem. Vel vide lib. XLIII. Digeſtor. tit. 30. qui eſt *de liberis exhibendo, item ducendis*, necnon & Codicem eod. tit.

At enim dixerit fort. aliquis hodiernam fori noſtri praxim niti *l. 2. D. eod. tit.* Nam ibi Hermogenianus loquitur de marito, non de ſponſo. *Imo magis*, inquit, *de uxore exhibenda ac ducenda pater etiam, qui filiam in poteſtate habet, a marito recte convenitur*. Quid autem ſponſus cum marito commune habet? Maritus per *in manum conventionem* poteſtatem habet in uxorem, quæ marito eſt loco filiæ: præterea idem maritus, ut uſitatis locutionibus utar, habet jus ad rem & in re: at ſponſus, quamdiu talis eſt, nullum adhuc civiliter jus habet. Nam etſi ex jure naturæ ex ſponſalibus, ut ex omni alia conventione, naſceretur obligatio, imo & jus ad rem: tamen, quia jus civile non omni obligationi aſſiſtit: ſic ne huic quidem, quæ ex ſponſalibus alioqui naſceretur. Ergo naturali tantum, non item civili ratione aſſequitur ſponſus jus ad rem.

Ex hactenus dictis conſtat, ex jure civili ſponſos non juvari interdicto exhibitorio aut prohibitorio. Et ita quidem de jure civili procedit in ſponſalibus validiſſimis. At ubi ſponſalia propter diſſenſum paternum ſunt invalida: tunc quis dubitat, quin nullus omnino locus ſit ſive exhibitorio ſive prohibitorio interdicto? Id quod per nuperam S. Conſilii ſententiam mirifice a me confirmari poteſt: quam in ſeq. *Adnotationem* rejicio.

(XIX) *Laurentius Piſcopus* acciſatus oſculi fuerat a *Joanna Rogeria* paris conditionis puella, cum qua & ſponſalia coram Parocho contraxerat. Quumque cauſſa propoſita fuiſſet in M. C. Vic. decretum fuit, citari & capi dictum Laurentium. Hunc quia interim Horatius pater abduci extra regni fines curaverat: inſtitit mulier, ut cogeretur Horatius pater ad exhibendum filium. Cui petitioni ita detulit eadem M. C. ut (*per appuntamentum* quod vocant) placeret, Horatio patri fieri *mandatum ad exhibendum ſub pœna ducatorum ter mille*, nim. ut ſub ea pœna filium intra menſem exhiberet. Ubi iſt mandatum Horatio denuntiatum fuit; is *remedium ſupplicationis ad finem revocandi mandatum* produxit in Sac. Conſilio: ubi propoſita cauſſa in *Aula* viri Amplifs. Antonii Magiochii Sanctioris Concilii Quinqueviri, ad relationem Ill. March. Villaplanæ Judicis M. C. Vic. poſt maturam diſcuſſionem decretum fuit (idque ſub finem menſ. Julii hujus ann. 1742.) *ſuſpendi exſecutionem mandati M. Curiæ & eamdem contra Horatium amplius non procedere*. Cauſſæ decreti hujus has ferme ſacratiſs. ac providiſs. Conſiſtorium habuit: Horatium ſine patriarum legum fraude aut detrimento, ſed jure patriæ poteſtatis id feciſſe, quod in ea fa-

 ci

25. Cæterum si quando contrarium *stilum* consistoria nostra tenuisse reperientur; ajo plerumque id in illis casibus evenisse, quando patres sine ratione filiorum æquissimis votis obsistunt: quibus sane casibus & judicis auxilium adversus difficiles parentes rite imploratur, & judex interpellatus potest pro merito causæ filiisfamil. ferre suppetias. Nihil ergo negotii ex Tribunalium praxi facessitur.

26. At etiam ad ultimam Ecclesiasticæ Curiæ praxim objici mihi posse video, in qua sponsalia injussu parentum facta haberi valida videntur. Id vero multipliciter ostenditur. I. Quia instantibus sponsis Prælatus non tantum interponit decretum de contrahendo, verum etiam, ne forte turbentur a parentibus nuptiæ, dat veniam contrahendi sine prævis banniis. II. Quia si alter sponsorum reluctetur, instante altero, Prælatus urget per juris remedia refractarium ad præstandam fidem sponsaliorum. III. Pater opponens dissensum suum, quantumvis justum, nihil agit, nec rescindit sponsalia. IV. Imo aliud remedium non relinquitur patri, nisi ut qua minis qua largitionibus alterutri sponsorum suadeat, ut sponsalibus renuntiet. V. Etiamsi huc usque dicta non perinde, uti objectum est, in omnibus Episcopalibus Consistoriis observentur, at hoc certe in omnibus sancte servatur. Etenim priora sponsalia, quamvis invitis Parentibus & cum persona indigna fuerint contracta, infirmant posteriora sponsalia auctore patre cum digna persona celebrata, & impediunt ne hæc secunda sponsalia per consensum de præsenti transeant in Matrimonium. Ergo sponsalia ista, quæ hactenus impugnavimus, a Prælatis validissima reputantur. Vides jam ut hoc uno telo dicta hactenus subrui atque everti videantur.

27. Antequam ad singula respondeam: ajo, non id quærendum esse quid unus alterve Prælatus in suo tribunali sequatur, verum quid ii præ cæteris faciant, qui prudentiam juris utriusque apprime tenent, quique ad hanc prudentiam studio partam, etiam illam alteram animi facultatem, quam virtutem appellant prudentiæ, adjungunt, Ajo, ab his in hac parte Curiæ praxim petendam esse. Ac notum est, quid in hac Archiep. Curia Neapolitana decidendum aliquando putaverit Aloysius Riccius, postea Episc. Vici Equensis, in causa matrimoniali hujus generis (de quo vide tum ipsum Riccium in *Decis. Cur. Archiep. Neap. dec. 24. par. 3. 346. 347.* tum nostrum auctorem infra num. 346. 347.) nam fuit auctor, ut quoddam Matrimonium dispar & invitis propinquis, de quo disceptabatur, non tantum ad tempus, sed in perpetuum impediretur. Deinde & hoc scio, plures esse nunc Præsules juris peritis. ac moratissimos, quos idem plane sentire animadverti, quos quidem heic nominare non attinet. Nam pro omnibus vadem se dabit doctiss. ac pissimus Franc. Maria Muscettula Archiep. Rossanensis, qui diu Romæ Theologi & Canonistæ summa cum nominis celebritate locum laudemque sustinuit. Is, inquam, non pretio conductus, ut causæ serviret, nec abreptus partium studio, sed in secessu religioso, viribus obedientiæ compulsus, hanc præclaris. Dissertationem dedit, quæ Romæ prius censorum suffragiis comprobata prodiit, nunc vero ad publicam utilitatem recuditur. Sane si quid forte absonum in ea Dissert. repertum fuisset, numquam is ad Rossanensis Ecclesiæ insulas doctrinæ pietatisque merito promotus fuisset. Verum quo piaculo heic præterire possum Eminentiss. Archiep. JOSEPHUM CARD. SPINELLUM? De cujus quidem summa pietate, eruditione, severioris disciplinæ studio, suæque Cathedræ Sacerdotio per

Bi specie factum oportuit: proinde, utpote juse suo usum, absolvi oportere.

Quandoquidem autem in hoc judicio ab advocato puellæ producebatur exemplum *Francisci Calò*, sciendum est longe disparem hujus causam fuisse. Adolescens N.N. filius Francisci Calò post stuprum virgini N.N. ejusdem ferme conditionis oblatum, suasore forte patre, aufugerat extra Regnum. Hactenus quidem nihil molestiæ Francisco patri creatum fuit. Verum quia idem Franciscus testibus a se subornatis puellam ejusque domum infamare malis artibus non dubitavit: ob hoc crimen jure optimo Senatorum suffragiis damnatus fuit cum hac formula, *Carcer passus, abeat in panam.*

Digitized by Google

per omnes partes ſancte atque integre adminiſtrato, ut mentionem injiciam, non hic nunc locus eſt. Verum illud præſtare poſſum, hunc tantum virum ad id genus indignis conjunctionibus ſuapte ſponte merito abhorruiſſe ſemper, atque abhorrere. Ergo, uti dicebam, ab hujus generis Prælatis, cujuſmodi haud paucos ætas hæc noſtra commonſtrare poteſt, petenda eſt praxis Epiſcopalium Curiarum.

28. His in anteceſſum notatis: ad I. reſpondeo, id totum, quod objicitur, procedere in iis caſibus, in quibus, attentis omnibus circumſtantiis, immerito patres diſſentiunt, & in quibus adverſus parentum injuſtitiam, ſordes, infenſum animum judex imploratus auxilium affert nupturientibus, præſertim ſi ſtuprum intervenerit, nec ex Matrimonio graves offenſiones oritutæ timeantur. Quid, inquam, iſthic facias, ubi omnes circumſtantiæ Matrimonium eſſe contrahendum ſuadeant? Annon etiam interdum remittenda ſunt banna, nequa mora neceſſariis nuptiis objiciatur? ad II. nego ſecundum hodiernos mores, nimis urgeri reluctantem ſponſum ad perficiendum Matrimonium, multo id minus, ubi conſenſus paternus deſit: Sed tamen incidere caſus interdum poſſunt, in quibus id fieri expediat. Quid enim ſtuprum oblatum puellæ fuerit? Tunc (ait Noſter Dub. V.) ſi puella humili loco ſit nata, & oritura ſcandala timeantur, præſtabit dotari puellam, quam duci. Audio. Sed tamen quid ſi hæc ſit paris conditionis? Quid ſi vero puella clari ſanguinis ſe minus nobili proſtituerit? Quid ſi de eo probro manarint vulgo rumuſculi? Quid heic aliud facias, niſi quod ſuadeat neceſſitas? Ad III. nego ullam reperiri uſquam Epiſcopalem curiam, in qua pater opponens ſuum a filiorum ſponſalibus diſſenſum rejiciatur. Imo vero & audiri parentes certum eſt, & eorum diſſenſum actis matrimonialibus inſinuari, poſtremo & diſſenſus hujus haberi maximam rationem; ſed tamen ſi cubi forte minor habetur ratio, quam par ſit, id hominum, non legum, imbecillitati eſſe tribuendum, quis non videt? Ad IV. ſupervacaneum eſt quidquam reponere. Poſtremo ad V. aliquanto accuratius eſt reſpondendum.

29. Neque enim maximam hanc difficultatem, quam ipſe ab initio objici poſſe providi, diſſimulare fuit animus. Achilles ergo adverſariorum hoc potiſſimum telo nos impetit. In Curiis, inquiunt, ſponſalia filiorum clam patre, quamlibet indigna, infirmant ſecunda ſponſalia & impediunt Matrimonium cum altera perſona; quare habentur ut valida. Atqui ajo, me hoc unum ſcire, Matrimoniis afferri quidem ſolere impedimentum impediens per anteriora ſponſalia cum diverſa perſona contracta, modo tamen ea ſint valida atque obligatoria. Verum utrum ſponſalia parentibus juſte invitis facta ſint obligatoria, de eo etſi nihil dum Eccleſia pronuntiavit; at Synodus Tridentina videtur ea tamen ſaltem implicite habuiſſe caſſa & irrita in eo, quod ait Eccleſiam illa deteſtatam ſemper eſſe ac prohibuiſſe (de cujus argumentationis vide mihi ſuperius dicta in hac *Mant.* num. 13. 14. 15.) præſertim quum eadem jure civili ſint irrita, necdum ea juris civilis diſpoſitio contrario Eccleſiæ judicio reformata fuerit: præſertim etiam quum eadem ſint Theologice invalida (ut Noſter ſolidiſſime toto ferme *Dub. IV.* demonſtravit) ac Juris Canonici & civilis generalibus regulis (de turpibus ſcilicet promiſſionibus) adverſantia. Ergo Matrimoniis affertur quidem impedimentum impediens per anteriora altera ſponſalia, modo tamen ſint valida: nam ſi ſint invalida, nullum prorſus impedimentum gignent. Vide ſup. num. 27. quid in hac Archiep. curia de his ſponſalibus cenſuerit Riccius. Atque hæc quidem ſcio, nec quidquam ultra pronuntio. Cæterum quænam in hoc negotio ſit curiarum praxis, non eſt meum rimari.

30. Verum ſi adhuc urgere pergas ac percontere, ec. quænam ſuper ea re ſit Tribunal. methodus: ajo anteriora ſponſalia invitis parentibus facta eſſe impedimenta tantum moratoria, ſeu dilatoria comparate ad Matrimonium cum diverſa perſona, non vero peremptoria, &, ut loqui conſuevimus, impedimenta prorſus & abſolute impedientia. Nimirum enim per illa mora injicitur nuptiis: at mox conſtito, ea fuiſſe

invalida, impetratur decretum de contrahendo. Possem ejus praxeos exempla proferre, si id opus esset.

31. At si verum fateri volumus: optandum esset, ut exstaret tandem publicum Ecclesiæ judicium de eo, utrum sponsalia dissentiente cum ratione patre facta habenda sint pro impedimento impediente Matrimonium cum secunda persona auctore patre contrahendum. Non nego exstitisse de ea re singularium quarumdam Ecclesiarum judicia: vide Auctorem nostrum infra num. 295. ubi Synodi Regiensis, necnon & Lausanensis Synodales Constitutiones producuntur, per quas sponsalia clam parentibus a filiisfam. contracta declarantur irrita, etiam secuta postmodum copula inter spondentes. Verum, ut ingenue profitear, expetendum esset, ut PAPA modo dicta furtiva atque indigna sponsalia nulla esse publico judicio declararet, nec per ea impedimentum alteri digno Matrimonio afferri. Quid ita? Omitto quod id juris explorati esse, jam supra demonstratum est. Verum, in quo caput est, hoc uno Pontificis & Ecclesiæ judicio obviam iretur quotidianis perjuriis, quibus Episcopales Curiæ polluuntur. Ut ecce filiis invito patre indigna sponsalia contrahentibus, & exinde cum eadem persona nuptias contrahere adnitentibus, non aliud ferme efficacius remedium patri supereſt, quam viles testes pecunia corruptos producere, perjeraturos, huic aut illi mulierculæ (quæ & in idem perjurium fese componit) fidem antea datam. Nunc si sponsalia istiusmodi quæ a patre impugnantur, publico judicio invalida esse decerneretur: præcideretur dupliciter hisce perjuriis via, primum quia non opus haberet pater ad has technas confugere, si quæ impetit sponsalia, habeantur invalida: deinde frustra mulierculas instrueret, testaturas sibi antea fidem datam, quando hæc etiam anteriora sponsalia haud secus habenda essent irrita, quippe invito patre & æque indigna. Idem dicendum erit & de iis Matrimoniis, quæ auctore patre & propinquis, rite & sancte contrahere sit animus, haud enim raro ex procorum astu & invidia mulieres & falsi testes subornantur, qui per fidei datæ speciem nupturientes divexent malis artibus, & moras nectant. Omnino non alia seges est perjuriorum feracior, quam hæc, quæ a sponsaliorum probationibus affertur. Itaque publice interesset, ut ea tantum sponsalia fidem in Tribunalibus Episcopalibus ac laicis facerent, quibus & patres consenserint (exceptis iis casibus, in quibus injustus patrum dissensus sponsalia non irritare debeat) & a Parochis aut publ. tabellionibus excepta fuerint, nisi si qui sunt casus alii, in quibus aliud ratio suadeat. Ceterum nihil magis e re Christiana & publica fuerit, quam præcidi occasiones perjuriis, propter quæ hodie male audit Christianum nomen. Familiare olim fuit deferre judicio alteri jusjurandum, quamdiu Christiani mortem potius sibi oppetendam putassent, quam perjerare. At hodie, postquam nulla est Divini nominis reverentia, nulla jurisjurandi religio, tenenda est Augustini regula, quam retulit Gratianus can. 5. 22. quæst. 5. *Ille qui hominem provocat ad jurationem, & scit eum falsum esse juraturum*: & quæ plura ibi sequuntur dicta gravissime. Ex qua regula non tantum sequitur, non licere deferre jusjurandum ei, quem scias perjeraturum: sed & præcludendas esse perjuriis rimulas omnes, per quas perreptare possint. Certe quamdiu sponsalia furtiva atque indigna filiorumfam. valida habentur, redundabunt quaqua versum perjuriis Ecclesiasticæ Curiæ, dum non tantum ii in quibus caritas refrixit multis modis, verum & honesti cæteroqui patres ad hunc scopulum illidunt navem: dumque nullum aliud remedium sibi relinqui vident, eo tandem recurrunt, quod unice restat, ut ad perjuros testes, feminas pretio corruptas, tamquam ad sacram anchoram, ad ultimum deveniant, hoc est ad remedium malo deterius.

32. Cæteroqui hæc quæ hactenus scripta sunt quæque scribentur, S. R. ECCLESIÆ ac SSmi Dñi Apostolici BENEDICTI XIV. judicio sponte submitto: quem confido, qualiacumque ista sunt, æqui bonique consulturum, tam privatim, quippe unum omnium jur-

juris universi tum Divini, tum humani consultissimum, quam etiam publice, ut qui nuper (die 17. Novemb. an. 1741.) pro sui Sacerdoti officio datis publice litteris *in forma Brevis*, quod incipit *Satis vobis compertum*) Cathedræ Apostolicæ sensus adversus ista minime ferenda filiorumfam. connubia graviter ac pro dignitate deprompserit. Earum litterarum exemplum infra suo loco dabitur. Interim unum aut alterum locum heic adscribere non pigebit. Cujusmodi est illa expostulatio: *Huic etiam malorum origini accepta sunt referenda ipsa quoque secreta Matrimonia contracta a filiisfam. contra patris juste dissentientis voluntatem: ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet.* Itemque illud, ubi Episcopos adhortatur, ut sedulo inquirant, *An* (contracturi Matrimonium) *sint sui vel alieni juris; an filiifam. quorum nuptiæ patri juste dissentienti sint invisæ. Ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facile præberi filio inobedientiæ occasionem.* Verum de his alibi. Antequam huic Mantissæ finem imponam, proderit ex Conventionibus seu *Concordatis* inter SS. D. N. BENEDICTUM XIV. P. M. & Serenissimum Regem. N. CAROLUM an. 1741. factis huc afferre quod legitur Cap. IV. n. 3. in hæc verba: *Spetteranno parimente a soli Giudici Ecclesiastici privativamente le cause Matrimoniali, nelle quali si tratti sopra la validità, o invalidità sì del Matrimonio, come degli sponsali.*

DIATRIBA I.

In Canonem Illiberitanum LIV. de quo supra in Mantiss. nu. 3 disputatum fuit.

1. *In Can. Illib.* sponsalior. *nomine nec Matrimonium venit, nec sponsalia vulgo cognita.* 2. *Sed sunt sponsalia per osculum, arrham, & preces celebrata post pubertatem: quæ nuptiis æquiparantur Alexii imp. sanctione.* 3. *Ante quam non plane exæquabantur. Sed Alexius intermortuam disciplinam revocavit; quæ jam vigebat sub Trullana Synodo: cujus Can. 98. ex Balsamone exponitur: Fons juris hujus lex Mosaica.* 5. *Trullani can. interpretatio ἀδιόρθωτος.* 6. *Altera ἀνώνυμος interpretatio.* 7. *Hactenus dictorum epilogus & consectaria.* 8. *Constantini lex de sponsalibus osculo & arrha firmatis.* 9. *Origo osculi in hisce sponsalibus a Christianis & lege Mosaica.* 10. *Eadem Jac. Gothofr. opinio fuit. Tertulliani locus.* 11. *Ex Constantini constitutione in Baticam missa, arguitur, osculum istud jam antea inter Christianos Hispanos viguisse.* 12. *Accurata Illib. Canonis expositio.* 13. *Osculi sponsalitii disciplina in oriente perduravit: at interim in occidente exolevit, ubi remansit tamen rigidior sponsaliorum jure Canonico observatio, quam quæ jure Pandectarum innotuit.* 14. *Differentia inter jus civile & Canonicum in sponsaliorum præstanda fide.* 15. *Honestatis impedimentum ex eo manavit, quod olim sponsalia nuptiis exæquarentur a Christianis.* 16. *Canon. Illib. adeo sponsalibus injussu patrio factis non favet, ut potius adversetur.*

1. CAnonem illum jam sup. in Mantissa nu. 3. totum adscripsimus, & heic iterum adscribemus: „ Siqui parentes fidem fregerint sponsaliorum, triennii tem„ pore abstineant se a communione. Si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi „ crimine fuerint deprehensi; excusati erunt parentes. Si vero in eodem fuerint vitio, „ & polluerunt se consentiendo, superior sententia servatur. „ Et supra quidem in Mantissa n. 3. plura in eam sententiam diximus, quod *sponsaliorum* nomine Matrimonium intelligatur; de quo vide ibi dicta. Atre maturius expensa, nego in eo Canone per sponsaliorum fractionem intelligi debere Matrimonium per alterius conjugum abductionem disturbatum, quippe quum huic qualicumque peccato parum conveniat *criminis* nomen & *polluendi* verbum, quæ in eo Canone sequuntur. Nec potest intelligi adulterium ab uno conjugum patratum, quia vix fieri poterat, ut id crimen a conjugum parentibus procuraretur; & triennalis abstentio a communione pœna le-

Digitized by Google

vior fuiſſet, quam pro adulterii crimine; pro quo in eod. Concilio pœna gravior & diuturnior ſancitur, & aliquoties nec in fine communio dari jubetur. Nec vero vocabulum *ſponſaliorum* uti ſonat decet intelligere. Nam ſponſalia, cujuſmodi ex jure civili novimus (& qualia heic Ferd. de Mendoza intellexit) frangere, etiam temere, ex eodem jure civili ſemper licuit: uti dictum in *Mantiſ.* num. 2. 4. & 24. Quid ergo eſt? Ajo, *ſponſaliorum*, quorum fractores damnat is Canon, longe diverſam eſſe naturam noſtris ſponſalibus. Ea vero res altius eſt repetenda. Itaque id dabo operam, ut quibus gradibus ad veram Canonis intelligentiam devenerim, iiſdem inſiſtam, incipiens ab ultimis ſanctionibus, atque ita demum ad propoſiti Canonis interpretationem mihi aditum patefaciam.

2. Regula eſt Græcorum Canoniſtarum Balſamonis, Zonaræ, Matthæi Monachi cognomento Blaſtaris, aliorum, ſponſalia in omnibus æquiparari nuptiis, proinde non minus eſſe indiſſolubilia ac ipſas nuptias. Ea regula nititur Conſtitutioni Alexii Comneni, quam Mathæus Blaſt.* a ſe contractam affert in Syntagm. Alphabetico cap. 15. apud Beveregium (tom. 2. pag. 76. Edit. Oxon. quæ incipit Μνηςέα, in qua inter cætera legitur, μετὰ δὲ τὴν ἱερὰν τῶν εὐχῶν ἐπῳδὴν &c. „ Poſt ſacrum vero „ precum carmen, & conſuetam arrhæ atque oſculi obſervationem, exiguo vel etiam „ longiuſculo temporis ſpatio interjecto, prout ipſis contrahentibus viſum fuerit, „ (ἀπαραιτήτως) citra recuſationem legitimas quoque nuptias ſuccedere jubemus. Hujus vero generis ſponſalibus pubertas, ſive eadem quæ nuptiis, ibi ætas præfinitur, nim. an. XII. pro femellis, XIV. pro maribus. Ante hoc tempus facta ſponſalia, aut non adhibitis ſolemnitatibus, vetat habere robur verorum ſponſaliorum & indiſſolubilium, ſed ea tantum obligare ſecundum aliarum ſtipulationum & contractuum conſuetudinem. At his alterius veris, proprieque dictis ſponſalibus negat, ex pœnæ adjectione robur accedere, aut aliunde, quam ex invocatione nominis Dei; per hanc vero fieri, ut indiſſolubilia maneant, ex illis tantum cauſſis dirimenda, quibus & nuptiæ ſolvuntur.

3. Hæc eſt Alexii ſanctio. Nam antea, Matthæo eodem teſte, licebat ſponſalia, etiam oſculo & arrhis firmata per pœnæ præſtationem ſolvere, Multo magis licebat nuda ſponſalia ſolvere, quæ nihil aliud erant, quam nuda verborum vincula, quippe nec oſculo, nec arrha, nec precibus firmata.

4. Quum autem Matthæus dicit, ante Alexii ſanctionem licuiſſe ſponſalia, etiam oſculo, & arrhis firmata, per pœnæ præſtationem diſſolvere, nolim ex eo colligas; Alexium omnium primum eam diſciplinam invexiſſe, ut ſponſalia eo modo facta æquipararentur nuptiis, ſed eamdem jam antea vigentem, poſtea intermiſſam, ad priſtinam ſeveritatem revocaſſe. Nam certe Alexii conſtitutioni præluſerat Trullanus Canon XCVIII. qui ſic concipitur. Ὁ ἑτέρῳ μνης ευθαίσαν γυνῖκα &c. *Qui alteri deſponſam mulierem, ea adhuc vivo cui deſponſata eſt, in nuptiarum ducit ſocietatem, adulterii crimini ſubjiciatur.* Ad quem Canonem doctiſſ. interpres Balſamon, (præfatus potuiſſe videri heic neque fornicationem intervenire, quia conſtante Matrimonio cojerint, nec adulterium, quia illa nondum ὕπανδρος ideſt *nondum viro conjuncta* erat) ſubdit „ Hoc non admittentes Sancti Patres decreverunt, ut tamquam adulter condemne„ tur, quia ad nuptiarum ſocietatem eam accepit, quæ eſt alteri deſponſa, quippe „ quum inter ſponſos oſculum proceſſerit, & arrhæ datæ ſint pro contrahentium ſe„ curitate. Nec ſponſus aliam uxorem potuit aliter ducere, niſi legitime ſolutis prio„ ribus ſponſalibus. „ Deinde addit, multo id magis ſuo tempore valere poteſt Alexii conſtitutionem ſupra adſcriptam. Deinde pluribus interjectis, & hoc addit: „ Si „ non proceſſerunt ſponſalia (illa nim. quibus oſculum & arrhæ intervenient) ſed tan„ tum

* *Re enim vera verba, quæ mox dantur, ſunt exemptioni Matthæi. At Alexii conſtitutio ſupra ea re duplex eſt utraque longior, de quibus vide quæ mox dicuntur ad finem hujus Diatribæ in Admon. VI. verſus finem.*

„ tum conventiones pœnæ ſtipulatione munitæ, cujuſmodi ſunt quæ hodie fiunt „ (διομωτικὰ χαρτία) nuptiarum pactiones actis inſinuatæ: non punietur quis ex eo, „ quod pacta conventa tranſgreſſus, cum alia perſona Matrimonium copulaverit. „ Deinde & fontem juris hujus aperit, legem Moſaicam. „ Scias autem, in Lege Mo„ ſaica ſponſalia reputari pro nuptiis, & ſponſam vocari uxorem, & puniri ut adul„ terum, alterum qui eam duceret. Dicit enim Lex in V. T. (Deut. XVII. 24.) Et „ humiliavit uxorem proximi ſui, ejus ſcilicet ſponſam devirginavit. „ Poſtremo de Maria (quam tantum ſponſam tunc fuiſſe certum habet) admonitium Joſephum notat, *Ne timeas accipere Mariam uxorem tuam*. Quamquam revera (pace Balſamonis dixerim) heic τὸ *uxorem* tantumdem eſt ac *in uxorem*: ut ad finem *Diatr.* 2. dicam. Atque hæ magis notandæ ſunt Balſamonis in Trullanum Canonem animadverſiones. Nam in Zonara omnia eadem, ac breviora ſunt.

5. Verum in eadem Beveregiana editione poſt Balſamonem ſequitur ad hunc Canonem ἑτέρα ἑρμηνεία ideſt *interpretatio altera*, quam in Cod. Bodlejano ſe reperiſſe Beveregius teſtatur. In ea plures citantur leges civiles huc facientes, & duæ præcæteris (cum iis tamen citationum numeris quos ſi ſequare, fruſtra eas in Baſilicis reperias: nec ubi ſint reperiendæ alioqui ſcio: certe impp. Chriſtianorum videntur) per quas *Sponſus non minus contra ſponſam ab alio ante nuptias corruptam, quam contra eum qui cum ea* (poſt nuptias) *adulterium commiſit, jure viri adulterii actionem movebat*.

6. Cæterum quod Balſamon (vide adſcripta ejus loca) dixerat, non potuiſſe ſponſum aliam a deſponſa ducere, niſi legitime ſolutis ſponſalibus prioribus; id pluribus declarat Scholiaſtes alter anonymus, cujus inſigne Scholium adhunc Trull. Can. in Cod. Amerbachiano ſe repertum inſeruit Beveregius in ſuis Adnot. ad hunc Trull. Can. Is Scholiaſtes ſic incipit: Ἔτι δηλονότι &c. *Si ſponſalia nim. adhuc legitime conſiſtant, & libellus repudii nondum miſſus ſit. Oportet enim, inquit lex* (quamnam legem heic inelligat, Moſaicam ne Deut. XXIV. 1: an alicujus Chriſtiani principis, non ſatis liquet: nam cæteroqui antiquæ Romanæ leges etiam ſine cauſſa repudium ſponſo mitti ſinebant) *ut in Matrimonii ſolutione, ſic etiam in ſponſalibus libellum repudii mitti, propter juſtam videlicet cauſſam*. Deinde & eas cauſſas enumerat, æque in ſponſaliorum ac Matrimonii diſſolutione valentes: uti ſunt illæ omnes quæ Matrimonium illegitimum efficiunt, adhæc aliena religio, morum turpitudo, fortunæ commutatio, graviditas ex alieno ſemine, dilatio nuptiarum ultra quadriennium, ſi violenter a Magiſtratu Provinciæ deſpondeatur, vitæ monaſticæ electio, impotentia, ſi ſponſus ſit Senator, aut alii graviſſimo muneri ſit obnoxius, aut ejus ſubſtantia ærario ſubjiciatur. Poſtremo & hanc Canonis rationem reddit, futilem illam quidem, ſed ex qua intelligas, Græcos in omnibus ferme ſponſalia nuptiis adæquaſſe. *Si enim, inquit, qui dimiſſam ducit, adulterium committit, juxta ipſius Veritatis dictum* (Matt. V. 32.) *qui non legitime a ſponſo dimiſſam ducit, is* (ποῦ τιθέμι), *quo loco erit?*

7. Diutius opinione mea Trullano Canoni & ejuſdem Scholiaſti immoratum non me facti pœnitet: quippe quum plura inde ſcitu jucunda intelligantur. Ac primum jam ante hujus Quiniſextæ Synodi ætatem ſponſalia fuiſſe duum generum neceſſe eſt; alia ut eſſent illa juri Romano cognita, ejuſdemque naturæ cum noſtris hodie ſponſalibus (quæ tamen Græci Canoniſtæ improprie ſponſalia nuncupari volunt) quæ majorem vim ad obligandum haberent, quam cæteri contractus: alia vero proprie *ſponſalia* dicta, eaque per invocationem Divinis nominis perque oſculum & arrhas, & & inter puberes tantum, celebrata. 2. Hæc poſteriora juri Pandectarum, imo & Canonico hodierno Latinorum incognita, apud Græcos jam ante Trullanam Synodum in uſu fuerunt, & etiamnum ſæculo XIV. uſurpabantur, tempore ſcilicet Matthæi Blaſtaris, quin hodieque apud Græcos in uſu ſunt, ut infra dicam. 3. Hæc eadem poſteriora proprie dicta ſponſalia Orientali jure per omnia nuptiis adæquan-

tur, itant ex iis tantum cauſſis, ex quibus nuptiæ, diſſolvi poſſe credantur. 4. Fons autem diſciplinæ hujus circa proprie dicta ſponſalia, ſi Græcis Canoniſtis credimus, jus non quidem Romanum (quod ſecus habuiſſe oſtendimus) ſed Moſaicum fuit. 5. Apud Latinos quidem nec hodie ſunt, nec olim, poſtquam collectiones Canonum compingi in unum corpus cœperunt, fuere in uſu ſponſalia hujuſmodi ſollemnia cum oſculi interventu celebrata, nec ullo modo ſponſalia nuptiis adæquantur (nec enim occidens Trullanos Canones adoptavit umquam) ſed tamen fatendum eſt, hanc Græcanicæ ſponſaliorum diſciplinæ notitiam permagno uſui fore ad pernoſcenda Latinæ Eccleſiæ ſponſalia, quorum obligatio longe major jure Pontificio eſt, quam jure civili, atque in nonnullis (veluti in impedimento honeſtatis) prope adæquat nuptias: de quibus inferius ediſſeram. Quod totum ex eodem juris Moſaici fonte (quo jure ſponſalia ferme exæquantur nuptiis) ad Latinam Eccleſiam manare debuit, a quo fonte etiam ſponſalia nuptiis ferme paria in Græcam Eccleſiam prorepſerunt.

8. Atqui hoc ipſum ſcire libet, unde & quando primum ea de ſponſalibus Matrimonio paribus, iiſque oſculo firmatis conſuetudo invaluerit. Nam hactenus non ultra Trullanam Synodum hoc eſt an. 692. proceſſimus. Nunc antiquiora adhuc veſtigia quæro. Sane nihil antiquius in hoc genere reperio Conſtantini ſanctione anno 336. quæ eſt *l.* 16. *Cod. de donat. ante nupt.* quæ ſic incipit: *Si a ſponſo rebus ſponſæ donatis, interveniente oſculo* (1) *ante nuptias hanc vel illam mori contigerit, dimidiam partem rerum donatarum ad ſuperſtitem pertinere præcipimus, dimidiam ad defuncti vel defunctæ hæredes .... Oſculo vero non interveniente, ſive ſponſus ſive ſponſa obierit, totam infirmari donationem, & donatori ſponſo vel hæredibus ejus reſtitui.* Mitto cætera conſtitutionis hujus: cujus rationem Cod. Juſtiniani interpretes non ſunt aſſecuti, ut qui exiſtimarunt, in oſculi pœnam (per quam pudicitia delibatur) eam diſpoſitionem factam: quum contra certum ſit, favore ſponſaliorum oſculo & arrha firmatorum (quæ ferme apud Chriſtianos nuptiis exæquabantur) ita fuiſſe ab Imp. diſpoſitum. Per hanc autem legem oſtenditur, an. 336. quo lata fuit, jam in uſu fuiſſe hoc genus ſponſaliorum, quod quum cæteroqui juri Pandectarum ſit penitus ignorabile (nec enim ulla in Digeſtis aut ſcriptoribus priſci ævi uſquam eſt oſculi ſponſalitii mentio, multo minus quod ſponſalia nuptiis æquiparentur, imo contrarium paſſim in Pandectis decantatur) adhuc origo quærenda eſt oſculi ſponſalitii.

9. Equidem quum me in omnes partes verterem, nihil veriſimilius afferre mihi poſſe videbar, quam ſi hanc conſuetudinem a Chriſtianis repeterem, apud quos oſculo ſanctius & uſitatius erat. Eo ſe in orationibus, & in ſacra Synaxi in ſignum mutuæ caritatis atque fœderis complectebantur: nec aliter, quam cum oſculi impreſſione ſeſe invicem ſalutabant. Itaque nihil frequentius in Apoſtolorum epiſtolis legimus quam illud, *ſalutate invicem in oſculo ſancto*. Vide Rom. XVI. 16. & 1. Cor. XVI. 20. & 2. Cor. XIII. 12. & 1. Theſ. V. 26. & 1. Pet. V. 14. Itaque antiquorum Chriſtianorum ingenium, & eorumdem Angelicam ſimplicitatem oſculum ſponſalitium redolebat. Accedit, quod Chriſtiani poterant moris ejus auctorem laudare Sanctiſſ. Patriarcham Jacobum, qui Gen. XXIX. 11. *oſculatus eſt eam* (Rachelem) in pignus deſponſationis utique. Confer quæ ſupra ex Græcis Canoniſtis ad Trull. Can. 98. deprompſi, ex quibus apparet, & ſponſaliorum indiſſolubilitatem, & quod eadem nuptiis omnino exæquarentur, id totum veteres Chriſtianos ad imitationem legis Moſaicæ retuliſſe. Ergo non antea jus Cæſareum ſponſaliorum hujus generis meminit, quam & Cæſares Chriſtianiſmum amplexi eſſent.

10. Ac

(1) Ea conſtitutio refertur in Baſilicis lib. 28. tit. 3. cap. 16. his verbis: Ἐὰν ἀφίλησεν τὴν μνηστὴν ὁ μνηστὴρ τῆς μνηστείας καιρῷ &c. *Si ſponſus ſponſæ oſculum impreſſerit ſponſaliorum tempore &c.* Ex quibus videſ, oſculum ſubſecutum ſponſalia nihil afferre vitium ad ea roboranda, ſed illud tantum, quod in celebrandis ſponſalibus intercedit.

Digitized by Google

10. Ac me quidem in ea cogitatione & conjectura fixum opportune poſtea confirmavit doctiſs. Jac. Gothofredus in comment. ad eamdem Conſtantini legem Codici Theodoſiano inſertam *l. 5. de ſponſal. & ante nup. donat.* ubi is ad eamdem conjecturam animum applicuit, nim. oſculi in ſponſalibus adhibiti originem a Chriſtianis eſſe repetendam. Nolo ea recoquere, quæ Vir Cl. ibi affert: quorum pleraque jam antea a me animadverſa, ſupra expoſui. Sed iniquus lectori ſim, niſi obſcurum Tertulliani locum adſcribam a Gothofredo productum. Itaque Septimius in *de velandis Virgin.* cap. XI. oſculi ſponſalitii ſic aperte meminit. *Si autem ad deſponſationem velantur* (exemplo Rebeccæ, cujus antea meminerat) *quia & corpore & ſpiritu maſculo mixtæ ſunt PER OSCULUM ET DEXTERAS, per quæ primum reſignarunt pudorem ſpiritus..... quanto magis tempus illas velabit, ſine quo ſponſari non poſſunt?* Idem paullo ſupra de Rebecca: *Quæ quum ad ſponſum..... perduceretur... non ſuſtinuit* (ideſt expectavit) *dexteræ colluctationem, nec oſculi congreſſionem &c.* Ergo non eſt dubium quin a Chriſtianis is mos in leges Cæſareas ſit invectus, quum id antea Chriſtiani ex Scripturis, ut modo innuebam, collegiſſent. Æquiſſimum autem fuit, ut ubi ſponſalibus oſculum interveniſſet, ea indiſſolubilia evaderent, ac nuptiis exæquarentur, quia per oſculum aliquid de virginitate delibari, omnis antiquitas intellexit. Sed & longe major his ſponſalibus firmitatis ex precibus & invocatione Divini nominis accedere putabatur: quantum ex ipſa Alexii conſtit. apud Leunclavium poteſt intelligi.

11. Et hactenus quidem oſculi ſponſalitii, ſive ſponſaliorum nuptiis ἰσοδυναμούντων (*æquivalentium*) veſtigia in Tertulliano, aut (ſicui forte Tertulliani locus obſcurior videatur) ſaltem in ævo Conſtantiniano, & anno 336. deprehenſa fuere: ſimul origo moris a Chriſtianis eſt repetita. Nunc illud porro videamus, num ex Conſtantini ſanctione in altioris antiquitatis indaginem liceat aſſurgere. Ea Conſtantini conſtitutio inſcribitur *Ad Tiberianum Vicarium Hiſpaniarum*. In calce vero dicitur *Accepta Hiſpali, Nepotiano, & Pacato Conſſ.* ideſt ann. 336. Hujuſmodi autem reſcripta non ultro ab impp. mittebantur, ſed ubi a magiſtratibus provincialibus interpellati fuiſſent. Ergo ex lege intelligitur, Hiſpali & in Bætica Provincia viguiſſe tunc morem ſponſaliorum oſculo confirmatorum, maxime apud Chriſtianos, quos jam tum frequentes in Bætica fuiſſe, conſtat ex undeviginti Epiſcopis, qui Canonibus Illiberitanis ſubſcripſerunt, iique maximam partem ex Bætica Provincia, inter quos tertius eſt *Sabinus Epiſcopus Spalenſis* ideſt Hiſpalenſis, hoc eſt Urbis ejus, ubi Vicarius Hiſpaniarum morabatur: cui Vicario Conſtantini Conſtitutio inſcribitur. Illiberis (II) autem, ubi Synodus illa coiit, ad eamdem Bæticam Provinciam pertinebat, 36. leucis, ut ajunt, ab Hiſpali diſtans. Ex quibus omnibus luce meridiana clarius eſt, quo tempore Canones Illiberitani condebantur (ideſt uno & triceſimo ante Conſtantini reſcriptum anno) & Hiſpali, & Illiberi, & in Bætica univerſa viguiſſe apud Chriſtianos conſuetudinem oſculi ſponſalitii (id enim moris in Bæticam non invexit Conſtantini Conſtitutio, ſed invectum ſupponit) eaque ſponſalia pares habuiſſe vires, atque ipſas nuptias.

12. His expoſitis, jam per ſe fluit Canonis Illib. ſententia. Nam ſi quæras, cur ſponſaliorum fractio *crimen* vocetur, cur fractores *ſe polluere* dicantur: manifeſta eſt ratio, quia de eo loquitur, qui conſtantibus hujuſmodi ſponſalibus, cum altera perſona nuptias contrahebat, quod eſſe *adulterium*, Canon. Trullan. 98. (ex vetere utique

(II) Duplex Illiberi aut Illiberis fuit, una in agro Ruſcinonenſi, in qua perperam Mariana in IV. Hiſt. Hiſp. 16. & Marca in I. Hiſp. 6. Synodum illam celebratiſſimam coactam putaverunt: altera in Bætica, prope a fontibus fingulis amnis, at longius ab Hiſpali, hoc eſt plus 30. leucis, diſtans. In hac poſteriore (quam duabus leucis a Granada removet Vaſæus: etſi alii ex illius ruinis Granadam creviſſe volunt) Illiberitana Synodus veteſtiſſima coiit.

Digitized by Google

que disciplina) ostendit. Deinde si quæras cur parentibus potissimum ea sponsaliorum fractio tribuatur: respondebitur, quia ex Jure Romano (imo & gentium; vide in *Dub. I. Adnot.* 17.) patres pro filiis sponsalia contrahebant distrahebantque. Deinde quia maturabantur a Christianis nuptiæ (uti in eadem *Adnot.* 17. dictum fuit) non nisi minorennes elocabantur, quique sive sub patria potestate essent, sive saltem sub propinquorum tutela, quos Canon *parentes* vocat. Jam, ut opinor, in eo Canone plana sunt omnia. *Si qui parentes* (quorum nomine non tantum patres, sed & *parentela* sive propinqui veniunt, uti dictum ad principium *Dub. II.* in *Adnot.* 21. sub quorum tutela pupilli aut minorennes esse solebant) *fidem fregerint* (per adulterium scilicet quod committitur, quoties sponsi aliis copulantur, quam quibus desponsi sollemniter fuerant, ex Can. Trull. 98.) *sponsaliorum* (propriæ dictorum, quæ cum interventu osculi & arrharum contracta, exæquabantur nuptiis, ex disciplina Christianorum, postea a Constantino in leges Romanas invecta) *triennii tempore* (non diutius, quia revera non erat proprie adulterium, sed improprie, propterea quod tantum sponsalia processerant; at si Matrimonium inter eos constitisset, eo casu Concilium fidei fractori conjugi nec in finem communionem Can. 8. largitur etsi in aliis adulterii speciebus pœnam leviorem irrogat, sed semper triennio diuturniorem) *abstineant se a communione. Si tamen iidem sponsus vel sponsa in illo gravi crimine* (quod Canon. Trull. improprie *adulterium* vocat) *fuerint deprehensi, excusati erunt parentes. Si vero* (parentes, seu propinqui) *in eodem fuerint vitio, & POLLUERINT se* (nota verbum adulterii proprium) *consentiendo* (hisce Matrimoniis, quæ habebantur ferme ut adulteria) *superior sententia* (de triennali pœnitentia parentum) *servatur*. Hactenus de genuina Canonis obscurissimi sententia; quam spero Canonicæ disciplinæ saeræque antiquitatis cupidis non injucundam fore.

13. At heic mirabitur aliquis, me prima Græcanicæ disciplinæ circa oscula sponsalitium vestigia in Illib. Canone, & Tertulliano hoc est in Hispaniis & Africa, omnino in occidente notasse: quum non sit credibile, eam consuetudinem non perduravisse, ubi incœperat, contra vero in Oriente hoc est in alieno solo tam altas radices egisse. At numquam equidem affirmavi, sponsalia hujus generis, quæ parem nuptiis potestatem haberent, in occidente primum usurpari cœpisse, sed tantum antiquiora moris ejus monumenta non alibi adhuc me potuisse, quam in latina Ecclesia deprehendere. Cæterum quia id Christiani ex Scripturis se arripuisse profitentur, non est dubium, etiam in oriente id genus arctiorum sponsaliorum obtinuisse. At deinde ea disciplina in Græca Ecclesia, quippe antiquorum rituum tenacissima perennavit, & hodieque (III) perennat: dum interim Latina Ecclesia multo austerior ac severior, statim ut sponsalia in adultiorem ætatem trahi cœperunt, & simul prisca simplicitas in malitiam denegaverit, ferme illo rituali oscula supersedendum putavit: etsi sexto sæc. adhuc ejus oscula (IV) mentionem reperio. Cæterum perduravit tamen in ead.

(III.) Hodiendum apud Græcos id genus sponsaliorum obtinet: id quod ex Crusii Turcogræcia potest intelligi, ubi lib. IV. pag. 330. in quadam epistola scripta ad Theodosium (quem, ut ex Crusii adnotatis ad superiores epistolas potest colligi, apparet vixisse circa finem sæcul. XVI.) sic casus quidam matrimonialis proponitur. Τις ἄνθρωπος ἀρραβωνίσατο γυναῖκα μετὰ ἱερολογίας, καὶ ἐπιτραχηλίου, ἐμεσολάβησεν δὲ ὁ φίλημα &c. *Quidam subbarrhavit sibi mulierem, intervenientе sacrar. precum benedictione, & fascia collari* (sic Crusius exprès ἐπιτραχήλιον) *nec non & osculo &c.*

(IV.) Ad serum enim sæculum pertinere debuerit Benedicti rescriptum (si modo sit Benedicti fœtus) quod in Palea refertur can. *Lex Divina* 27. *qu.* 2. Aut cuicui tribuendum sit monumentum illud: ibi certe fit oscula sponsalitii mentio illis verbis: *Sed neque osculum pariit propinquitatem, quod nullam facit sanguinis commistionem.* Vide locum. Est enim ultimum, quod reperierim, oscula hujusmodi apud occidentales vestigium. Scio, nonnullis eam decretalem νοθείας suspicionem injecisse (vide Juenin, ubi de imped. Honestatis) id si est, tanto id recentius ejus oscula vestigium fuerit.

Digitized by Google

vad. Latina Eccleſia rigidior quædam circa ſponſaliorum obligationem diſciplina; quam quæ jure Romano continetur (de quo vide Auctorem noſtrum initio *Dub. IV.* & noſtras *Adnot.* 17. 33. 34.) at non eo uſque tamen, ut ullum genus ſponſaliorum agnoſcat, quod nuptiis æquiparetur: nam *ſponſalia de præſenti* non ſunt proprie ſponſalia, ſed verum Matrimonium ratum: undecumque (V) illis *ſponſaliorum* nomen inditum fuerit.

24. Atque ea, quæ hactenus de Græcorum ſponſalibus ſunt diſputata, permagni intereſt cognoſcere, ut origo pernoſcatur obligationis ejus, quam hodiedum jura Decretalium ex ſponſalibus proficiſci volunt. Eccur enim, quum jus civile ſinat ſponſorum alterutrum alteri invito nuntium remittere, idque temere prorſus ac ſine cauſa: contra Jus Canonicum non tantum eam licentiam non patitur, verum etiam ſponſum refractarium urget, comminatur cenſuras, ac tantum non cogit? Unde tanta in jure Canonico præ civili ſeveritas? Ex antiqua utique Eccleſiæ diſciplina, quando ſponſalia propie dicta ferme nuptiis exæquebantur in tantum, ut ſponſus ad alterius nuptias tranſiens haberetur ut adulter. At jure novo Decretalium ab ea quidem tanta ſeveritate receſſum fuit (maxime ubi oſculo cæteriſque ſollemnitatibus ſuperſederi cœpit) at non prorſus tamen ille rigor elanguit: verum penſi habuit Latina Eccleſia ſponſos qua hortando, qua comminando cenſuras, perpellere, uti fidem impleant. Quod ſi non plane compellit, id eo facit, quia *coactione difficiles exitus habere* novit. Hæc, inquam, Decretalium ſeveritas veſtigium eſt ex illa majore antiquorum ſeveritate adhuc reliquum.

15. At ſupereſt & alterum priſcæ ſponſaliorum diſciplinæ veſtigium longe illuſtrius, per quod ſponſalia (maxime ante Trid. Synodum) plane nuptiis exæquabantur. Quodnam id veſtigium? *Honeſtatis* impedimentum. Eam quidem Honeſtatem juri civili non penitus ignotam (VI) jus Canonum auxit. Nunc ſi a me quæras, quæ mens

(V) Nam fieri quidem potuit, ut quum jus Canonicum orientale duum generum ſponſalia agnoſceret, unum infirmius & diſſolubile, arctius alterum ac prope indiſſolubile: id nomine tenus Latini Canoniſtæ fort. ſint imitati, duplex admittentes ſponſaliorum genus, unum *de futuro* (quæ proprie ſunt ſponſalia) idque diſſolubile, alterum indiſſolubile, quod *de præſenti* appellant. At poſteriora hæc æquivoce tantum ſponſalia dicuntur, ac tam ſunt vera ſponſalia, quam Canis cæleſtis eſt verus canis. Aut ſi non ea, quam dixi, eſt origo diviſionis ſponſaliorum in *de futuro*, & *de præſenti*: ſaltem id Latini Canones ex Biblicis locutionibus hauſerunt, per qua, ut alibi diximus, *ſponſalia & matrimonia*, *ſponſa*, & *uxores* promiſcue uſurpantur & permutantur. Itaque quum ea vocabula apud noſtros confunderentur: deinde opus fuit ut per eam partitionem in *de futuro & de præſenti* obviam iretur quotidianæ amphibologiæ.

(VI) *Amplius de origine impedimenti honeſtatis.* Quia hujus impedimenti veram originem penderit, inveni neminem: in gratiam Canonicæ antiquitatis cupidorum non invitus feci, ut de ejus origine præter dicta in hac Diatriba num. 15. adda mihi hæc pauca.

Ergo ſi rei ipſius origo quæritur: licebit quidem in jure civili pauca ejus veſtigia deprehendere: at illud quod præterea Jus Canonicum ſuperſtruxit, id totum ex Canonico veterum ſponſaliorum rigore (de quo in Diatriba dictum) manavit. Et ad jus Pandectarum quod attinet: in *l.* 12. §. 1. 2. *D. de R. N.* Ulpianus ſcribit: *Inter me & ſponſam patris mei nuptiæ contrahi non poſſunt, quamquam noverca mea non proprie dicatur. Sed & per contrarium ſponſa mea patri meo nubere non poterit: quamvis nurus non proprie dicatur.* Ac rurſus *l.* 14. *vol.* in fine, ubi a Paullo ſcriptum eſt, *Ejus matrem quam ſponſam habui, non poſſe me uxorem ducere, Auguſtus interpretatus eſt: fuiſſe enim eam ſocrum:* impropriæ ſcilicet *ſocrum*, ut poſſit ſive Auguſtus, ſive Paullus cum Ulpiano conciliari. Verum jus civile intra has tantum paucas perſonas aſcendentium aut deſcendentium ſubſtitit: at numquam prohibuit, ne ſponſæ meæ ex latere conſanguineam intra ſeptimum gradum ducerem. Nam vide, quam longo intervallo recitatæ leges diſtent a *can. Si quis* 27. *quæſt.* 2. ubi ſcribitur: *Si quis deſponſaverit uxorem ... neque ullus de conſanguinitate* (quæ ad uſque 7. gradum antiquitus ſe porrigebat) *ejus eamdem ſibi tollat in uxorem ullo unquam tempore.* Ergo id totum, quod præterea Jus Canonicum in impedimento honeſtatis obſervavit, hauſit id ex veteris Eccleſiæ ſponſalibus, quæ nuptiis exæquabantur: ex quo fiebat, ut ſicuti affinitas ex nuptiis, ita affinitas ex ſponſalibus (quæ *Honeſtas* dicebatur) intra pares gradus contineretur.

Tranſeo

mens priscis Patribus fuerit prohibere, ne ejus, cum qua sponsalia contraxeras, sororem aut consobrinam duceres: non alia certe fuit, quam quia quum antiquitus in Ecclesia sponsalia proprie dicta nuptiis paria in plerisque haberentur; imo alteri quam cui desponderat, nubens aut ducens, adulterium admisisse putaretur: hinc postea mansit

Transeo ad *Honestatis* vocabulum: de quo scire lubet, unde id desumpserint Canones. Omnino ex jure civili. Justinianus in *Instit. tit. de Nupt. §. 9.* præfatus, *nec sponsam filii nurum esse, nec patris sponsam novercam*, subjicit *RECTIUS tamen & jure facturos, qui ab hujusmodi nuptiis abstinuerint*. Quibus dictis videbatur mihi rem ad honestatem redegisse, sed talem tamen, quæ proxima legi esset. Atque in ea opinione me confirmavit Theophili (unius ex Institutionum conditoribus) paraphrasis, in qua, ubi dictum fuerat nec sponsam filii nurum esse, nec patris novercam, sequitur, ἢ ὅσον ἐκ τῶν εἰρημένων, ὑδυνάμην τούτοις λαμβάνειν πρὸς γάμον &c. *Et quantum quidem ex dictis potest intelligi, possem illas uxores ducere: tamen (διὰ τὸ ἐυπρεπές) propter HONESTATEM laudat Julianus* (is certe, de quo Ulpianus in dicta *l. 12. §. 3. de R. N.*) *si quidem ab hujusmodi nuptiis abstinuerimus. Ergo* τὸ ἐυπρεπὲς ideſt *honestas* solam impediebat, quominus quis patris sui aut filii sponsam duceret. Hoc est illud ἐυπρεπές, quod Græci Canonistæ ex Basilio afferunt, ubi ait. *In nuptiis non tantum quid permissum sit, sed & quid HONESTUM quærimus*. Atqui hoc Magnus ex Modestino hausit *l. 42. de R. N. Semper*, ait, *in conjunctionibus* (connubialibus) *non solum quod liceat, considerandum est, sed & quid HONESTUM sit*. Ex his vides id quod nostris Canonibus *Honestas* dicitur, agnovisse juris civilis conditores, sed tantum in paucis ascendentium aut descendentium personis, numquam ex transverso, atque in illis etiam (si Justinianum & Theophilum, qui Julianum laudat, audimus) *honestate* tenus putasse prohibitas nuptias, non ex necessitate. At vero Jus Canonicum *honestatis* quidem vocabulum ab jure civili arripuit, ac eam honestatem ad omnes sponsorum consanguineos, etiam ex latere, usque ad septimum gradum prorogavit, ac insuper sub *honestatis* vocabulo necessitatem imposuit. Unde hæc tam immania discrimina? Quia Christianorum veterum proprie dicta sponsalia nuptiis exæquebantur; unde illinc, æque ac ex nuptiis, affinitas oriebatur ad usque septimum gradum: nisi quod affinitatem ex sponsalibus *Honestatem* appellari ex recepto more placuit.

Hæc pluribus exposuisse non pœnituit, ut desinant aliquando in Honestatis impedimentum debacchari Heterodoxi. Saae dum in his eram, incidit in manus Henr. Brouwveri opus *de jure connubior*. Is lib. 2. cap. 14. cum plura præter verum atque honestum de *Honestate*; tamquam certa sibi sumit (quæ non vacat refellere) tum a Bonifacio demum VIII. inventum hoc impedimentum mira confidentia scribit. Quod me plane impulit, ut præter dicta in *Diatrib.* num. 15. hanc Adnotationem heic asserem. Vel adeat Brouwverus Gratianum Caus. 27. quæst. 2. & ibi can. *Si quis uxorem 14. & c. siquis desponsaverit 15*. Nam quæ ex Benedicto papa recitat, is Canon est suppositionis manifestus: Juenin., ubi de imped. *Honestatis*. Verum quid Decreto aut Decretalibus opus est? Quando huc usque dicta satis ostendunt Honestatis impedimentum in remotissima Ecclesiæ antiquitates fixas radices habere: imo de ejus rigore sensim decessisse plurimum, dum prius intra quartum gradum, postremo a Trid. intra primum coercitum fuit, si ex sponsalibus proveniat, intra quartum, si ex Matrimonio rato: tantum abest, ut conqueri Brouwverus & alii Novatores possint, ad potestatem atque jurisdictionem latius prorogandam excogitatum hoc impedimentum esse ambitu & cupiditate Pontificum.

Postquam hæc scripseram, incidi in Alexii Comneni Novellas, quæ tum alibi, tum ad calcem *Corp. Juris Civ.* Gothofredi prostant. In iis num. 3. & 4. duæ sunt ejus principis constitutiones, quas Balsamon (vide supra in Diatriba num. 2.) in compendium redegit. In his autem duabus Alexii Novellis sexies aut amplius impedimenti Honestatis, tamquam ex *antiqua lege* introducti, fit mentio. Ac statuitur, id impedimentum non tantum ex iis sponsalibus, quæ nuptiis æquiparantur, inductum iri, verum etiam ex illis alteris minoris roboris. Itaque in priore earum Novellarum, quas modo nominavi, sic versus finem scribitur: ὡς, τε παλαιὸς φυλαχθήσεται νόμος, ὃς κεκωλυμένας προσώπων ἐπαισθήσεσθαι ἐπαύσατο, μὴ ἁφὴς πῶπε ἐς τὸν ἀπόζυχθέσαν μίσσον τῶ ἐγγίονας προσώπε. αἰσίρχεσθαι. *Ita & VETUS LEX servabitur* (*per quam impedimentorum, sive prohibitarum personarum catalogus conditus fuit*) *non sinens quemquam cum sponsa a cognato suo dimissa contrahere Matrimonium*. Idem bis supra inculcatum fuerat. Adhæc in posteriore constitutione (num. 4. in Gothofr. Corpore) sic legitur. *Si sponsalia ... alte-*

Digitized by Google

sit hoc, ut non minus ex sponsalibus, quam ex nuptiis suam affinitatem oriri voluerint: quam quidem in sponsalibus *honestatem* appellarunt. Hinc ad eosdem gradus utramque affinitatem porrigebant: ante Concilium Later. ad septimum gradum, ante Trid. vero usque ad quartum. Nam Tridentina demum Synodus affinitatem sponsaliorum (sic enim appellare mihi tantisper liceat, quam vulgo *honestatem* nominant) intra primum gradum coercuit. Habes jam illustre vestigium austerioris sponsaliorum disciplinæ, per quam hæc eodem ferme loco ac nuptiæ habebantur. Id autem totum ex jure Mosaico ad Christianos manavit: quo jure sponsa & vocabatur & reputabatur uxor, eademque a sponso jure viri adulterii accusabatur.

16. Nec plura de Illib. Canone. Cæterum is Canon tantum abest, ut faveat sponsalibus clam patre factis, ut potius, dum in parentes fœdifragos animadvertit, supponat penes eosdem summam fuisse potestatem contrahendi distrahendique; etsi distrahendi pro summa libidine potestatem coerceat. Nam iis de caussis dissolvi sponsalia illa arctiora poterant, ex quibus nuptiæ dirimebantur. Ergo non est dubium, quin sicuti patres de Jure Canonico antiquo nuptias injussu suo factas recte dissolvebant, eadem de caussa & sponsalia dissolverent; imo uterque contractus injussu paterno factus

alterius forte partium morte dissoluta sint, pars altera superstes sponsalia contrahere prohibebitur cum ea persona, cum qua, si quidem nuptiarum societas illi cum defuncta persona jam processisset, contrahere vetaretur. Idem prorsus paullo diversis verbis iterum ac tertio infra statuitur. Ex quibus vides Honestatis impedimentum ex *vetere lege* apud Græcos obtinuisse; idque non tantum ex sollemnibus sponsalibus ortum, verum ex iis etiam quæ minus proprie sponsalia vocabantur, saltem ex Alexii constitutione: postremo hoc Honestatis impedimentum iisdem prorsus finibus fuisse terminatum, quibus affinitas ex Matrimonio coercebatur. Hæc Brouyverus ejusque summistæ viderint, quo pacto cum eo cohærent, quod audacter effutiunt, Honestatis impedimentum Bonifacio VIII. antiquius non fuisse. Nam certe παλαιὸς νόμος, quem passim in eo laudat Alexius, lex erat ἀδιάποτος, ad ipsa Ecclesiæ primordia referenda, quando sponsalia unius generis inter Christianos usurpabantur, eaque illis, quas toties dixi, solemnitatibus vallata, plane æquiparabantur nuptiis. An vero μαλαιὸς νόμος est qui in Constitutione Synodali Jo: Xiphilini mox producenda ὁ πολιτικὸς νόμος idest *jus civile* vocatur, hoc est illæ civiles leges, quas initio hujus *Admot.* in medium protuli, quibus impedimenti honestatis quædam adumbratio continetur? An postremo apud Alexium imp. παλαιὸς νόμος *vetus lex* non aliud est, quam ipsa ejusdem Joannis Xithilini Patriarchæ CPolitani Constitutio Synodalis, qua sponsalium affinitas (hoc est impedimentum Honestatis) fort. ex negligentia olim intermissa, revocatur? At fatendum est inter Comneni Novellam & Synodicam illam legem annos non amplius octodecim effluxisse. Etenim Alexii dicta Novella prodiit ann. Mundi 6592. Christi 1084. At Synodalis Constitutio facta est ann. Mundi 6574. idest ann. sal. 1066. Verum quæ mora est, quin ex ipsa Synodica sanctione depromam, quæ huc pertinent? *Quum jus civile* (Gr. ὁ πολιτικὸς νόμος, est leg. 12. §. 1. D. de rit. Nupt. & Instit. de Nupt. §. Si uxor) *patris atque filii sponsam, filio vel patri omnino conjungi propterea vetet, quod illa neverca locum habeat, hac nurus; licet nuptiæ secutæ non sint; quumque hodiedum obtinuerit ut qui virginem sibi desponderit.... ac deinde duxerit aliam* (ab ea quam tantum desponderat, necdum duxerat) *nec Sacerdos, nec Diaconus aut Subdiac. ordinari possit, quasi bigamus reputetur: visum est.. si sponsalia peracta sint, nuptiis non impletis sive morte, sive alio modo, nefas esse alterutri sponsorum copulari juste Matrimonio cum alterius sponsi cognato &c..... neque per Sacros Canones contractum hunc nuncupari connubium, aut ullo modo subsistere: quum legitima sponsalia Matrimonii locum & conditionem obtineant &c.* Deinde sequitur altera sententia eodem die in eadem Synodo lata: in qua inter cætera sic scribitur: *SS. Pontifices communi sententia de quæstione* (quæstio sup. proposita hæc fuerat, utrum in impedimentis ex cognatione & affinitate provenientibus *sponsalia pro nuptiis sint reputanda*) *responderunt ejusmodi contractum prohibendum esse, quoties celebratis sponsalibus nec secutis nuptiis, cum persona quapiam cognata... contractus alius instituitur.* Mox ad hanc sententiam sulciendam Canon Trullan. 98. & leges civiles supra citatæ laudantur. Utramque hanc Synodicam sententiam deinde Imp. Nicephorus Botoniates anno 1080. confirmavit Bulla aurea, quæ legitur apud Leunclavium p. 121. Juris Græcoromani. Ac de *Honestate* satis.

Digitized by Google

eius ipso jure erat illegitimus & invalidus. Hæc usque adeo vera sunt, ut in ea ipsa Alexii Comneni Constitutione quam sæpe laudavimus (vide Novellas Constit. ad eadem corporis jur. civil. Gothofr. in Alexio Comn. num. 4.) scribatur: *Alii e contrario indissoluta manere sponsalia putant: dicentes, non esse consentaneum, ut qua (sponsalia) post liberorum perfectam ætatem parentibus placuerunt: (συναινέσει καὶ αὐτῶν) eorum sensensu & sacris precibus obsignata, datione pœnæ rescindantur.* Ex quibus vides, ut ea proprie dicta sponsalia consisterent, nec sacras preces, nec osculum & arrhas, nec legitimam pubertatis ætatem sufficisse, nisi etiam parentum consensus accessisset.

DIATRIBA II.

De Ritibus Sponsaliorum: *ad Mantiss. num. 9. & ad Adnot. VIII. & IX.*

PARS PRIOR.

Quædam parum adhuc observata de confarreatione, coemptione, usu complectens.

1. *RITUS vox est Etrusca, non tantum cæremonias, sed & leges significans: hinc lex titulo* de ritu nuptiar. *in quo Tribonianus defenditur.* 2. *Confarreatio, & Usus proprie ritus sunt non nuptiarum, sed sponsalitii.* 3. *Non recte Heineccius negat coemptionem a farre fuisse distinctam.* 4. *De confarreatione. Boethius sinistre acceptus exponitur: non enim vult, solos Pontifices confarreari, sed solos confarreasse.* 5. *De coemptionis notione, Nonii locus parum intellectus, ac falso emendatur, exponitur. Quid ibi* SAGIPEDIO, *quid ve* RESONARE. 6. *Vetus inscriptio explicatur.* 7. *Ex collatis Boethii, Gellii, Servii q. locis ostenditur, sola coemptione partam in manum conventionem (quamquam & usu conveniebatur in manum, sed emenso anno) deinde solas uxores coemptionales fuisse* matresfamilias *at cæteras* matronas *vocatas. Ulpiani fragmentum* IX. *ad ejus instituta videri pertinere.* 8. *Coemptio dicis caussa fiebat: cæterum dotes & παράφερνα locum obtinebant.* 9. *De usu: quo fiebat ut mulier, quæ toto vertente anno non triduum abnoctasset, usucapta intelligeretur. Ciceronem cum Gellio, Servio, Boethioque conciliatur.* 10. *Usui suas sollemnitates non defuisse, ex Judaicis moribus ostensum itur, a quibus Romani suos hauserunt.*

1. JO. Gottl. Heineccius JCtus eruditiss. in *Syntag. Antiq.* initio *tit. de Napt.* gravem Triboniani accusatorem producit Thomasium, eo nomine, quod in titulo Digestorum, qui *De ritu nuptiarum* ab eo inscribitur, nullum JCtorum fragmentum rituale recensens, tamen ea quam dixi inscriptione usus fuerit. Nec dubitat is quidem, quin antiquiores juris antistites eamdem epigraphen in suis scriptis usurparint: sed eos sic inscripsisse vult, quod sub eo lemmate de nuptialibus cæremoniis accurate agerent. Quam rubricam quando compilator ille retinere voluit, cur non aliquod saltem responsum rituale inseruit. Verum ut fatear, ignorata hactenus vocabuli *Ritus* etymologia ac notio eam invidiam Triboniano, imo & antiquioribus JCtis creavit: nam etiam apud veteres illos prudentes titulus *de ritu nuptiarum*, non mere cæremonialia, uti mihi certo persuadeo, sed legalia responsa complectebatur. Ergo RITUS proprie non aliud quam leges & jura significat, eaque significatio & etymologiæ & usui ejus vocabuli nituntur: de utroque vide (l) inferne adnotata. Itaque non exspectandum ab antiquis consultis, aut a Triboniano erat, ut sub ea rubrica

(l) Ab etymologia. RITUS (ut in Tyrrenicis dicam in Diatriba IX.) vox est Etrusca, quæ

brica cæremonias confarreationis, domum ductionis &, quæ porro erant, exponerent. Quamquam vel si veteres juris interpp. de confarreatione, coemptione, usu fort. egerint, hæc tria illi, non tamquam cæremonias meras, sed tamquam modos acquirendi dominii in uxorem considerabant.

2. At si licet quod sentio libere eloqui, fortassis *confarreatio*, *coemptio*, *usus* non tam nuptiales quam sponsalitii ritus erant. Hinc quia olim in confarreatione (teste Ulpiano infra producendo) decem testes adhibebantur: idcirco etiam Ambrosii ævo solemniora sponsalia coram decem testibus fiebant: qui *ad Virg. lapsf.* cap. 5. sic scripsit: *SI INTER DECEM TESTES confectis sponsalibus, & nuptiis consummatis, quævis viro femina conjuncta mortali, non sine magno periculo adulterium perpetrat: quid putas fore &c.* Ex quo vides confarreationem fuisse negotium sponsalitium. Et omnino quæcumque domum ductione tenus fiebant, ea sponsaliorum ambitu proprie continebantur: a domum ductione demum nuptiæ procedebant. Quocirca acturus hic de *usu*, *farre*, *coemptione*, ei scriptioni indicem *De ritibus sponsalitiis* præscribendum putavi.

3. Ac primum doleo, quod pluries cum Heineccio mihi decertandum video. Is eodem in opere ad eumd. tit. Instit. *de Nuptiis* num. x. negat tres fuisse distinctos ritus, neque enim coemptionem a confarreatione diversam fuisse sed in hac illam tamquam ritum accessorium fuisse adhibitam: at postremis temporibus Romanos, neglecto primario confarreationis ritu, solum accessorium idest coemptionem retinuisse. Auctor & fundus conjecturæ hujus Heineccio est Tullius in Flacciana c. 34. ubi orator modos in manum conventionis recensens, farris non meminit, sed tantum usus & coemptionis, utique quod hæc a farre diversa non erat. Verum de Cicerone facilis est responsio, eum confarreationem omisisse, quippe suo tempore jam prope intermortuam. Nec mirum. Tiberii tempore non poterant tres patricii conferreatis parenti-

quæ & in Tab. III. Iguvina reperitur, ubi REHTE idem est quod RITE. Est autem consentaneum, ut Etruria, quæ rituum magistra semper est habita, etiam vocabulum ipsum invexerit. Ac miseret me Vossii a τρίβος vocem RITUS ἐτυμολογοῦντος. Quid his facias, qui quantum est Latialis sermonis, de Græco, Musarum ingratis, hauserunt? Atqui Etruscos ab oriente pleraque sua habuisse, ibidem ad nauseam demonstravimus. Ne plura: Hebræum דת *dat*, & Chaldæum דתא *deta*, *jura* ac *leges* significat. Ubicumque autem *Daleth* in vocibus orientis occurreret, eam litteram Tusci *Rhotacismo* delectati in caninam litteram commutabant, aut commutare ex modo pronuntiationis videbantur: de quo vide dicta in Tyrrhenicorum Diatrib. IV. §. 2. ubi de Ravenna, quæ olim *Cumerum* dicebatur, & in Diatr. V. ad Tosum Campanum. Ergo ex *Deta* fiebat *Reta* & cum terminatione Latina RITUS. Quæ vox proprie jura significat: quia vero apud Hebræos leges aliæ sunt cæremoniales, aliæ morales aut judiciales, hinc apud Etruscos Latinosque *Ritus* hæc omnia significabat. Habes de etymologia ac vera vocabuli notione.

Nunc videndum an ea significatio cum Latinorum Scriptorum usu conveniat. Primum exemplum affero tituli Digestorum *De ritu nuptiarum*, a quo tamen titulo cæremoniæ absunt. Ad hæc Plinius XII. 8. *Ritu* (idest lege) *natura capite hominem gigni mos est, pedibus efferri*. Tacitus de Mose: *Novos ritus* (leges Mosaicas intelligit) *contrariosque, ceteris mortalibus indidit*. Sed nusquam plura exempla quam in ablativo RITE reperias (quod non ede adverbium, sed auferendi casum, ostendit tum E breve, tum illud Statii. XI. Theb. 285. *Hei mihi primitiis ararum & rite nefasto Libatus*) quam ablativum passim pro *jure* sive *lege* veteres formulæ accipiunt. Quare utrumque tamquam synonyma junxit Plautus in Cistel. *Itaque hanc lege & rite civem cognitam * Alcesimarchus ... possidet*. Idem Pseud. *Qui rite successit bonis*. Auctor ad Heren. lib. 1. *Testamentum ipso præsente conscribunt, testes rite affuerunt*, quæ exempla non ad meras cæremonias, sed ad jura pertinent. Sic *Rite facta in l. 6. D. ad l. Corn. de falsf. & Rite facta delegatio* in *l. 2. C. de Novation.* Et quod ex Tertulliano solet in disceptatione hac de nuptiis injussu patrio factis afferri in lib. 2. ad uxor. *Nam nec in terris filii sine consensu parentum RITE & JURE* (κατὰ συνωνυμίαν scilicet) *nubunt*. Adhæc *rite contractum matimonium, & rite contracta nuptia* in *l. 3. & 6. C. de interd. matrim.* Et alia sexcenta.

Digitized by Google

rentibus orti reperiri; teste Tacito Annal. IV. Ergo jamdiu antea intermitti confarreatio ceperat, idque *propter ipsius cæremoniæ difficultates*, uti loquitur Tacitus. Quid mirandum, si Cicero supervacaneum putavit de farre quærere, qui sciret suo tempore ritum illum passim ab omnibus negligi? Verum hæc responsio parum me delectat. Verior & expeditior altera hæc erit, revera farre solo non conventum fuisse in *manum*, sed tantum in *matrimonium*: ut infra a me demonstrabitur, ubi de coemptione. Cæterum, tres revera fuisse distinctos uxoris quærendæ modos, quos supra dixi, & Arnobius in IV. adv. gentes dixit, & Boethius ex Ulpiano, unaque Servius ad Geor. I. 31. adstipulantur. Tametsi non nego, confarreationi plerumque etiam coemptionem superaddi solitam ob eas rationes, quas infra tangam in *Adnot. VI.*

4. Jam vero pauca de singulis dicamus a confarreatione exorsi: Boethius ad Topica Ciceronis de ea sic incipit: *Tribus modis uxor habebatur, usu, farre, coemptione. Sed confarreatio solis Pontificibus conveniebat*. Hoc posterius ita dictum viri eruditi acceperunt, quasi si soli Pontifices confarreatione sibi uxores quærerent. Quod secus esse, recte Heineccius num. 3. ex Dionysio & Tacito colligit: ex quibus intelligitur farreatas nuptias civibus omnibus fuisse communes. Verum non recte ibid. Idem Vir Cl. Boethium inter eos numerat, qui id genus nuptias Pontificum peculiares putaverit. Debuisset saltem dicere Severinum sic opinandi ansam viris doctis quidem, sed parum attentis, præbuisse. Cæterum meo judicio nihil minus Boethius dixit, quam quod ei tribunt. Nam ubi ait, *confarreatio solis Pontificibus conveniebat*, confarreationem non παθητικῶς sed ἐνεργητικῶς accepit. Ergo *confarreare* quidem solis Pontificibus conveniebat: at vero *confarreari* omnibus peræque civibus. Servius id clare edocet ad Geor. I. 31. ubi confarreationem sic definit, *Cum per Pontificem Max. & Dialem flaminem per fruges & molam salsam conjungebantur*. Etsi hoc etiam verum est, Pontificum nuptias fuisse farreatas, ex eodem Servio ad Æn. IV. 103. Sed uti dixi, Boethius non aliud voluit, quam per solos Pontifices confarreari potuisse nuptias: atque ex requisito Pontificum ministerio nascebatur cæremoniæ difficultas, de qua Tacitus, propter quam etiam intermitti cœpit. Cur inquis, soli Pontifices confarreabant, quum contra in coemptione non opus esset ea Pontificum interventu? Quia in confarreando sacrificium fiebat, nec tale, quale ab omnibus fieri potuisset, sed *sollemne* & a solis Pontificibus peragendum. Ulpianus in fragm. tit. IX. *Farre convenitur in manum, certis verbis, & testibus X. præsentibus, & SOLLEMNI SACRIFICIO FACTO, in quo panis quoque farreus adhibetur*. Sed de confarreationis etymologia, quam heic tangit Ulpianus, aliique post Dionysium, infra aperiam conjecturas meas in *Parte 2.*

5. Age vero de *coemptionis* notione nihil addam ad ea, quæ supra in Mantiss. dixi in *Adnot. VIII. & IX.* ubi ex Servio Boethioque ostendi eam emptionem fuisse mutuam, id quod & vox *coemptionis* ostendit. Id etiam ex Græcis auctoribus ibi demonstravimus: nam Euripides mulierem emptricem facit, Sophocles virum: quos quasi conciliaturus Nazianzenus eleganter, uti vidimus, utrumque alteri venalem facit. Apud Latinos Nonius ita rem narrat, ut tantum nuptas ementes faciat: at in inscriptione quadam antiqua maritus emens inducitur. Nec aliter discidium componetur, quam quod ambo emebant, ut sæpe diximus. Verum quia idem Heineccius nec Nonium, nec inscriptionem satis videtur explicuisse, non invitus utriusque verba recitabo. Nonius XII. 50. sic incipit: *Nubentes veteri lege Romana asses treis ad maritum venientes solebant ferre: atque unum quem in manu tenerent, tamquam emendi causa marito dare: alium, quem in pede haberent, in foco Larium familiarium ponere: tertium in sacciperione quum condidissent, compito vicinali solere resonare. Inde Virg. Georg. I. Teq. sibi generum Tethys emat omnibus undis. Quos ritus Varro lib. I. de vita Populi Rom. diligentissime percurrit*. Quem locum nec plane fideliter ibi recitavit vir doctus (ut conferre volenti liquebit) nec probe exposuit, quid sit *solere re-*

Digitized by Google

re resonare, pro quo legi mavult *solere resignare*. Sed locus sanus est. Jam primum omnium de *sacciperione* dicendum, pro quo Heineccius & alii nonnulli in suis scriptis exhibent *sacciperio*, quasi illud alterum mendosum sit. Verum & τὸ *sacciperione* saniſſimum est. Ex σακκοπήρα (II) fiebat diminutivum σακκοπήριον, hæc autem neutra diminutiva Latini nonnumquam quidem itidem neutraliter reddebant, ut *sacciperium*, quod Plautus usurpavit: nonnumquam autem per masculum nomen tertiæ declinationis. Sic *Philematio*, *Philemationis* servile nomen in marmoribus obvium est ex Græco τὸ φιλημάτιον, & sexcenta ejusdem formæ. Ad eum modum ex σακκοπήριον factum est tum *sacciperium*, tam *sacciperio sacciperionis*. Nunc explicandum est quid sit *sacciperium* sive *sacciperio*. Est pera ad recipiendos sacculos sive marsupia. Id tum vocis compositio declarat, tum Plautus in Rud. II. 6. 64. *Meum marsupium, quod plenum argenti fuit in sacciperio*. Qualis autem tandem *pera* fuit, aut ex qua materia? Ex viminibus, arbitror, sicuti & *fiscus* nummis accipiendis aptus. Certe Diphilus (III) πήραν non aliter quam vimineam agnovit. Ergo quum in sacciperione sacculi pecunia turgidi plures componi solerent: contra nova nupta assem unum in illum conjiciebat. Cui bono? Nempe ut assis in sacciperione vacuo fluctuans *in compito vicinali resonaret*. Quid vero istuc? Simile est Judæorum adagio in *Bava metzia* fol. 82. 5. quod sic Latine redditur; *Stater in lagena* (nim. vacua positus, commota lagena) *Kis Kis* (per ὀνοματοποίιαν hoc dicitur) *sonat*. Sic plane assis in sacciperione vacuo concussus resonabat. Ac fortassis saciperio ille erat instar γλωσσοκόμου, quo sursum ac deorsum cum nummulis agitato hodieque uti solent ad rogandum stipem. Et credo eo ritu fuisse significatam veterem consuetudinem, qua novæ nuptæ stipem corrogarent ad emendum sibi maritum. Cæterum non possum eidem Heineccio assentiri, *compitum vicinale* esse maceriam illam, qua diruta, nupta in domum mariti transducebatur. Quid enim compito cum macerie commune? Nec ibi *compitum* certe est aliud, quam quod illa vulgo significat. Hactenus de Nonio, apud quem puella emptrix est.

6. Ad Inscriptionem venio, in qua vir coemit. Ea apud eumdem Heineccium num. XI. sic habet: PVBL. CLAVD. QVEST. AER. ANTONINAM. VOLVMNIAM. VIRGINEM. VOLENT. AVSPIC. A. PARENTIBUS. SVIS. COEMIT. ET. FAC. IIII. IN. DOM. DVXIT. Sed doleo quod nihil in eam Vir doctus commentatur: nam si nihil aliud, illud certe FAC. IIII. nodus erat vindice dignus. Verum ne quemquam morer, sic totum epigramma interpretabere: *Publius Claudius quæstor ærarii Antoninam Volumniam virginem volentem* (hoc dicit, quia *l. 7. D. de sponsal.* non tantum patrum sed & sponsorum voluntas requirebatur: nam de parentibus mox) *auspicato* (hoc vero dicitur, quia nuptiæ nonnisi captatis prius auguriis fiebant, ut ex innumeris antiquorum locis ostendit Brissonius in de ritu Nupt. pag. 37. edit. Amstel. 1662.) *a parentibus suis coemit, & FACIBUS QUATUOR in domum*

(II) Σακκοπήρας meminit Apollodoros Caristius apud Pollucem X. 161. his versibus: ἐμβαλόντες, ὦ πονηρὲ σύ * Εἰς σακκοπήραν αὐτὸν ἐπιθησοί τις * Ἐφ' ὑποζύγιον hoc est *Conjicientes te ipsum, o improbe, in sacciperionem, jumento imponent*. Non quod σακκοπήρα vivis animalibus, cavæ instar, apta esset (etsi Pollux eo capite de ejus generis ὀκιδίοις agit) sed vult poeta, eum in primam quamque obviam capsulam, quantumvis ad id inidoneam, inclusum iri. Aut verius in avarum quempiam ea dicuntur, quem, ut nummis se expleat, in sacciperio inclusum iri, prædicit. Nec alibi vocem σακκοπήρα usurpatam reperiri.

(III) Apud Athæneum lib. X. inter *peram* atque *sportam* sic distinguitur, dicente Diphilo: ὦ πήρα φέρεις ἄρτους ἄν, ἀλλ' οὐ ζωμόν. Et ἐν σπυρίδα μάζας ἐμβαλεῖς, ἀλλ' οὐ φακῆν. *In pera panes recte ferar, sed non jusculum: in sportam mazam* (vilioris panis genus plerumque eo nomine intelligitur) *verum non lentis pulmentum injicies*. Ex quo satis apparet perum fuisse ex virgultis contextam, quippe quæ panes, non item jusculum continere posset. Ergo si pera viminea; ex eadem materia etiam sacciperio.

Digitized by Google

mum duxit. Ex quo titulo vides coemptionem ante domum ductionem factitatam fuisse: proinde coemptionem illam ad sponsalia videri pertinuisse: quum contra a domum ductione postremo nuptiæ procederent.

7. At Boethius post verba superius adscripta sic pergit: *Quæ autem in manum per coemptionem convenerant, hæc matres jam. vocabantur: quæ vero usu vel farre minime.* Quomodo ergo hæ vocabantur? *Matronæ*. Atque id est, quod Gellius XVIII. 6. ex grammaticis antiquis prodidit. *MATRONAM dictam esse proprie, quæ in Matrimonium cum viro convenisset.... MATREM autem FAMILIAS appellatam esse eam solam, quæ esset in mariti MANU MANCIPIOQUE* (nim. per in manum conventionem, quæ coemptione tantum fiebat, nam per usum & far non *in manum* sed *in Matrimonium* conveniebatur, teste Gellio)..... *quoniam non in Matrimonium tantum, sed in familiam quoque mariti, & in sui hæredis* (nam uxor per coemptionem erat jam marito loco filiæ hoc est sui hæredis) *locum venisset*. Vides ut optime Boethius cum A. Gellio conveniat. Ex utroque autem duo discimus. Primum farreatas & usurarias uxores non *in manum*, sed tantum *in Matrimonium* cum viro *convenisse*, per solam autem coemptionem id factum, ut in manum conveniretur; id quod etiam Servius ad Geor. I. 31. testatur, ubi *usui & farri* nullam in manum conventione tributa, mox eam statim *coemptioni* tribuit. *Coemptione vero*, inquit, *atque in manum conventione, quum illa in filiæ locum, maritus in patris veniebat*. Verum quid Ulpiano & Ciceroni faciemus, quorum ille farri, hic usui in manum conventionem tribuit? De hac objectione vide inferne (IV) notata. Alterum, quod ex Gellio Boethioque intelligimus, est, uxores farreatas atque usuarias dictas esse *matronas*, coemptionales autem *matres familias*. Hoc vero est, quod exponit Boethius sequentibus verbis: „ Coemptio vero certis sollemnitatibus peragebatur, & se„ se coemendo invicem interrogabant: vir ita, an sibi mulier materfam. esse vel„ let? Illa respondebat velle. Mulier, an sibi paterfam. vir esse vellet? Ille velle „ respondebat. Itaque mulier viri conveniebat in manum: & vocabantur hæ nu„ ptiæ per coemptionem, & erat materfam. viro loco filiæ. „ Hac Severini sententia recitata subjicit Heineccius ad fin. num. XI. *Sed hæc forte Boethius sine auctore*. Quo pacto, amabo te, sine auctore, sistatim Ulpianum Severinus auctorem laudat?

(IV) Ex recitatis Gellii, Boethii, Servijque locis colligi videtur, sola coemptione conventum fuisse in manum, at farre & usu conventum fuisse in Matrimonium, non in manum. At enim, inquis, id ex Ulpiano & Cicerone refellitur, quorum ille farri, hic etiam usui conventionem in manum tribuit. Ulpianus fragm. IX. *Farre convenitur in manum &c.* Cicero in Flacciana cap. 34. *In manum, inquit, convenerat. Nunc audio: sed quaro, usu an coemptione.* Quibus ergo sic respondeo, in *usu* fuisse quidem conventionem in manum, sed post annum, uti mox dicetur, ubi de usu agam. Ergo per usum initio conveniebatur in matrimonium, non in manum: at emenso anno etiam in manum. In illa specie, de qua Cicero, quia multum temporis fluxerat, recte quærit, coemptione an usu in manum illa convenerit. Hoc Tulli loco ita, uti necesse est, recte exposito, jam licebit Gellio, Boethio, Servioque Ciceronem quartum testem adjungere, ex quo efficiatur, sola coemptione (aut certe etiam usu, verum post annum evolutum) conveniri in manum potuisse. Jam vero ut Ulpiano respondeam: farreatione quidem sola non conveniebatur in manum. Verum mos obtinuerat, ut cum illa etiam coemptio necteretur, nec alio fine quam ut in manum conveniretur. Servius ad Æn. IV. 103. postquam de coemptione locutus fuerat, per quam putat conventum in manum fuisse, permiscet postremo & farris ritum. *Quæ conventio* (quam coemptione docuit factam) *eo ritu perficitur, ut aqua & igni adhibitis, duobus maximis elementis, natura conjuncta habeatur: quæ res ad farreatas nuptias pertinet, quibus flaminem & flaminicam jure Pontificio in matrimonium necesse est convenire. Sciendum tamen in hac conventione Æneæ atque Didonis, ubique Virgilium in persona Æneæ flaminem, in Didonis flaminicam præsentare.* Ex his vides, farreatis nuptiis tantum in matrimonium conventum fuisse: at si etiam conveniri in manum placuisset, tum coemptionem adjungi oportuisse, aut integri anni usum. Quorum alterutrum quia nunquam ferme a nuptiis farreatis aberat, idcirco recte Ulpianus farre in manum conveniri dicit. Satis jam inter auctores priscos amicitia coaluit.

Digitized by Google

laudat? *Quam*, inquit, *ſollemnitatem in ſuis Inſtitutis Ulpianus expoſuit*. Non ergo ſine Auctore. Servius ubi ad Geor. I. 31. de coemptione agens libros juris laudaſſet (*ſicut* inquit *habemus in Jure*) deinde ad Æn. IV. 214. copioſius de eadem coemptione loquens, totidem plane verba, ac quæ modo ex Boethio recitavimus adnumerat. Nec eſt dubitandum, quin uterque Auctor ex Ulpiano deſcripſerit. Ac ſane ſuſpicabar a Severino ad recitatum Ulpiani fragm. IX. digitum intendi. Quidni enim, ubi de farre dixerat, ad uſum & coemptionem exponendam JCtus tranſiſſet? Ergo id Ulpiani fragmentum ad ejus Inſtituta referri, non plane veto: id vero ſi eſt, per Boethium Serviumque fragmentum illud recte ſupplebitur.

8. Sed jam de diverticulo in viam redeo. Ex ſupra ſcripta coemptionis ſollemnitate vides, eam dicis tantum cauſſa fuiſſe peractam. Manſit tamen, ut tum dos, quæ a futura uxore dicebatur, tum & τὰ ἀντίφερνα, quæ ab viro pendebantur, pretii locum habere crederentur: de quo non ea repetam, quæ in Mantiſſa in *Adnot. VII. VIII. & IX.* dicta fuere. Tantum mihi temperare non poſſum, quin Servii Honorati locum, quo mea ſententia confirmatur, huc adferam. Is ad Æn. IV. 103. ſic adnotat: *Coemptione facta mulier in poteſtatem viri cedit, atque ita conditionem ſuſtinet liberæ ſervitutis, ait enim*: Liceat Phrygio ſervire marito.... *Quoque omnis iſte mos coemptionis, citra nominis nuncupationem* (ideſt etiamſi coemptionis vocabulum non uſurpetur) *DOTIS DATÆ TAXATIONE EXPEDIRETUR, quæ res in manum conventio dicitur ſubjunxit*. Dotaleſque tuæ Tyrios permittere dextræ. *Quid eſt enim aliud* permittere dextræ, *quam in manum convenire?* Vides opinor, dotes pretii locum obtinuiſſe. Idemque plane de ἀντιφέρνοις dicendum erit.

9. Venio tandem ad *uſum*. De quo quæ vir ſummi ingenii ac diligentiæ Barn. Briſſonius conjecit, veriſſima eſſe arbitror: ac recte ea Heinneccius ibid. num. XIV. in ſuam rem vertit. Summa eo reddit. Uſu quæſitæ uxores, eæ dicebantur, quæ Matrimonii cauſſa in domum ſine coemptionis ſollemnibus ductæ, tot vertente anno cum viro adſueſſent. Nam ſicuti res mobiles & ſe moventes anno poſſeſſæ, poſſeſſoris ex jure Quiritium fiebant: ita & uxor eodem jure uſucapta intelligebatur. Hinc quæ uſucapi nollet, eam ex XII. Tab. toto trinoctio a viro abnoctare, nempe ad uſucapionem interrumpendam, neceſſe erat, ut ex Q. Mucio Scævola Gellius III. 2. & Macrobius prodiderunt, id vero *uſurpatum iri* dicebatur. Cætera apud Briſſonium videantur. Poterat & Servii locus eo facere, ad I. Geor. 31. ubi tribus modis nuptias fieri dicit, *Uſu, ſi verbi gratia mulier anno uno cum viro, licet ſine legibus* (hoc eſt ſine coemptione) *fuiſſet*. Ergo initio mulier non conveniebat in manum, imo nunquam uſucapiebatur, ſi quotannis uſurpatum ibat: at ſi ſemel emenſo anno non triduum totum abnoctaverat, jam tum uſu mancipioque viri facta erat. Quare Cicero quando ex uſu in manum conventionem naſci, innuit, id poſt evoluta legitima tempora intelligit. At Gellius, Servius, Boethius quando uſu in manum convenire negant, de initiis, aut quamdiu uſucapta uxor non eſſet, ſunt accipiendi. Poſtremo quod ſup. Mantiſſa n. 3. in Adnot. III. dictum fuit, licuiſſe patri matrimonia diſturbare abducendo filiam, id tantum in uſuariis uxoribus habuiſſe locum puto, & quidem quamdiu uſucaptæ non eſſent. Nam coemptionales, & uſuariæ jam uſucaptæ in mariti poteſtatem per in manum conventionem jam tranſierant: eoque, uti mihi certo perſuadeo, abduci non poterant.

10. Quamquam uſui non defuiſſe quaſdam juris ſollemnitates, initio adhibendas, ex eo mihi perſuadeo, quia apud Judæos in ſponſalibus per uſum contractis ſua non deerant ſollemnia: de quibus jam eſt dicendum: atque ita ut appareat, tres illos uxorum quærendarum modos ab Romanis uſurpatos nonniſi ab Oriente una cum tot aliis ritibus in Latium propagatos.

Digitized by Google

PARS ALTERA.

Quo Romanorum ſponſaliorum ritus ex oriente propagati oſtenduntur.

11. *Apud Judæos tres erant uxoris acquirendæ modi, Nummulus, Congreſſus, Libellus: ex quibus nummulus coemptioni Rom., at congreſsus uſui reſpondet. Quæritur libellus cui reſpondeat.* 12. *Libellus* (*antea* maamar *ideſt collocutio*) confarreationi (*quæ vox a verbo* confari *deducta idem ſignificat*) *æquivalet: ſicuti Judæorum* Cherithuth *ſive repudii libellus* diffarreationi: *de quo toto in Adnot. V. copioſius.* 13. *Aut vero* confarreatio *&* ſponſalia *ſunt ſynonyma: utraque vox a libationibus derivata: utraque per ſe generalis, contractus ſponſalitii peculiaris evaſit: utraque vero Judaico* maamar, *aut libello reſpondet.* 14. *De eadem comparatione amplius.* 15. *plura alia ab Hebræo fonte hauſta tum verba, tum inſtituta.* Conveniendi *verbum, quatenus connubiale eſt, utrique genti commune. Locus Matt. I.* 18. *nove explicatus.* 17. *Græca ac Latina dotium nomina ab oriente accepta.* 17. *Mos obnubendi caput ab Hebræis ad nuptias Rom. tranſit.* 18. *Quod jure Romano filii cogerentur uxores aut maritos accipere de manu patris, id totum Hebraicum eſt.*

11. APud Talmudicos, hoc eſt Judæorum JCtos, tres peræque ac apud Romanos, ſunt ſponſaliorum contrahendorum modi: qui ſic enumerantur in *Kiddushin* cap. 1. initio: *Tribus rebus uxor acquiritur, pecunia, coitu & litteris contractus.* Idem reperitur & in *Shulchan aruch.* par. 4. num. 26. Ex his *coitus*, ſeu *congreſſio* coram teſtibus fieri debebat, nec ſine quibuſdam conceptis verbis: de quibus vide Seldenum in Uxore Hebraica lib. 2. cap. 2. Ex his conjicio, ne apud Romanos quidem, ut dixi, *uſum* ſuis caruiſſe ſolemnitatibus. At apud Judæos hunc acquirendæ uxoris modum poſtea ſapientes honeſtatis gratia interdixerunt, idque ſub pœna fuſtigationis. Venio ad alterum acquirendæ uxoris modum per coemptionem: de qua nolo Veteris Inſtrumenti exempla huc afferre, vult GEN. XXIX. 18. XXX. 15. XXXIV. 11. 12. & 1. Sam. XVIII. 25. de quibus locis dicetur alio loco & tempore. Verum his omiſſis, nunc quidem præſtabit audire Talmudicos JCtos, apud quos coemptio nummulo perficiebatur. Vide Buxtorfium in Lex Talm. in rad. פרט. Namis numulus פרוטה *pruta* dicebatur. Vir ergo ſponſæ *prutam*, aut quod æquivaleret *prutæ* dare debebat, ac ſimul dicere, *Ecce mihi deſponſata es*, aut *ecce eris mihi in uxorem*, aut tale aliquid. Atque ea eſt Judæorum coemptio, de qua miras JCti Talmudici ſubtilitates afferunt: quas tractatus *Kiddushin* ideſt ſponſaliorum, aut Seldeni *Uxor Hebraica* loco cit. ſuppeditabit. Poſtremo tertius celebrandorum ſponſaliorum modus eſt שטר *ſetar* ideſt *litteræ contractus*, aut *libellus*, ſeu *inſtrumentum*. Hujuſmodi libelli antiquam formulam refert Seldenus in Uxore Hebraica loc. cit.

Ex his autem tribus Hebraicis modis, uti jam diximus, *congreſſus* reſpondet Romanorum *uſui*: *nummulus*, ſeu *pruta coemptioni*. Ex quo videbatur conſequens, litteras contractus, ſeu *libellum* confarreationi reſpondere debuiſſe. Verum quid inter ea duo commune aut ſimile? Differunt nomine, quia Judæi *Setar* hoc eſt *inſtrumentum* id appellabant: Romani *confarreationem* a farreo libo. Differunt re, quia confarreatio erat multiplex ac difficilis cæremonia, quum contra *Setar* ſola traditione libelli, quem vir ſponſæ in manus coram teſtibus dabat, perficeretur. Ac me ſane, fateor, cupientem Judaicos ſponſaliorum ritus cum Romanis comparare & in concordiam adducere, tertius ille Judaicus modus, quem *libellum* ſive litteras contractus vocant, propterea quod cum *farre* nullo modo conciliabilis videbatur, aliquandiu torſit. Nec ante caligo, quæ propter antiquitatem remotiſſimam obſidet ritus hoſce, diſ-

Digitized by Google

dispelli potuit; quam appellationes ipsas antea affines, postea disjunctas atque distractas, in pristinam concordiam reducerem. At ne lectorem diu morer: non poteram id facile imbibere, *confarreationis* ac *diffarreationis* voces a farre, quod sacris omnibus commune erat, fuisse petitas. Contra mihi videbantur eædem a verbo *Fari*, ejusque exoletis compositis *confari* & *difari* primitus ortæ: deinde, quod sæpe accidit, peccatum in etymologia fuisse, atque a farreo libo easdem derivari debuisse visas, quæ revera a verbo *Fari* initio fluxissent. Hoc ne cui παραδεξότερον videatur, contuli quæ huc pertinent in substratam (V) *Adnot.* iis legendam, quos rerum harum cupi-

(V) *De confarreationis etymologia conjectio.*

Quum multa sunt in etymologica ratione, in quibus parum vidit antiquitas: tum confarreationis στυμότητα, quam Dionysius, & Romanorum doctissimi amplexi sunt, jam olim parum concoquebam. Estne enim credibile, a libo farreo, aut ex Servio ad Geor. I. 31. a mola farrea, quæ in confarreationis sacrificio adhibebantur, dictam esse confarreationem? Aut quid in eo farre peculiare fuit: quando nullum, auctore Numa, sine farre sacrificium fiebat? Plutarchus certe inter Numæ instituta & hoc refert μὴ θύειν ἄνευ ἀλφίτων, ne sacra sine pio farre fierent. Itaque *mola* (quæ nusquam a sacris aberat, & a qua confarreationi quæsitum nomen, Servius ante productus docuit) ex farre & sale constabat, unde *mola salsa* dicebatur: & liba farrea in sollemnibus sacrificiis, quæ cum dapibus sive epulo jungebantur, nusquam non fuere usurpata. Eccur igitur sponsorum confarreatio ab eo, quod commune omnibus sacris erat, nomen acceperit? Deinde τὰ φαρρέαια idest farreandi morem ipse Romulus, si Dionysio credimus, instituit: at vero farris usum Numa primus intulit in sacrificia, ut ex Plutarcho modo didicimus, necnon & ex Plinio XVIII. 2. *Numa*, inquit, *instituit deos fruge colere, & mola salsa supplicare, atque* (*ut auctor est Hemina*) *far torrere*. Quod non ita est accipiendum, quasi vero primus id excogitarit (nam ab oriente Tusci id antea acceperant) sed quod primus id institutum Romam intulerit. Ad hæc si a farris usu deducta ea vox erat, dici saltem *farreatio* debuisset, aut, uti vocat Dionysius, τὰ φαρρέαια. Nunc quo illa composita pertinent *confarreare* & *confarreatio*? Deinde cur nuptiarum dissolutio *diffarreatio* dicebatur? Atqui ut hæc composita apte & ex analogia significarent, necesse fuit, ut *confarreatione* farris συνάθροισμὸς aliquis sive *collectio*, diffarreatione vero διασπορὰ idest *dispersio* quæpiam notaretur. Fateor in his, ut & in pluribus aliis frigidis originationibus, mihi sæpius hæsisse aquam, etsi summis Romanis Scriptoribus contradicere non auderem.

At nisi mea me conjectura fallit, longe alia esse potuit ejus vocabuli origo. Confarreationem definit in fragmentis Ulpianus; *Farre conveniuntur in manum CERTIS VERBIS, & testibus decem præsentibus, & solemni sacrificio facto, in quo panis farreus adhibetur*. Vides, præcipuam ritus hujus observationem fuisse verba: & ab illis *certis verbis*, nisi fallor, *confareatio* (nam simplici canina littera olim scribebatur) nomen invenit: nim. a verbo *Fari*, cujus antiquum compositum erat *confari*, pro *condicere*. Ergo *confarreatio* erit idem quod *condictio*, quod Italis dicitur *Appuntamento*: quandoquidem mutuis conceptis verbis, sponsionibusque sibi de futuris nuptiis repromittebant. Deinde (quia ut ait Ulp. *l. 35. de div. reg. jur. Nihil tam naturale est, quam eo genere quidq. dissolvere quo colligatum est: ideo verborum obligatio verbis tollitur: nudi consensus obligatio contrario consensu dissolvitur*) quandoquidem mutuis contrariis verbis, veluti *Res tuas tibi habeto*, nuptiæ distrahebantur, aut sponsalia per hæc verba, *Conditione tua non utar*: ideo ea verborum contrariorum conceptio, *diffareatio* vocabatur: quasi (si sic loqui liceat) *disdictionem* appelles, id quod Italis nuncupatur *Disdetta*. Ita demum & etymologia ipsi rei apte congruet, & composita sua se significationis proprietate tuebuntur. At antiquos, qui a *farris* usu id derivarunt, duplex ratio fefellit, primum quum viderent, non magis verbum *fari*, quam nomen *far* in suis obliquis per simplicem caninam litteram scribi (nec enim consonas antiqui sub unica vocali duplicabant, ut ne Hebræi quidem: deinde R. multo minus, quod apud Hebræos non dagessatur: occurritque haud raro in Iguinis Tab. FARE, numquam FARRE) id grammaticis fraudi fuit, arbitratis confareationem a *fare* hoc est fruge dictam. Ut sic vero existimarent, impulit & altera ratio inde petita, quod revera in confarreationis sacrificio mola & liba farrea adhiberentur: nec animadverterunt, id esse elenchi genus vitiosissimum, quod dicitur Aristotelicis, *Non caussa pro caussa*. Alioqui si ubicumque far inveneris, sit ita appellandum, ecquid non confarreationis ambitu continebitur? Atqui si antiquis acutum cernere datum fuisset, næ ii pervidissent, præcipuum rei utriusque (tam confarreationem, quam diffareationem intelligo) ritum non far fuisse, sed verborum conceptionem,

Digitized by Google

cupido incesserit. Fac interim, *confarreationem* (nec olim R. duplicabatur) spectata notatione vocis esse *conditionem*, aut *collactionem* ideſt futurarum nuptiarum repromiſſionem per mutuas interrogationes ſive ſtipulationes certis verbis conceptam: *diffarreationem* vero esse (ſi ſic vocare liceat) *diſdictionem*, quod Italis est *Diſdetta*. Poſita hac etymologia, jam videndum, qui in Judaico libello ſit, quod cum ea etymologia conveniat. Sane quæ apud Judæos ſponſalia libello fiebant, ea prius nudis verbis pactionibuſque fuiſſe celebrata, argumento esse poſſunt Rebeccæ, Racheliſque deſponſiones, in quibus nuda verba ſine ſcripto interveniſſe, certum est ex Hiſtoria Sacra. At poſtmodum ad majorem firmitatem judiciique maturitatem libellum porrigi placuit: nec id tamen perpetuo: nam legit certe, fratri demortuo ſemen ſuſcitaturus, fratriam ſuam ſine litteris contractus ac tantum per [illegible] *maamar* ideſt meram *collucutionem* (quam Romani *confarreationem* mihi dixiſſe videntur) ſibi uxorem quærebat: de quo *maamar* vide Seldeni *Vxorem Hebr. l. 12. II. 2.* Ergo Judaicum *maamar* confarreationi, ut nomine, ſic re etiam reſpondiſſe videtur. At vero *diffarreationi* quid apud Judæos æquivalet? גרישות *cheritſuth* ideſt *reſciſſio* ſive divortium. Id quidem ex Deut. XXIV. 1. non ſine libello fiebat: utique ut, quum multo proniora ſint verba, quam ſcriptura, ad divortii ſeveritatem non niſi plena cum judicii maturitate perveniretur. Sed ante Legem ſcriptam credibile est, Patriarchas etiam ſine ſcripto divertiſſe. Agar certe (etſi hujus exemplum parum ad rem facit, quippe non uxoris primariæ) ſine libello Gen. XXI. 14. dimiſſa fuit. Hinc Romani (ut qui ſua inſtituta a Tuſcis hauſiſſent, diu ante Legem Hebræis datam ab oriente profectis (verborum tenus contrahebant diſtrahebantque hoc est *confarreabant*, ac rurſus duntaxat * remittendo nuntium, ac ſuas ſibi res habere jubendo, nullaque alia cæremoniarum obſervatione adhibita (VI) *diffarreabant*, quod Itali dicerent, *mandavano la diſdetta*. Vides jam ut tres uxoris acquirendæ modi iidem plane apud

quibus contrahendi aut diſtrahendi vis inerat: id quod antiquitati *confari* & *diffari* appellatum fuiſſe, non dubito.

At dices, antiquos pro *confarreationis* voce ſæpe *farris* nomen uſurpaſſe: veluti ubi ajunt, quæri uxores *farre*, *uſu*, *coemptione*. Fateor id quidem: verum non ante is loquendi modus inductus fuit, quam jam certa apud omnes *confarreationis* a *farre* etymologia evaſerat. Itaque ubi jam inter omnes conveniſſet, a farre *confarreandi* verbum venire, idque propterea duplici littera ſcriberent: commodum & elegans fuit longiori vocabulo brevius ſubſtituere. Sic ubi Jovem *Elicium* ab *eliciendo*, *Bidental* a *bidente* dicta fuiſſe, (quum tamen utrumque Tuſcum nomen eſſet ab oriente petitum, ut alibi dicimus) placuit, plures inventæ ſunt loquendi rationes, per quas eo alluderetur. Parco aliis pluribus eodem pertinentibus exemplis. Quamquam & illud fieri potuit, ut *Far*, *faris* apud caſcos Latinos non tantum frugem, ſed & *fandi* actionem ſignificaverit: at poſterior ætas omnes eas locutiones ad frugem retulit, poſthabita etymologia veriore. Poſtremo quum ab Judæis ritus ſitos Etruria, perque hanc Latium acceperit: quumque Judaico nummulo *coemptio* Romana reſpondeat, necnon Judaico coitui *uſus*: quid aliud reſtat, niſi ut [illegible] *Maamar* ideſt verborum conceptioni Judaicæ Romana *confarreatio* ex adverſo ſteterit? Atque hactenus conjecturis liberas habenas permiſimus: quas jam inhibendi tempus est.

* Hæc tamen *non ita ſunt intelligenda, quaſi apud Romanos libellus divortii non fuerit. Imo libellum divortii aperte memorat Papinianus l. 7. de divort. ſcribens:* Si pœnituit eum, qui libellum tradendum divortii dedit, iſque per ignorantiam mutatæ voluntatis oblatus est &c. *Meminit & lex Diocl. & Max. l. 6. C. de repud. ſic concepta*: Licet repudii libellus non fuerit traditus &c. *Atque is libellus debebat a liberto repudiantis coram ſeptem teſtibus offerri, uti mox ad Adnot. VI. addimus.*

(VI) Dixi diffarreationem nudis verbis, ac tantum nuntium remittendo, conſtitiſſe. At Paulus Diaconus ex Feſto ſic poſuit: *Diffarreatio genus erat ſacrificii, quod* (*quam* aut *quo* corrigit Dacerius: verum retinendum esse QUOD, ſimilibus Varronis in de L. L. locutionibus probare poſſim) *inter virum & mulierem fiebat diſſolutio: dicta diffarreatio, quia fiebat, farreo libo adhibito.* Hæc ita, uti ſcripta ſunt, ex Feſto esse, vix animum inducam ut credam. Romanos ſcio tantum remittendo nuntium: diſſolviſſe nuptias: nec omnino

apud Judæos juxta ac Romanos fuerint, dum nummulo coemptio, coitui usus, זה *maamar* (quo & libellus referri debet) confarreatio respondebant.

13. Verum, quia quam modo tradidi confarreationis etymologiam, ea conjecturalis est, habetque graviſſimos adversarios, scriptores antiquos: dabimus operam, ut vel tritam confarreationis etymologiam secuti, hæc tamen cum *libello* (qui tertius est Judæorum sponsalitius ritus recte comparetur. Ac primum doceatur, quo sensu confarreatio a farre fit derivanda. Eodem plane quo SPONDERE a Græco σπένδειν oritur. Nam quia sponsiones & fœdera non sine libationibus & sacrificio fiebant: hinc σπονδαὶ (quæ proprie sunt *libationes*) etiam sponsionum & fœderum vocabulum evaserunt, & ad Latinos tum *spondendi* verbum, tum *sponsi* ac *sponsæ* nomina indidem sunt propagata, auctore apud (VII) Festum Flacco Verrio, Non dissimili ratione & *confarreationis* etymologia procedit. Dixi modo in *Adnot. V.* nullum sacrificium farre caruisse. Ita ne ab illo quidem, quod in fœdere sponsalitio fiebat, far aberat. Hinc qua ratione de fœdere sponsalitio & verbum *spondeo*, & vox *sponsalia* (quæ sunt a σπένδω) eadem & verba *farreandi* & *confarreandi*, & nomina *farreationis* atque *confarreationis* (a farris libatione dicta) usurpabantur, tamquam *sponsionis* synonyma. Quare si quæras, ecquid proprie *confarreatio* significet: non aliam, sive etymon, sive usum spectes, quam *sponsionis* aut *fœderis* notionem reperies. Et *confarreatio* quidem, si originationem attendas, generale nomen esse debuit, ad omnes sponsiones. Verum ut *sponsalia* (a *sponsione* dicta) proprium tamen sponsalitii contractus nomen evaserunt: idem prorsus & *confarreationi* usuvenit. In his enim vocibus, connubialis contractus per excellentiam nomen generis occupavit. Deinde postquam *confarreatio* (per se generalis fœderum appellatio) sponsaliorum peculiaris evasit: proniſſimum fuit, ut ejus fœderis dissolutio (in qua ineptum est sacrificium alterum adstruere: tantum enim remittendo nuntium perficiebatur.

diffa-

nino ullus heic erat sacrificio aut farreo libo locus. Tantum, inquam, necessarius libertus erat (de quo Juvenalis: *Collige sarcinulas dicet libertus, & exi*) qui libellum coram septem testibus, fort. legeret prius, mox lectum traderet. Paullus *l. 9. De Divort. Nullum divortium ratum est, nisi septem civibus Romanis puberibus* (*testibus*) *adhibitis, præter libertum ejus qui divortium faciet.* Vides, ut confarreatio coram X. testibus; sic divortium seu diffarreationem coram VII. fuisse peractam, sine tamen farreo sacrificio: quod si fuisset necessarium, non omissum a Paullo fuisset enumerante solemnitates divortio necessarias. Quas *legitimam observationem* Ulpianus *l. 35. De donat. int. vir. & ux.* vocat, qua non observata, missum repudium, tamquam non ex lege factum, non solvebat Matrimonium. Quamquam & claves) quæ novæ nuptæ ut symbolum domesticæ administrationis tradebantur) eidem ex XII. Tab. in divortio adimebantur. Cicero Philip. 2. *Frugi factus est Antonius. Mimam illam suam suas res sibi habere jussit. Ex XII. Tab. claves ademit, exegit.* Ambrosius ep. 65. *Mulier offensa claves misit, domum revertit.* At farreum sacrificium nusquam legitur. Itaque ut ad festum redeam, Glossæ Isidori rectius ista ex Festo descripserunt, in quibus sic legitur: *Diffarreatio, dissolutio inter virum & feminam.* Suspicor tamen, quid Paullum VVarnefridum transversum egerit. Fort. Festus ubi dixisset, Diffarreationem esse dissolutionem inter virum & mulierem, ejus vocis hanc etymologiam subjecerat, nim. dictam a farreo libo, quod in confarreationis sacrificio adhibebatur. Nempe a farreo libo erat Festo *Confarreatio*: deinde hujus contrarium *Diffarreatio*, ita credo ex mente Festi appellata, quod effectum confarreationi contrarium gigneret. At vero Paullus, dum quæ non intelligit, contrahere in compendium studet, ritus confarreationis peculiares, etiam diffarreationi communes fecit.

Nisi vero culpa omnis in Festo residet, arbitrato non aliter *diffarreationi* suum etymon constare potuisse, quam si sacrum nescio quod farreum olim, adhibitum æque ac in *confarreatione*, de suo admetiretur. Idque fort. verius est.

(VII) Festus in SPONDERE hæc habet: *Sponsum & sponsam ex Græco dictam* (Verrius Flaccus) *ait, quod ii σπονδὰς interpositis rebus divinis faciant.* Porro non aliter *sponsus* & *sponsalia* a σπονδαῖς fient, quam si, id quod prius est, verbum SPONDEO fit a σπένδω. Idque verius multo est, quam quod alibi Verrius necnon & Varro dixerunt, verbum *spondeo* fieri a *sponte*.

Digitized by Google

diffarreatio diceretur, quia τὸ DIS in compositione dissolvendi & inficiendi notionem habet. Atque ea demum verissima est confarreationis atque diffarreationis etymologia, per quam simul veteribus Scriptoribus sua constat fides. Hæc quæ in utramque partem de confarreationis originatione sunt longiscule disputata, ii tantum supernent, qui nondum percipiunt, quantum etymologica ratio ad rerum antiquarum naturam pernoscendam vires habeat.

14. Ergo apud Romanos unica initio fuit sponsaliorum ratio a Romulo instituta, nim. *confarreatio*, nec ea vox aliud quam *sponsalia* significabat: cæteri duo acquirendæ uxoris modi postea compendii gratia sunt instituti. Nec secus apud Hebræos antiquissima sponsaliorum ratio τὸ *maamar* (idest sponsio verbalis) fuit, quod & postea in libellum tranfit: nam nummulus & coitus postea sunt introducti. Quamquam revera & τὸ *maamar* Hebraico & Romanæ confarreationi etiam coemptio adnecti solebat ad acquirendum dominium per *in manuum conventionem*, uti Romani loquuntur. Jam vero quemadmodum Hebraicum *maamar* initio verborum tenus consistebat, ut ex Rebeccæ atque Rachaelis sponsalibus potest inteligi, quod tandem in scripturam redigi placuit, qui *libellus* dicebatur: sic etiam apud Romanos initio sponsalia solo confarreationis atque coemptionis ritu ac verborum conceptione perficiebantur: at postremo etiam tabellæ sponsalitiæ Judaico libello respondentes usurpari cœperunt: quarum meminit Juvenalis VI. 199. *Si tibi legitimis pactam junctamque tabellis* * *Non es amaturus: ducendi nulla videtur* * *Caussa*. Idem Sat. 2. *Signatæ tabulæ: dictum feliciter: ingens Cœna sedet &c.* Ac de his tabulis sponsalitiis plura a me dicentur ad Diptychum QUIRINIANUM, quod nuper Eminentiss. atque eruditiss. Card. QUIRINUS S. R. E. Bibliothecarius in Bibliothecam Vaticanam invexit, quam tum antea suorum librorum gaza ditaverat, tum porro pergit suis etiam immortalibus operibus illustriorem quotidie facere. Sed eo redeo. Hasce tabulas in divortio disruptas fuisse, legi apud Brouwerum in secundo *de jure connubior.* c. 31. num. 9. verum sine teste, at id reperi tandem in Juvenale Sat. IX. 75. *tabulas quoque ruperat &c.* Ac de sponsalitiis ritibus, quatenus ab oriente descendunt, plura jam, quam suspicabar, dixisse non me plane pœnitet.

15. Sed antequam hinc abeam, non hos tantum ritus Romani ab oriente hausserunt, sed & plures qua matrimoniales, qua dotales dictiones indidem habent. Incipiam a *conveniendi* verbo, quod Romanis nuptiis sollemne fuit. Nam quæ *matresfam.* evadebant, eæ dicebantur *in manum convenire* (in qua locutione ut *Manus* pro potestate usurpetur, est merus Hebraismus) at usuariæ uxores ante completum usucapionis annum, eæ tantum *in matrimonium conveniebant*. Vide superius dicta n. 7. & *Adnot. IV.* Hinc Papinianus. I. 121. §. 1. *de verb. oblig. Mulier ab eo, in cujus matrimonium conveniebat, stipulata fuerat*. Idem *l.* 15. *de R. N. Nec in matrimonium convenire novercam ejus, qui privignæ maritus fuerat*. Utroque loco Cujacius aliique scripsisse JCtum volunt *in manum*, at mutasse Tribonianum *in matrimonium*. Verum quid A. Gellio facient, qui XVIII. 6. matribusfam. *conventionem in manuum* tribuit, cæteris *conventionem in matrimonium*? quid Arnobio, qui in *Adv. gentes* altero scripsit: *Quum in matrimonia convenitis, toga sternitis lectulos*. Sed & Ulpianus l. 17. *rer. amotar.* CONVENIRE absolute ac sine addito posuit: *Quæ tutori suo nupsit, vel contra mandata* (principalia scilicet) *CONVENIT, vel sicubi alibi cessat matrimonium*. Ex quo vides *Convenire*, & cum addito & sine, fuisse verbum connubiale. Atqui & hoc Judæis usurpatum fuisse, Matthæi me locus I. 18. 18. (VIII) edocuit, longe aliter accipiendus ac vulgo accipitur. Tametsi fieri potest, ut Judæi eam *conveniendi* significationem ab Romanis *rerum potitis* didicerint, non contra.

16. At

(VIII) In illo Matt. I. 18. *Quum esset desponsata mater ejus Maria Joseph, antequam convenirent, inventa est in utero habens de Spiritu Sancto*: primum omnium nihil esse caussæ video, cur apud quosdam *desponsata* tantumdem sit, quod *nupta*. Nec enim Græcum μνηστευθεισης ad

Digitized by Google

16. At illa quidem certe nemo mihi negaverit, quin ad nos ab oriente profluxerint, tum nomina, tum etiam mores. Ac sane omnia Græca ac Latina *dotis* vocabula ab oriente ad nos manasse, comperio, & quidam non sine *pretii* aut *emptionis* significatione. Certe Græcum φερνὴ est, ne una quidem littera minus, Chaldaicum ac Syrum nomen, apud orientales pro significanda *dote* usitatissimum. Ac nugantur viri docti, qui Chaldæos illud a Græcis mutatos, scripserunt: quum manifesto derivetur a Chald. verbo פרן *pheram* quod est *dotare* non tantum apud Rabbinos, sed & apud Targumistas: unde fit Chald. פרנא *phorna*, ideſt *dos*, (quod etiam Samaritæ & Syri usurpant) ex quo Græcum φερνὴ fit, cujus prima syllaba congruit cum Syro *phernitho*: sic hi dotem appellant. Ac vicissim deinde Græcæ compositionis germen τὸ παραφερνον, non quidem antiqui Chaldæi, sed Talmudici Scriptores a Græcis acceptum in sua scripta transfuderunt. At alterum Græcum *dotis* nomen προιξ, προικός, videbatur a Chald. verbo פרק *prak* factum, quod est *redimere*: etsi Grammatici a trisylabo προίσσω arcebant: de quo litigare nolo. DOTIS vero nomen est ab Heb. & Chald. יד *dat* (sive *dot*: quia O Hebraicum apud Chaldæos in A transit) quæ vox ita *sententiam*, *legem*, *statum* notat, ut possit etiam *statutum pretium*. At designare que hæc tantum vocabula cursim attigisse satis superque in præsentia sit.

17. De moribus autem quamquam sparsim plura diximus: addi & illud potest, quod Romanus mos obnubendi *flameo* (quæ vox etiam orientalis est, ut alibi demon-

ad aliud quam ad sponsalia referri, mos Græci sermonis patitur. Et cohæret cum eo, quod sequitur, *Noli timere accipere Mariam conjugem* (ideſt in conjugem) *tuam*. Sed & Græci Canonistæ (quos vide in Diatr. I. initio) certum habent, nondum eo tempore inter Mariam ac Josephum matrimonium constitisse: quod argumento est, in eo Græcos patres convenire. Atqui *desponsatam* heic nuptam interpretantur, id nimveriti sunt, ne si tantum desponsa fuisset, venter ante nuptias tumidus, & mox ante nonum aut saltem septimum nuptiarum mensem secutum puerperium Mariam flagitii suspectam præberet. Quibus respondeo, ex Judæorum Doctorum sententia licuisse sponso cum pacta sibi sponsa ante nuptias celebratas congredi: si quidem vera vir doctus in *de jure connub.* loquitur, qui tamen nullum nominatim Rabbinum citat. Id fort. verum fuerit, quoties ante nuptias sponsa in domum futuri mariti servanda deducebatur: id quod aliqui de Maria tradunt. Quæ si admittantur, ea satis vulgi suspicionem a Maria amoliri, & conceptus causam in Josephum conjicere potuissent. Sequitur *Antequam convenirent*. Non audiendi sunt, qui congressionem maritalem heic honeste designari putant. Græce est πρὶν ἢ συνελθεῖν αὐτοὺς, quod optime respondet versioni Latinæ. At si vera sit lectio codicum duorum Biblioth. Bodlejane, in quibus deest heic pronomen αὐτοὺς (vide in Varlect. ad calcem N. T. edit. Lipsiæ an. 1697.) tum πρὶν ἢ συνελθεῖν de sola Maria intelligitur, ac verti poterit. *Antequam* (Maria *conveniret*, supple in *manum*, aut *in matrimonium Josepho*, de qua locutione supra egimus. Nec apud JCtos novum est, ut *conveniendi* verbum ἐλλειπτικῶς usurpetur, non addito *in manum*, aut *in matrimonium*. Ulpianus certe, qui domo Phoenix erat, eamdem ellipsin usurpavit *l. 17. De rer. amotar. Qua tutori suo nupsit, vel contra mandata convenit.*

Dices hanc interpretationem verbi συνέρχομαι *convenio* tibicine ficulneo niti: quum omnium exemplarium consensus retineat pronom. αὐτούς. Sane nec equidem mutare quidquam ausim nec in Græco Matthæi, nec in conversione Latina. At id contendo, illud *antequam convenirent* ita ad utrumque sponsum referri, ut subaudiendum sit *in matrimonium*. Apud Romanos quidem τὸ *convenire* de nupta, non de viro usurpabatur (nisi vero illud Arnobii, quod supra adscripsi, *Quum in matrimonium convenitis*, de utroque conjuge sit intelligendum) at apud Hebræos de utroque: quia apud hos uxor non plane in plenam mariti potestatem transibat, ut apud Romanos, sed magis ut *socia* copulabatur, & in *adjutorium*, uti Moses loquitur. Hinc Philo in II. *Legis allegor.* notat, non dixisse Adamum γυνὴ, ἣν ἔδωκας ἐμοὶ, ἀλλὰ μετ' ἐμοῦ. οὐ γὰρ ἐμοὶ ὡς κτῆμα... ἔδωκας *mulier quam dedisti mihi, sed MECUM* (nec tantum in LXX. sic legitur, sed & Hebraice: & in omnibus: quod vulgata expositit *mihi sociam*) *non enim mihi ut possessionem dedisti.* En cur uxor Hebraica non dicatur *convenire in manum*, sed ambo conjuges *conveniant in matrimonium*.

Digitized by Google

monſtravi) caput, unde & NUPTIARUM nomen inventum, ab oriente profectus eſt. Celebre eſt Rebeccæ exemplum obnubentis caput, ubi ſponſum adeſſe ſuſpicata fuit. De eo velamine habet quædam Seldenus in Ux. Heb. II. 15. III. 17.

18. Poſtremo (ne prorſus ἀπροδιόνυσος hæc mihi Diatriba abeat) quod apud Romanos filii filiæque non aliter, quam de manu patris uxorem aut maritum acceperint, totum hoc ab eodem fonte illi hauſerunt. Hinc illæ Biblicæ locutiones de parentibus uſurpatæ, *Accipere uxores, tradere, dare* & ſimiles. Jud. XIV. 2. Samſon parentes alloquitur: *Vidi mulierem .... quam quæſo ut mihi accipiatis uxorem.* Ibidem XII. 9. Abeſan *habuit triginta filios & totidem filias, quas .... maritis dedit, & ejuſdem numeri filiis ſuis accepit uxores.* Eccleſiaſtici VII. 27. *Trade filiam, & grande opus feceris, homini ſenſato da illam.* Sic. 1. Cor. VII. 38. *Jungere virginem ſuam.* Et alia ſexcenta.

A.P.

Digitized by Google

APPENDIX.

In qua nonnulla solvuntur argumenta oppositа adversus Theses superius stabilitas.

Refellitur opinio asserentium libertatem filiorum familias ad ineunda matrimonia quantumvis indigna, n. 311.

311. TErtio (55) cogit manum calamo admovere, ac vel invitum in aream descendere parendi studium, atque amor veritatis. Vulgata siquidem (quo fato dicere non ausim) profecto præter animum, atque expectationem, quam privato potius studio usurpandam, neutiquam ut publici juris fieret exareveram, Dissertatio, forensium quorundam, nec sane imperitorum clamorem excitavit. Ii namque religionem esse putabant, quam vetustam credebant Ecclesiæ fore disciplinam in tuenda Sacri fœderis libertate novitate tentari. Quamobrem censuerunt, sibi tanquam pro aris & focis dimicandum neque ulli parcendum studio, aut labori, ut quam a majoribus de matrimoniis omnino libere ineundis doctrinam hauserant, sartam tectam conservarent. Et his (56) unus præcipue isque, ut in reliquis nullis secundus, in causis connubialibus versandis non immerito plerisque præferendus, causæ non vulgaris occasione parta eam suscepit provinciam ut filiorum familias etiam in nuptiis indignis sociandis asseretur libertatem atque contraria a nobis jacta fundamenta convelleret, tum veteribus undequaque collectis, tum novis argumentis, quæ nedum vulgo, verumetiam peritis inter primos, ipsis quoque Judicibus negotium facessere videbantur. His ut occurrerem amicorum suggestione, majorum exhortatione incitatus, cunctabar: verens ne quæ impietatis ac impudentiæ profligandæ qualiscunque zelus in medium proferre compulit, jam contendendi animo tribui ac jactantiæ verti contingeret, si ea aggrederer ab oppositis argumentis vindicare; satis interea ratus nonnullis, qui vel clamore, vel propositis difficultatibus conterriti videbantur, declarasse me, quomodo quotquot opponebantur momenta rationum, vel ex superius prælibatis apparebant abunde refutata, vel ideo a nobis omissa, quia ita inania censuimus, ut suamet corruerent levitate. Enim vero nulla valuit excusatio, quin si alias invitus, tunc omnino coactus adigerer, vel jam exposita refricare, vel novum aliquid promere, quo statuta a nobis afferta, nedum ab objectis tueremur argumentis, verum etiam novum illis robur accederet, ac firmamentum. Id ut assequamur operæ pretium existimavi singula quæ objiciebantur suo ordine prodere, ac unicuique sigillatim respondere, ne scilicet alicujus vim argumenti industria potius contemnere, quam ratione refringere, neve quippiam crederer data opera silentio præterire.

PRI-

(55) Cur *tertio* se calamum arripere dicat, exposui in Epistola ad Lectorem, quam initio præmisi: ubi de fato Dissert. hujus nonnulla præmoni.

(56) Adversarius, quem tacito nomine hic designat, fuit Dominicus Ursaya Advocatus in Urbe non incelebris, cujus extant *Disceptationes Ecclesiastica* pluribus tomis comprehensæ: de quo vide fis dicta in eadem epistola ad Lectorem, quam habes initio hujus opusculi.

Digitized by Google

PRIMUM ARGUMENTUM.

Cap. Inter opera de Sponſal. declaratur num. 312. & ſeqq.

Matrimonium cum meretrice laudatur, n. 312. Declaratur n. 313. & plur. ſeqq.
Papa concedens Indulgentias non intendit tertio præjudicare num. 314.
Nuptiæ ſive a filiis familias, ſive ab aliis contractæ cum dedecore familiæ adverſantur juri naturali. Ibid.
Eleemoſynam facere ad lucrandum Indulgentias non licet ex ære alieno, nec ex neceſſariis ad providendum familiæ, n. 315.
Nec peregrinationem ſuſcipere relinquendo matrem vetulam, vel ſororem virginem. Ibid.
Ad Bellum ſacrum procedere non licet patrifamilias, qui uxorem & prolem ſua opera nutrire tenetur. Ibid.
Secta Meretricum n. 316.
Indulgentias conceſſas ducentibus meretrices, qui lucrentur, & quando. Ibid.
Vir nubens meretrici infamiam contrahit etiam nunc, num. 327.
Damnatus ad mortem quandoque pœnam evadit ducens meretricem in uxorem. Ibid.
Verba Sancti Hieronymi relata in Can. non eſt culpandus. Cauſ. 32. quæſt. 1. *expenduntur, n. 318.*
Verba Sancti Joannis Chryſoſtomi tom. 5. epiſt. 5. *ad Theodorum lapſum expenduntur, n. 319.*

312. LUbet primo loco proponere quod novitate conſpicuum, atque auctoritate firmiſſimum & inenodabile jactabatur argumentum deſumptum *ex c. Inter opera 26. de Sponſal.* perperam attributo CLEMENTI III. cum ſit reſponſum INNOCENTII III. ut ex *Raynaldo ad annum Chriſti* 1198. *num.* 38. animadvertit *Gonzalez Tellez ſuper 4. decretal.* in notis ad eumdem *Textum num. 1. lit. A.*, & vere legitur inter Epiſtolas INNOCENTII editas ab erudito *Stephano Baluzio l. 1. Epiſt.* 112. Porro ne quis ſuſpicetur vim argumenti ullatenus a nobis enervari, ſubdimus verba integra Textus ut leguntur apud *Baluzium*, & *Gonzalez Tellez*: ſunt autem talia: „ Inter opera Caritatis quæ imitanda nobis auctoritate Sacræ paginæ propo„ nuntur, ſicut Evangelica teſtatur auctoritas, non minimum eſt errantes ab erroris „ ſui ſemita revocare, ac præſertim mulieres voluptuoſe viventes, & admittentes „ indifferenter quoslibet ad commercium carnis, ut caſte vivant, ad legitimum tori „ conſortium invitare. Hoc igitur Apoſtolica auctoritate attendentes ſtatuimus, ut „ omnibus qui publicas mulieres de lupanari extraxerint, & duxerint in uxores, quod „ agunt, in remiſſionem proficiat peccatorum. " Conſonat dictum Sancti Hieronymi relatum in *Can. non eſt culpandus 32. quæſt. 1.* ubi de Oſee Profeta qui meretricem ſibi junxit uxorem ſic loquitur: *Non eſt culpandus Propheta, ſi meretricem quam duxit ad pudicitiam converterit, ſed potius laudandus: quod ex mala bonam fecerit.* Adſtipulatur quoque Chryſoſtomus ſcribens ad Theodorum Monachum, „ ſi qua autem (*ſcilicet Mulier*) per occaſionem in eam inciderit calamitatem; quemlibet generoſum „ virum ſinet pudor connubio ſibi talem adiunxiſſe; tanta apud homines miſericor„ dia, & vulgaris opinionis acceptio ſæpe in propatulo ignominia affectas ab infa„ mi ſervitute liberat, & in matronarum ordinem recipit &c." Ex quibus ſic argumentabantur. Si quæ nuptiæ indignæ habendæ ſunt, maxime quæ cum muliere in lupanari ſe proſtituente verſantur, indigniſſimæ dici valent. Has vero laudabiles declarant Sancti Patres Eccleſiæ Doctores, definit Summus Pontifex, qui & ad illas ineundas propoſita peccatorum Indulgentia Fideles omnes invitat. Itaque nulla ſuperſunt connubia, a quibus propter humilem conditionem ſponſæ licite poſſint filiifamilias,

Digitized by Google

milias, vel a parentibus, vel ab Ecclesiastico Judice prohiberi; quidquid in contrarium clamet Theologi, quorum auctoritas novam legem condere, aut Sacros Canones infringere numquam valuit.

313. Hoc primo intuitu difficili argumento facillime se expedit *Natalis Alex. Theol. moral. tom. 6. lib. 2. de Matrim. cap. 2. art. 2. de consens. clandest. reg. 24. pag.* mihi 507. inquiens *Viro qui sui juris est* (nota *qui sui juris est*) *meretricem lupanari eductam ducere licet uxorem, ut eam a peccato revocet, idque in remissionem peccatorum proficere respondet* CLEMENS III. (Imo INNOCENTIUS III. ut supra innuebam). En igitur prima propositæ difficultatis evidens explanatio. Laudatus Textus de iis procedit, qui sunt sui juris, nec ullo jure tenentur aliorum consilium petere, ac exequi præceptum; quo tamen certum est teneri filios familias, dum agitur de indignis nuptiis sociandis, jure naturali, Canonico, atque civili, quod superius superabunde demonstravimus: „ Filius namque prorsus tenetur obedire patri prohibenti ne ducat „ uxorem male moratam, aut infamen, aut longe disparis conditionis. Tenetur „ enim lege naturæ quisque periculum suum vitare, honori suo consulere, fa„ miliæque suæ dignitatem sartam tectam tueri: Tenetur parentibus obedire ju„ sta præcipientibus. Justæ autem prohibitiones illæ &c." Sic idem *Alexander tom. cit. c. 2. art. 1. reg* 15. *pag.* mihi 466. Enim vero insolentissimum est affirmare, aliquando Summum Pontificem eos ad indignas nuptias allicere voluisse, quos vel dignas contrahere parentibus nesciis, vel invitis *Ecclesia semper detestata est, atque prohibuit*, ut sæpius inculcavimus ex Concilii Tridentini irrefragabili testimonio. Utut igitur res se habeat respectu cæterorum; filiosfam. hoc laudato textu non comprendi, certo certius esse debet. Quod satis est ut liqueat contra statutas Theses inepte præfatum Canonem allegari.

314. Absit nihilominus ut assentiamur pro reliquorum nobilium virorum sive mulierum indignis nuptiis propositum argumentum aliqualiter valere. Siquidem omni dubio procul esse cuilibet debet, ut in cæteris rescriptis & gratiis, ita prorsus in elargiendis indulgentiis nunquam Pontifices Summos intendisse tertio præjudicium asserre, ut ex satis vulgatis *Textibus in cap. Ad aures de rescrip. & cap. Super eo de Offic., & potest. Jud. Deleg.* colligunt communiter Doctores, quos cumulant *Barbos. in collect. ad cit. cap. Super eo* 15. *num. 3. Koning. Princip. Jur. Can. lib. 1. tit. 3. §. 9. n. 10. versic. Regula tertia*; & late *Tusch. pract. Conclus. tom. 6. conclus.* 685. idque præsertim ubi agitur de iis quæ juri naturali adversantur, ut ex *Fulgos. consil. 61. num. 4.* animadvertit *Tusch. loc. cit. num. 16.*, cujusmodi forent nuptiæ sive a filiis, sive a quibuslibet contractæ cum dedecore parentum, sororum, atque totius familiæ, ut communi nedum Theologorum, verum etiam juris Interpretum, Sanctorum Patrum, ac plurium Summorum Pontificum auctoritate, nec non solidissimis argumentis in præmissis dubiis ad satietatem usque comprobavimus.

315. Neque abstinere licet ab exemplis ex quibus inanitas objectæ argumentationis intelligitur. Sæpius volentes Pontifices, sive pro reparandis collapsis Ecclesiis, sive pro novis construendis fidelem populum ad elargiendas eleemosynas excitare, id in satisfactionem pœnæ pro peccatis solvendæ cessurum statuerunt. Qui autem sibi licere proinde existimabit, eleemosynam ut tribuat, æs alienum erogare? Aut familiam fraudare iis quibus ad honestam sustentationem indiget, ut Ecclesiæ, vel pauperibus prætextu lucrandi indulgentias opituletur? Laudabiturne filiusfamilias, qui parentibus egenis desinat providere, ut opem ferens locis Terræ Sanctæ, promissis indulgentiis perfruatur? Plura. Licet ne filio, licet ne fratri matrem vetulam, sororem virginem derelinquere, & ad Loca sancta, & ipsa Apostolorum limina accedere, ut Jubilæi fructum assequatur? Fas erit patrifamilias uxorem prolemque sua opera nutriendam deserere, ut procedens ad bellum contra infideles peccatorum remissionem valeat impetrare? Minime prorsus hæc vera sunt, imo ut absurda contra

Digitized by Google

tra pietatem, contra justitiam, contra caritatem ab omnibus reprobantur, atque Pontificia diplomata fideles reliquos ad enarrata virtutum opera proposita spe veniæ invitantia, hujusmodi personarum genera non comprehendere, nemo audet in dubium revocare. Idem omnino judicium esto de Canone quem expedimus, meretricem a cœno eruere licet: ad remissionem proficiat peccatorum iis qui si ducant, nulli infamiam irrogant, non afficiunt parentes gravi dolore, neque fratribus, neque sororibus ad pares nuptias copulandas impedimentum præstant, neque scandali aut rixarum occasionem præbent, denique infelicis exitus periculo se & quas ducunt uxores non exponunt. Hæc autem a filiofamilias, & a quocumque demum nobili viro vitari non posse, constanter affirmare non dubitaverim.

316. Porro id solummodo intendisse Innocentium, ne scilicet meretrices (quarum numerus in immensum excreverat, quasque vel infimæ conditionis homines, ipsi quoque gregarii milites uxores ducere religioni habebant propter infamiam, qua ab earum nuptiis Jure Canonico retrahebantur) sine spe Matrimonii sibi damnationem, aliis scandalum quærere cessarent nunquam; sublata aliquandiu infamia, sollicite providere: satis indicant Historiæ illius temporis, atque ipsa Summi Pontificis verba. Audiendus *Odericus Raynaldus tom.* 13. ad annum Christi 1198. num. 38. sic rem enarrans. „ Innocentius in perditas illas mulieres quæ pudicitiam quibusque obviis, „ animas Dæmonibus prostituebant miseratione ductus, e cœno facilius abducendas „ ratus, si viros qui eas ducerent nanciscerentur, infamiam quæ in jungenda sibi „ meretrice erat, amovere conatus est, atque indulgentias iis proposuit, qui ex Chri- „ stiana pietate hujusmodi meretriculas uxores ducerent, quo maritali fœdere coer- „ citæ a scelere impudicitiæ sibi temperarent. " Videndus quoque Abraham Bzovius ad eumdem annum num. 21. ubi meminit *Sectæ Meretricum* (57) tunc temporis grassantis, ad quam fortasse eliminandam Innocentius animum intendit. Item verba ipsius Epistolæ aperte significant, nec somniasse Pontificem adolescentium amores impudentiamque fovere, libidini ac impietati erga parentes præsidium ferre, sed iis duntaxat qui procul omni injuria consanguineorum, Christianæ caritatis stimulo ad miserrimas istas feminas e cœno impudicitiæ educendas adducerentur. „ „ Inter opera *inquit* Caritatis non minimum est errantes ab erroris sui semita re- „ vocare, ac præsertim mulieres voluptuose viventes, ac admittentes quoslibet ad „ commercium carnis, ut caste vivant, ad legitimum tori consortium invitare. „ Hæc igitur attendentes &c.

En itaque quos Apostolico favore prosequi intenderit Innocentius; eos scilicet qui perdita scorta ad viam salutis convertere, atque ab immunditia carnis, quantum fas est, satagunt emundare. Quod num verum sit de filiofamilias, de nobili quovis viro, de Virgine præclaræ stirpis, amore captis atque libidine obcæcatis, ad indignas nuptias aspirantibus, haud laboriosum erit sapienti Judici æstimare; cui quoque compertum erit, ubicumque non agitur de revocanda muliere a statu peccati, frustra omnino objici, laudatum Canonem pro removendo impedimento imparium nuptiarum.

317. Neque licet silere, quodammodo etiam nunc vigere eam juris infamiam, qua viri ducentes in uxores publicas meretrices notabantur. Communi nedum moralistarum (ut quasi per contemptum caussidici appellant) sed & insignium Canonici juris inter-

(57) *Secta meretricum* in Parisiensi regione grassantis ad finem sæculi XII. meminit Otto de S. Blasio, ubi de Volcone Parisiensi Presbit. loquitur: cujus verba apud Bzovium (ad ann. 1198. num. XXI.) hæc sunt. *Meretricum autem SECTAM.... omnimodis in ea regione deposuit, easq. verbo prædicationis conversas, pluras truncatis crimibus, habitu religionis induxit, professione perpetua castitatis. Alias autem continere non præsumebant, casum ex fragilitate timentes, data eis in dotem non modica pecunia legitime connubio reformavit: ad quod efficiendum Parisienses Scholares 250. libras, Burgenses vero mille & amplius erogaverunt.* Qui auctor *sectam* non aliud vocat quam σύγκλιμα quietam seu corpus.

interpretum calculo ea infamia comprobatur. Videndus *Barbos. in Collect. super Can. Si quis viduam 2. dist. 34. post Gloss. & Turrecremat. ibid.* & qui alios cogerit *Majol. de irregular. lib. 3. c. 1. n. 5.* „ Ob eamdem cauſſam ſi quis meritricis ma„ ritus fuerit, ad ordines non admittetur, non ſolum quia Bigamus, ſed etiam „ quia ignominioſus, & vilis eſt; vilem etenim uxorem ducens, vilis ipſe efficitur.“ Conſonat graviſſimæ notæ Theologi *Card. Bellarm. tom. 1. controverſ. volum. 2. lib. 1. de Cleric. c. 24. in fine Suarez de cenſur. diſp. 48. ſect. 3. n. 3. in fine, Sanchez de matrim. 7. diſput. 84. num. 9. Gibalin. de Irregul. cap. 5. quæſt. 4. propoſit. 3. pag.* mihi *384. verſ. Deinde, Gabriel a S. Vincentio de cenſuris diſput. 10. quæſt. 8. §. 6. num. 242. in fine*, & aliis prætermiſſis *Sayr. in Theſaur. tom. 1. lib. 7. cap. 11. num. 7.* ibi: *Item infames ſunt qui ducunt uxores viles & abjectas vel meretrices &c.* Ex quo dignoſcitur, quam tota via a veritate aberrent, qui nobilium parentum & conſanguineorum juſtiſſimas querelas ſpernendas autumant, quaſi ex connubio cum quavis femina etiam publica & proſtituta nulla debeat infamia formidari. Imo vero apud cordatos & honeſtos viros tanti penditur hujuſmodi infamiæ nota, ut non defuerint qui illam graviſſimam pœnam ipſo extremo ſupplicio non inferiorem, aſſerere non dubitaverint, & propterea reum capite plectendum, mortem evaſurum conſuerint, ſi meretricem ducere non recuſaverit. De quo videndus *Barbos. in collect. ad cap. Inter opera cit. n. 4.* Cæterum nihil ineptius proferri potuit ad confirmandum quod aſſumpſerat argumentum, quam ut dictis Sanctorum Hieronymi, & Chryſoſtomi peterent auctoritatem. Siquidem utriuſque Eccleſiæ Doctoris teſtimonio aperte evincitur, improbum ac infamen apparuiſſe, qui mulierem publicam uxorem accipere non detrectaret. Idque (quod mirum adverſario fortaſſe videbitur) apertiſſime colligitur ex iiſdem locis laudatorum Patrum, qui perperam in contrariam partem aſſeruntur.

318. Profecto Hieronymus totus eſt in excuſando Oſee, quod utique non laboraſſet, niſi magna in conjugio Proſetæ apparuiſſet turpitudo. At quid opus argumento? Audimus loquentem. Sic itaque in præfatione ſui commentarii differit. *Qui enim non ſtatim in fronte libri ſcandalizetur, & dicat: Oſee primus omnium Propheta-rum meretricem habere jubetur uxorem, & non contradicit? Non ſaltem nolle ſe ſimulat, ut rem turpem facere videatur invitus?* Subdit proinde exempla Prophetarum, quos Domino jubente renuiſſe legimus, & rediens ad Oſee pergit *Oſee audiens a Domino, Accipe uxorem fornicariam, non frontem rugat, non mœrorem pallore teſtatur, non verecundiam mutato genarum rubore demonſtrat, ſed pergit ad lupanar, & ſcortum ducit ad lectulum?* Atque ita arduam cenſuit difficultatem, ut ad illam explanandam ad myſterium recurrendum cenſuerit. En ipſius verba. *Hæc igitur audientes quid poſſumus reſpondere, niſi illud Propheticum, Quis ſapiens & intelliget, iſta intelligens & cognoſcet ea? Unde & nobis dicendum eſt cum David, Revela oculos meos, & conſiderabo mirabilia de lege tua.* Adeat textum curioſus adverſarius, & agnoſcet quam myſterioſum fuerit ſecundum Hieronymum factum Oſee, quamq; inſolenter ad indignas nuptias commendandas adducatur.

Rurſum initio ſui commentarii, ubi habet verba relata a Gratiano Canone *Non eſt culpandus 32. quæſt. 1.* iterum Prophetæ excuſationem aggreditur, quam præcipue in eo reponit quod Dei juſſu, non libidinis impetu acceperit meretricem, idque ad comprobandum, quod Deus hoc connubio myſterium ſtatuerat præſignare „ „ Nec (*inquit*) culpandus Propheta, ſi meretricem converterit ad pudicitiam, ſed „ potius laudandus quod ex mala bonam fecerit. Præſertim cum Beatus Oſee non „ ob cauſſam luxuriæ, non libidinis, non propria fecerit voluntate (*hoc attente „ conſiderandum*, non propria fecerit voluntate(ſed Dei paruerit imperio, ut quod „ in iſto carnaliter legimus, in Deo factum ſpiritualiter probaremus. “ Hæc autem quo pacto filiorum impudentiæ indigna connubia meditantium præſidio eſſe poſſint, deprehendere non valeo. Satis de Hieronymo.

319. Jam

Digitized by Google

319. Jam non nihil de Chryſoſtomo. Et hujus verba integra proferre non pigebit, ut ipſius mentem aſſequamur. Scribit Theodoro Monacho in apoſtaſiam lapſo, illumque ad reſipiſcendum hortatur propoſita ſpe veniæ, quam ex Dei, miſericordia, ac immenſa erga ſpiritualem animam caritate nititur confirmare. Atque inter cætera quæ aurea profecto eloquentia congerit argumenta, profert hominum exemplum, inquiens; *Num vides quod deformes, impudenteſque mulieres proſtitutæ vix poſſunt obtrudi gladiatoribus, & iis quoque qui cum beſtiis depugnare ſoliti ſunt?* En quid de meretricibus affirmet. Pergit vero *Cæterum ſi qua bonæ formæ, ſi ingenua, liberalique facie per occaſionem in eam inciderit calamitatem*. De hujus generis femina ingenua, non vulgaris conditionis, non meritrice, non proſtituta, ſed quæ per occaſionem in eam inciderit calamitatem: de hac inquam ſubdit. *Quemlibet generoſum eximiumque virum nihil pudebit vel connubio ſibi talem adjunxiſſe.* Deinde concludit *Si tanta eſt apud homines miſericordia, quanto benignior facilitas erit apud Deum erga animam, propter ſuperni generis præſtantiam &c.* Itaque neque ex verbis, neque ex mente Chryſoſtomi quidquam ſubſidii adverſariis accedit. Non quidem ſuffragantur verba, quibus de meretricibus aperte teſtantur oppoſitum. De aliis vero mulieribus per occaſionem lapſis narrat quidem illas quandoque a generoſis viris haberi uxores, attamen factum neque improbat, neque commendat. Verum inquies approbare cenſendus eſt, quia ad Divinam miſericordiam extollendam ipſorum utitur ſimilitudine vel exemplo, quod perperam aſſumpſiſſet, ſi indignas hujuſmodi nuptias autumaſſet. Quamobrem, ſi non ex verbis, ex ſenſu ſaltem Chryſoſtomi is, qui ſibi jungit meretricem, omni eximitur turpitudine. Nequaquam ſane proficit hæc argumentatio, quippe exempla nequiſſimorum hominum, & inique geſtorum ſæpe uſurpantur a Patribus eo prorſus ſenſu, quo in Sacris litteris, vel etiam a Chriſto Domino non ſemel fuiſſe adducta, nos docuit Auguſtinus *lib 2. quæſt. Evangeliorum quæſt. 34.* ut exempla de villico fraudulento Lucæ 16. de judice iniquitatis, qui interpellabatur a vidua Lucæ 18. atque alia hujus generis pleraquæ, quæ nempe non ita accipienda ſunt quaſi nobis propoſita ad imitandum; „ Sed etiam „ (*Ait Auguſtinus*) e contrario ducuntur iſtæ ſimilitudines ut intelligamus, ſi laudari potuit ille a Domino qui fraudem faciebat, quanto amplius placent Domino „ Deo, qui ſecundum ejus præceptum illa opera faciunt. Sicut etiam de judice iniquitatis qui interpellabatur a vidua comparationem duxit ad judicem Deum, cui „ nulla ex parte judex iniquus conferendus eſt. *Et iterum de eodem argumento quæſt.* „ 45. n. 1. *circ. fin. hæc habet.* Hic ergo iniquus judex non ex ſimilitudine, ſed ex „ diſſimilitudine adhibitus eſt, ut oſtenderet Dominus quanto certiores eſſe debeant, „ qui Deum perſeveranter rogant; cum apud iniquiſſimum judicem uſque ad effectum implendi deſiderii valuerit perſeverantia deprecantis &c.“

Ex quibus omnibus liquido conſtat, tam maniter ex auctoritate Chryſoſtomi & Hieronymi, quam futiliter ex reſponſo Innocentii, argumentum peti ad patrocinandum, ſive filiorumfamilias, ſive quorumcumque connubia, quæ vel obedientiæ parentibus, vel pietati cujuſvis gradus conſanguineis debitæ, vel caritati erga ſeipſum, Divino ac naturali jure imperatæ, vel denique honeſtati, aut Juſtitiæ quomodolibet contradicunt;

SECUNDUM ARGUMENTUM

Diſſenſus parentum non numeratur inter impedimenta dirimentia, nec inter ſimpliciter impedientia matrimonium, num. 320.

Impedimenta diſparitatis, & conditionis in quo conſiſtant, num. 321.

Obſtaculum diſſenſus parentum ad Matrimonium Sacra Tridentina Synodus poſt maturum examen rejecit, num. 322. Contrarium num. 325.

Alia

Alia sunt impedimenta matrimonii non expressa in vulgatis versibus, num 323. & seqq. & num. 329.

Insania, seu furor impedimentum est aliquando dirimens, aliquando tantùm impediens, non expressum in dictis versibus, num. 334.

De impedimento ex defectu pubertatis omisso in eisdem versibus, num. 325.

Excommunicati vitandi, & hæretici habent impedimentum non expressum in dictis versibus, num. 326.

Alia tria impedimenta addit Sanchez, num. 327.

Peccatum mortale est impedimentum impediens matrimonium, num. 328. & seqq.

Item juramentum, & excommunicatio. Ibid.

Interdictum quando impediat matrimonium, num. 329.

Impedimentum, quod dicitur Ecclesiæ vetitum, comprehendit dissensum parentum, num. 330.

Et falso asseritur fuisse rejectum a Synodo Tridentina; num. 331. & seqq.

Differentia servata a dicta Synodo in statuendis, quæ ad fidem spectant, & quæ ad Reformationem, num. 332.

Matrimonia filiorum sine consensu parentum irrita facere quare Concilium noluerit num. 333.

320. SImile prorsus primo est, quod secundo loco proponebant argumentum, ex altero quem credunt Canone deductum, ex Catalogo scilicet impedimentorum sive dirimentium, sive (ut ajunt) duntaxat impedientium matrimonia, communi Theologorum, & Canonistarum consensu recepto, & tritis illis Carminibus explicato *Error, conditio, votum &c.* aliisque *Ecclesiæ vetitum &c.* Prioribus scilicet ea quæ nuptias dirimunt, seu irritas reddunt; posterioribus vero quæ illas fieri prohibent (itaut illicite fiant, etsi valeant jam contractæ) impedimenta referuntur. His profecto novum aliquod impedimentum addi ex suo ingenio a vulgari aliquo Theologo, piaculum esse clamant; cum jus impedimenta sive irritantia sint, sive tantummodo impedientia statuendi ita sit Summis Pontificibus, atque generalibus Conciliis reservatum, ut nec Episcopo id liceat in sua Diœcesi, vel quia hæc facultas nunquam Episcopis attributa, vel quod posterius fuerit adempta, ut late pro alterutra parte differentes docent *Covarr. tom. 1. in Epitom. 4. decretal. de matrimon. 2. part. cap. 6. §. 10. num. 16. Sanchez de Matrim. lib. 7. disput. 1. num. 9. Perez. disput. 21. sect. 2. & 4. Dicastillo tom. 3. de Sacram. tr. 10. de sponsal. disput. 7. dubit. 1. per tot. præcipue num. 27 & seq.*, & alii ab iisdem adducti, & a *Diana oper. Coordin. tom. 3. tract. 1. resol. 88. Leandr. part. 2. de Sacram. tract. 9. disput. 9. q. 6.* Enim vero novum omnino, & priscis temporibus inauditum est hoc, quod adstruere nitimur ex contradictione parentum, vel tutorum, sive consanguineorum. Cui namque ex impedimentis in laudatis versibus descriptis valet adnumerari? Nulli profecto, ut patebit singula serio expendenti.

321. Confirmabant objectam argumentationem præcludendo, quod a nobis excogitari poterat effugium. Putabant namque sive ad impedimentum *disparitatis*, sive ad alterum *conditionis* dictum impedimentum fort. referri, quod de filiorumfamilias conjugiis affirmamus. Neutrum autem ad has nuptias extendi jure optimo contendebant. Namque *disparitas*, quam unice matrimonium impedire, atque dirimere Sacri Canones definiunt, illa est, quæ ex Cultus, seu Religionis discrepantia oritur inter virum & mulierem. Et quod conditionis nomine significatur obstaculum, servitutem tantummodo designat, illamque alteri ex contrahentibus absconditam, ex notissimis Juribus in *Can. non oportet, & Can. cave 28. q. 1. Canone Calcedonensi 14., & Laodicen. 10. & 21.* accedente totius Ecclesiæ praxi, de qua unanimi voce testantur Doctores, ubi de servili conditione, & in *cap. si quis ingenuus 29. quæst. 2. part. 2.*

Digitized by Google

cap. 2. 3. & ultimo de conjug. servor. de quibus videndi *S. Thomas in 4. dist. 30. quæst. 1. articulo 2. & distinct. 36. art. 1. S. Bonav. in 4. distinct. 39. art. 1. & dist. 36. Art. 1. q. 2. Barbos. in Collect. super cap. Cave, & cap. Non oportet cit. & super cap. Proposuit de conjug. servorum Cabassut. in Theor. Jur. Canon. lib. 3. cap. 22. & 23. Gutier. cap. 104. & cap. 90. de Matrimon. Gonzalez Tellez in Communic. super cap. fin. de conjug. servor. Dicastill. tom. 3. de Sacram. tract. 10. de Matrim. disput. 7. dubit. 6. & dubit. 59. Perez disput. 25. sect. 1. & seq. & disput. 36. sect. 1. & seq.* denique omnes quos lato calamo congerit *Sanchez lib. 7. disp. 19. & 71. per totas.* Nemo autem cogitavit unquam, disparitatem natalium aut vilem conditionem alterius sponsi sub altero ex his duobus impedimentis comprehendi. Neque valet indicari aliud ex descriptis in syllabo impedimentorum communi Doctorum utriusque fori consensu approbato, cui debeat inæqualitas dignitatis sponsorum applicari. Quamobrem nisi Theologos omnes omnesque Juris interpretes inscitiæ sive incuriæ temere accusare audeamus, fatendum ingenue, connubia inter virum, & mulierem, quantumcumque inter se distent gradu & dignitate, licita esse, neque posse ad parentum, seu consanguineorum instantiam a Judice prohiberi.

322. Iterum confirmabant ex eo quod prætensum obstaculum ex dissensu parentum jam in Concilio Tridentino magno aliquorum Antistitum conatu propositum, ut edito Canone statueretur, atque in pluribus doctissimorum Patrum congressibus mature expensum, explosum tandem fuerit, utpote evertens libertatem filiorum tantopere ex Sacris Litteris, nec non Ecclesiæ Canonibus commendatam. Quamobrem, quem non pudet rem hanc iterum in dubium revocare, hunc audaciæ atque temeritatis non immerito quispiam accusaverit.

323. Hæc quæ magno objiciebantur verborum apparatu & ambage, non proponere piguit, nec displicuit exaggerare, ut deinde appareat quam levia sint & omni vacua difficultate, ita prorsus ut non dubitaverim affirmare, adversarios vel fingere quem feriant hostem, vel aerem verberare. Id ut eluceſcat, totam illico perstringimus responsionem. Falsum omnino est, omnia impedimenta quibus licite fieri nuptias prohibetur, vulgaribus illis versibus contineri. Falsum quoque, justam parentum resistentiam nullo ex enumeratis impedimentis contineri. Insulsum atque risu potius quam responsione dignum, quod objicitur de disparitate cultus, aut servili conditione. Cæterum denique, nunquam in Synodo Tridentina quod prætendimus impedimentum fuisse rejectum, imo apertissime a Sacro Concilio fuisse receptum, non ut noviter statuendum, sed ut ab Ecclesia perpetuo tempore comprobatum. Age jam singula prosequamur.

324. In memorato impedimentorum Canone nihil de insanis aut furiosis, quorum matrimonia quandoque irrita, sæpe duntaxat illicita haberi, extra controversiam res est: siquidem si perpetua fuerit amentia, irritas esse nuptias: si autem lucida supersint intervalla, eoque tempore quo contrahens sui compos extiterit, copulentur, validas, sed illicitas, statuitur in *Can. dilectus 24. de sponsal. & Can. neque furiosus 32. quæst. 7.* ibique *Interpretes congesti per Barbos. in Collectan. super utroque cap. cit. & per Gonzalez Tellez in Commentar. super cap. dilectus cit. Alexan. consil. 54. lib. 1. Decius consil. 112. in princ. Gutier. de Matrim. cap. 8. a num. 14. Sanchez pariter de Matrim. lib. 1. disput. 8. a num. 15. Bossius cap. 3. §. 21. Perez disp. 2. sect. 4. num. 9. Sotus in 4. senten. dist. 34. quæst. unita art. 4. Aversa de Matrim. quæst. 4. sect. 1. Reginal. Prax. pœnit. tom. 2. lib. 31. cap. 3. num. 12. cæterique Theologi secuti D. Thomam in 4. dist. 34. per tot. & Bonav. tom. 5. in distinct. 3. quæst. 1.* Et quidem de perpetuo amentibus nemo dubitat, quin attento jure tum naturali, tum Divino incassum contraherent. At de illis quorum furor non est continuus, SS. Ecclesiæ Doctores Thomas & Bonaventura absolute pronunciant, etiam dum sunt rationis compotes a nuptial. fœdere prohibendos. Sic *S. Bonav. quæst. 1. cit. dist. 34. in concluſ.* „ Si vero

„ non

Digitized by Google

„ non esset actu furiosus sed habitu, etiam si haberet lucidum intervallum, non de-
„ beret contrahere propter periculum, quia talis nescit prolem educare, nec cum uxore
„ debite cohabitare. *Et apertius* dub. 7. Furiosus vero in habitu non potest de jure
„ contrahere, quia prolem nescit educare. *Angelicus autem* art. 4. cit. Aut furiosus ha-
„ bet lucida intervalla, aut non; si habet, tunc quamvis dum est in illo intervallo
„ non sit tutum quod matrimonium contrahat, quia nescit educare prolem, tamen
„ si contrahit, matrimonium est." Qui vero posterius punctum attigerunt Theo-
logi, aliqua limitatione usi sunt a mente laudatorum Patrum fortasse non aliena. asserentes quod si prolis periculum aliaque mala valeant præcaveri alterius conjugis sanæ mentis, vel consanguineorum tutela, permitti posse temporanee insanienti matrimonium; secus vero, si uterque conjux insaniat, vel absurda quæ prævidentur nequeant alia via evitari, tunc enim ab illorum connubio penitus abstinendum. Ita primus, quem viderim, tenuit *Sotus loco cit.* quem secuti sunt *Sanchez cit. lib. 1. disp. 7. n. 17. vers. Observandum est, Reginal. cap. 31. cit. n. 12. Bossius cap. 3. §. 21. in fine; Layman. lib. 5. tract. 10. part. 2. c. 5. n. 5. Aversa quæst. 4. sect. prima vers. Itaque si furiosi; Gonzalez Tellez super cap. Dilectus de Sponsal. num. 5. Gutierez c. 8. n. 14. versic. Tandem ibidem, & alii.* De veritate autem explicatæ limitationis dubitat *Ricc. prax. for. Eccles. decis. 251. & collect. p. 5. collect. 1751. Ledesma de matrim. quæst. 58. art. 3. §. ad 2. respondetur 1. in fin.* non contemnenda ratione permotus: ibi: *Ista moderatio non videtur ita certa; nam prolis educatio per parentes fieri debet, vel ipsi de hoc debent esse solliciti &c.*

En itaque duplex impedimentum, alterum dirimens, impediens alterum matrimonii contractum, quæ laudatorum versuum Auctoris memoriam effugerunt. Quamobrem non est religioni habendum, si asseramus ex aliis quoque Capitibus in supradictis Carminibus non expressis matrimonium dirimi, vel impediri.

325. Suppetit quoque aliud certissimum atque in jure expressum impedimentum extra illa quæ metrico illo syllabo recensentur, videlicet quod consurgit ex defectu pubertatis, sive ætatis annorum duodecim in feminis, in maribus vero quatuordecim, ex quo irrita fieri conjugia aperte declaratur in *cap. Ubi non est. Capitulo Continebatur. Cap. At testalione. Cap. Finali de Desponsat. impub. & cap. unico eodem libro 6.* ibique omnes interpretes cumulati per *Barbos. collect. sub cap. Attestationes cit, & post ipsum Gonzalez Tellez super cap. Ubi non est sic. a num. 3.* lare *Fagnan. super cap. De illis 2. num. 18. eodem Gutier. de Matrim. cap. 2. n. 17. Henric. Zoes in 4. decretal. tit 2. Comment. de desponsat. impub. n. 10. Robert. Kenig princip. Jur. Can. eodem tit. num. 2.* Theologi quoque omnes post *S. Thomam in 4. dist. 36. quæst. 1. art. 5. S. Bonav. in 4. dist. 36. art. quæst. 1. Perez. disput. 37. sect. 12. Bossius cap. 3. num. 147. Reginald. in prax. pœnit. tom. 2. lib. 31. cap. 3. num. 25.* ac reliqui omnes. Istud inquam impedimentum certo dirimens est, etsi ex altera parte non immerito diceretur impediens, quandoquidem præter illos in quibus malitia supplet ætatem (quorum conjugia valida decidúntur in *cap. Puberes* aliisque notissimis *de desponsat. impub.* & uno ore clamant utriusque juris interpretes, & Theologi quos cumulant *Barbosa in Collect. ad eundem Textum Gonzalez Tellez ibidem*; late *Fagnan. super cap. Ex illis 2. eodem per tot. præsertim vero num. 3. & 47.* allegans Sacræ Congregationis responsum) adhuc non nunquam ante annos pubertatis expletos consentit Nicolaus Primus permitti posse connubium verbis relatis in *cap. Ubi non est, de desponsat. impub.* ibi: *Nisi forte aliqua urgentissimæ necessitate interveniente, utpote pro bono pacis, talis conjunctio toleretur.* Ad quem textum tria animadvertunt Interpretes. Primum quidem ut licite id fiat, opus esse dispensatione, quam Episcopis autumant vel concessam, vel non ademptam. Secundum, tolerantiam, seu dispensationem tunc solum locum habere, cum dubium subest an malitia seu potentia ad conjugales actus ætatem suppleat, & qui contrahere cogitat, proxime ad annos pubertatis accedat. Tertium denique lethalis cul-

pæ reos esse audentes absque prævia dispensatione in præfatis casibus matrimonio jungi. Ex quibus id certe concluditur, etiam ubi dispensationi locus est, vel declarationi quod ætas suppleatur a potentia, impuberes impeditos esse, ne saltem licite connubium perficiant, de quibus videndi *Genzalez Tellez in Comment. supra cit. cap. Ubi non est num. 7. circa medium Barbos. in Collect. ad eundem Textum num. 3. 5. Fagnan. in cap. de illis 2. eodem per tot. præcipue a num. 23. & seq. Henriquez in summæ lib. 11. cap. 13 num. 12.*

326. Insuper excommunicatos vitandos, atque Hæreticos nec posse licite matrimonium celebrare, neque Parochum eorumdem nuptiis præstare præsentiam, nemo audebit refragari, idemque impedimentum militare, ne unquam Parochus assistat matrimonio inter Hæreticum & Catholicam, pluries Sacra Congregatio Inquisitorum declaravit, ut inferius attingemus.

327. Falsum igitur iterum jure optimo pronunciamus assumptum dicentium, nullum subesse impedimentum præter ea quæ dictis carminibus memorantur. Idque præsertim tuto asserimus de iis quæ impedientia duntaxat agnoscuntur. Horum enim duo sulummodo prodit Auctor metri duplici versu contenta, *Ecclesiæ vetitum nec non tempus feriatum Impediunt fieri, permittunt facta teneri*. Tertium vero versum, quo tria certissima & fortasse majoris momenti referuntur impedimenta, nempe *Atque Catheehismus, Sponsalia, jungito Votum*, addidit *Thomas Sanchez*, ut ipsemet testatur *tom. 2. lib. 7. de Matrim. disp. 6. num. 5.* Quamobrem non videtur vel minima supereste difficultas, quin licet texere meliorem syllabum, quo non deficientem impedimentorum numerum assequamur. Neque enim metrica illa series fuit aliquando ab Ecclesia recepta, aut proposita tamquam Canonica, cui addere, aut detrahere sacrilegum reputetur.

328. Ad hæc nec Canonistæ neque Theologi antiquiores istam seriem impedimentorum secundi generis tanti fecerunt, quin enumerantes ea, quæ nuptias impediunt & non dirimunt, illud in primis agnoverint, cujus nulla mentio in antedicto Canone, quodque tam acriter ab adversariis impugnatur, videlicet *Peccatum mortale*: propter quod contendimus indigna conjugia filiorumfamilias merito impediri. Præstat audire egregium Canonistam *Didacum Covarruviam tom. 1. in Epist. super decretal. part. 2. de Matrim. cap. 6. in prine.* ibi „ Ex his quæ hunc contractum illicitum red„ dunt, quædam sunt quæ impediunt matrimonium contrahendum, non tamen dissol„ vunt illud si contrahatur .... Quædam vero impediunt, ut contractus matrimonii „ nullus sit ipso jure. " Et incipiens exponere singula impedimentorum genera, pergit dicens: *Prima quidem varie proponi possunt. Nam existens in mortali crimine non potest absque novo peccato matrimonium contrahere, tractat enim indecenter Sacramentum hoc maximum*. Subdit Auctores idem confirmantes; nempe S. Antoninum, Navar., & comprobat assertum ex *Concil. Colon.* Pergit & alia explicare ejusdem generis impedimenta, Juramentum scilicet, excommunicationem &c. quæ non minus quam peccatum lethale silentio præterit Auctor Carminum, quæ pro Canone habenda perperam contendunt adversarii. En igitur Canonistarum egregium inter primos, qui Concilio Trid. adfuit, non ut *Moralista* (58) sed ut Episcopus, atque eximius Decretor. Doctor a cunctis habitus,

(58) Hoc ideo sedulus monet; quod ab Adversario *Moralista* per ludibrium appellantur ii, qui cum Muscettula nostro statuunt, peccato lethali impedimentum afferri, non quidem dirimens, sed tantum impediens. V. sup. num. 317. Quasi vero *Canonistæ* (in qua appellatione mire sibi placet Adversarius) peccata jusque deque habere conveniat. Aut quasi vero eo nunc ventum sit, ut quod probæ notæ *Moralista* ad unum ferme omnes illicitum esse clamant, id continuo a *Canonistis* (quasi qui *tulerint clavem scientiæ*, Luc. XI. 52.) impune permitti possit. Verum hanc tantam a Canonistis calumniam optime amolitur Noster, apud quem (tota hac Dissert. & Appendice): optimis quibusque Canonistis (nec enim pragmaticos moror) cum Moralistis mirifice convenit.

Digitized by Google

bitus, qui tamen primum contrahendi conjugii impedimentum *Peccatum mortale* firmiter enunciat, nihil metuens metricum illum Canonem violare.

329. Addamus unum vel alterum Theologum, qui post evulgationem decantatorum Carminum de matrimonio tractatus ediderunt. Egregie ad rem nostram *Hermannus Busembaus in sua medulla Theol. Moral. libr. 6. par. 3. tract. 6. cap. 3. dub.* 1. paucis sane verbis rem totam explicat, & argumento adversariorum occurrit. Quærit ibi laudatus Doctor *Quæ sint impedimenta tantum?* Et subdit *Respondetur præter peccatum mortale, & excommunicationem, sex potissimum reddunt matrimonium illicitum, scilicet Ecclesiæ vetitum &c.*, proditque Carmina toties dicta. Jam ergo habemus primum atque præcipuum impedimentum, quo illicitum redditur magnum hoc Sacramentum, peccatum esse agnoscendum. Habemus quoque nihil tam aperte veritati adversari, quam illud assertum, nihil matrimonio contrahendo officere, quod præfacto metrico indice non significetur. Ad hæc aperte nos admonet, indice seu Carminibus illis non omnia contineri impedimenta impedientia. Sic enim habet. *Dixi in responsione* Potissimum, *quia præter supradicta alia tria impedimenta numerantur.* Et pergit singula declarare, scilicet Clandestinitatem pro illis regionibus in quibus Tridentina Synodus non fuerat promulgata, omissionem proclamationum ab eadem Synodo statutarum, ac tertio si negligatur in primis nuptiis benedictio consueta &c. Hæc siquidem ab omnibus asserta impedimenta ab Auctore Carminum non fuerunt memorata. Subdo & alterum Theologum recentiorum; antiquiores namque superius allegatos piget hic rursum producere. *Felix Potest. in examine Eccles. tom. 1. part. 5. cap. 1. num.* 4410. agens de censura interdicti, num scilicet vi illius arceantur fideles a Sacramento matrimonii, firmat non vetari. Excipit tamen sic *At si ipsi* (qui nempe contrahere intendunt) *sunt culpabiles & specialiter interdicti, non possunt licite matrimonium contrahere: idque speciali titulo* (quæso hic qui nam sit specialis iste titulus, animadvertatur) *quia scilicet ponunt obicem gratiæ per Sacramentum recipiendæ.*

330. Satis superque ni fallimur tum exemplo, tum auctoritate usque modo evicimus, Carmen illud non ita sacrum habendum, ut sacrilegio tribuatur quidquam ei adjicere, vel ex eo minuere. Sacri Ecclesiæ Canones, Verbum Dei scriptum, aut traditum tale sibi vindicant obsequium; secus autem qui ex nescio cujus arbitrio compactus fuit impedimentorum index. Verumtamen & quod secundo loco polliciti fuimus, in promptu est ut præstemus. Dicebam autem, falsum esse adversariorum assumptum, quod nempe impedimentum consurgens ex justa parentum renitentia nequeat adscribi alicui ex illis quæ relatis versibus recensentur. Nec dixisse id pœnitet; siquidem non video, quid vetet ne primo versui adscribatur, dicaturque per *Ecclesiæ vetitum* non obscure designari (59) Video nonnullos corrugare frontem, atque hujus asserti testem quærere, & rationem. Valebit pro utroque ineluctabilis Synodi Tridentinæ auctoritas quam centies inculcavimus; ubi tam aperte nos admonet, conjugia filiorum familias sine consensu parentum *Sanctam Dei Ecclesiam ex justissimis causis semper detestatam fuisse atque prohibuisse.* Quid itaque prohibet affirmare, imo cuinam liceat dubitare, quin illis verbis *Ecclesiæ vetitum* filiorum familias quoque nuptiæ comprehendantur, nisi qui nesciat *prohibere & vetare* synonima apud Grammaticos haberi? Haud dissimili argumento ut occurreret Doctor Angelicus similem prodit solutionem *in 4. sent. dist. 34. artic. 4.* Statuit furiam quandoque irritum, aliquando illicitum reddere matrimonium. Ad quidam objiciebant sic, *in Versibus prædictis sufficienter continentur impedimenta dirimentia matrimonium*: *sed ibi non fit mentio de furia, ergo*

(59) Dissensum parentum etiam Galli Doctores ii, quibus melior sententia menti, impedimentum, non quidem dirimens, sed tantum *impediens*, esse censuerunt. Videantur tum plures alii, tum Fevreti Scholiastes ad V. *de Abusu* cap. 4. num. 8. litter. g.

ergo &c. Nonne hoc idem prorsus est, quo nos urget adversariorum argumentum? Audiamus ut ab illo se Sanctus Thomas expediat: *Respondetur dicendum quod hoc impedimentum reducitur ad errorem, quia ubique defectus consensus ex parte rationis est.* Liceat itaque, & nobis iisdem respondere verbis. Dissensus parentum, si sit justus ac rationi consonus, sicut & quodvis notorium peccatum lethale, quo Sanctum Matrimonii fœdus in ipso contractu violaretur, reducitur ad *Ecclesiæ vetitum*, quia sic contrahere *Sancta Ecclesia ex justissimis caussis semper detestata est, atque prohibuit. Concil. Trid. sess. 23. cap. 1. de refor. Matrim.*

At si verum fateri liceat, pudet tamdiu in his ineptiis, seu quisquiliis occupasse. Firmiora enim sunt quæ proposuimus asserta, quam ut valeant levibus hujuscemodi ratiunculis concuti. Frigida quoque ac inania esse audacter pronunciamus, quæ de impedimentis disparitatis, & conditionis subdebat adversarius. Quis enim somniavit unquam his adscribere justum dissensum parentum, aut injustitiam quæ indigna connubia inhonestat? Procedamus ad graviora.

331. Gravissima profecto est quam effutiunt calumnia, dicentes in Tridentina Synodo propositum atque expensum, quod versamus impedimentum, fuisse tandem a doctissimis piisque illis patribus improbatum. Turpe prorsus convicium, nedum nobis, verum etiam Sacro illi Concilio injuriosum, hoc apparebit cuivis vel illius textum, vel ejusdem historicam narrationem absque præjudicio percurrenti. Utique non est consilium cuncta hic revolvere quæ de filiorumfamilias conjugiis Sacræ illius Synodi acta suppeditarent. Satis erit indicare pauca quibus adversariorum vel detegatur allucinatio, vel calumnia contundatur.

Et primo quidem notum est, dubium in Concilio propositum ac pluries examinatum, illud tantummodo fuisse, an *tutius* esset connubia filiorumfamilias sine consensu parentum irrita facere, si ante præfiniendam ætatem inirentur. Id ab Oratoribus Gallis quæsitum; Idque attentius discussum prodit *Emin. Pallavicinus Hist. Conc. Trid. edit. Rom. in 4. an. 1664. part. 3. lib. 22. cap. 1. n. 16. pag. 599. cap. 4. num. 2. 3. & seq.* (60) Neque in dubium revocabatur, an illicita, an vitanda. Id enim compertum erat omnibus, præfatas nuptias noxias ut plurimum, familiis indecoras, ac odii potius inter conjuges quam maritalis caritatis fomitem existere.

332. Insuper animadvertere necesse est, Decretum de quo agebatur, nullum præ-tulisse discrimen inter nuptias dignas vel indignas; nullum inter rationabilem vel injustum, æquum vel iniquum parentum dissensum, sed ipsorum arbitrio ita totum negotium permittebatur, ut iisdem quomodlibet insciis vel invitis nequirent filii ætate minores rato atque legitimo matrimonio copulari; ut decreti verba profert laudatus Historicus *lib. 22. cap. 4. pag. 615.* Porro decretum istud utcumque nullis limitibus circumscriptum ita plerisque ex Patribus arrisit, ut Apostolicæ Sedis legati affirmare non dubitaverint, approbatum iri, si ut reformationis caput, secus vero si ut fidei dogma proponeretur: ea ratione ducti, quod in Concilio pro legibus statuendis major duntaxat suffragiorum numerus requirebatur, at fidei articulos, ut declarentur, fere omnium suffragiornm calculo decebat approbari.

Tertio recolere non pigebit, illos quoque ex Patribus qui abnuebant, ne filiorum conjugiis firmitas adimeretur, censuisse tamen eadem improbanda penitus ac sub gravioribus pœnis prohibenda. Ita de Emo Madrutio testatur *Pallavic. c. 4. cit. n. 7.*

Tandem ut res confecta fuerit, aperte demonstrant verba ipsius Concilii toties repetita, quibus haud irrita fiunt, verum improba ac detestabilia memorata conjugia declarantur. *Nihilominus Sancta Dei Ecclesia ex justissimis caussis illa semper detestata*

(60) Pallavicini, & aliorum, qui ejus Concilii historiam pertexuerunt testimoniis supersedeo: propterea quod ii libri teruntur omnium manibus: quos studiosi adeant, censeo.

Digitized by Google

ſtata eſt, atque prohibuit. Ex his, ac reliquis, quæ in Concilii actis deſcribuntur, ita concludit *Jo: Baptiſta Duhamel in ſua theologia ſpeculat. & pract. tom. 7. tract. de Matrim. diſſert. 2. cap. 4. n. 2. in fin. Patres Tridentini hujus generis connubia deteſtari & prohiberi contenti, diſciplinam jam ab aliquot ſæculis receptam immutare noluerunt; nam majus erat quidem & latius diffuſum malum, quam ut ſtatim excidi poſſet*. Et cap. 5. cit. diſſert. num. 7. prope finem, ait, *Quæ liberorum citra parentum conſenſum fiunt matrimonia, deteſtari ac prohibere tantum potuit Concilium, non penitus extirpare*.

333. Præſtat quoque & alterum omni exceptione majorem audire teſtem, eximium Theologiæ Magiſtrum, qui Concilio adfuit inter Theologos a Summo Pontifice Tridentum miſſos, ut Patribus Concilio eſſent, *Alfonſum Salmeronem*. Teſtatur hic Doctor tantum a vero abeſſe, ut intenderent Patres indignas liberorum nuptias tueri, quin potius ideo præcipue abſtinuerint a Decreto abrogante matrimonia ſine conſenſu parentum celebrata, ne ſic tyrannide parentum fieret, ut quandoque liberi ad indignas nuptias cogerentur. Ita enim habet *tom. 2. in Epiſt. Pauli diſp. 14. pag.* mihi 114. *col. 2. ſub verſ. Argumentatur Eraſmus*: *Non auſi ſunt Patres quidquam de ea re ſtatuere, non ignorantes quanta libertate filii ipſi fungantur, & quanta janua tyrannidis aperiretur parentibus in filios, ut cum ſervis ſuis nuberent, quod eſſet ſummo abſurdum, & minime tolerabile*. Cæterum ne ex hoc anſam filii ad nuptias invitis parentibus copulandas arriperent, proluſerat *pag.* 113. *col.* 1. *Sed nos ad hæc in primis reſpondemus, ad contrahendum matrimonium filiisfamilias neceſſarium fuiſſe ſemper conſenſum parentum. Quod facile eſt comprobare ex jure Divino Veteris & Novi Teſtamenti, ex jure etiam Pontificio, & Civili*; & pergit ex iis omnibus locis petita prodere argumenta. Conſonat ſibi in *Comment.* ſuper Evangelica Hiſtoria *tom. 8. orat. 46. pag.* mihi 361. *col.* 1. ubi exponens *Textum cap. 2. Geneſ. Dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit uxori ſuæ*: ſic Lectorem admonet. „ Nec ſecundo hinc accipias, „ in ineundis copulandiſque matrimoniis non eſſe neceſſario ullam de conſenſu parentum habendam rationem; quaſi homo ita relinquat Patrem, & Matrem, ut non requirat eorum conſenſum: quia hic ſenſus abſonus eſt, & pugnat contra bonos mores, & contra naturale officium a liberis debitum parentibus, contraque patriam poteſtatem. Denique hunc ſenſum verba non capiunt, quia loquitur de iis, quæ fieri oporteat in matrimonio contracto, non quid ſervandum ſit dum contrahitur, alioquin docerentur filii honorem Lege Dei parentibus debitum ſubtrahere. Ad hæc Dominus huic primo matrimonio adfuit, imo illud conciliavit, quaſi primi hominis, imo amatorum pater, ut cæteri conjuges formam ſumerent & doctrinam, ut in ineundo matrimonium, inconſultis parentibus nihil faciant, nam hoc abſque culpa illos facere non poſſe, ratio & S. Ambroſius aperte docent". Hucuſque laudatus Salmeron.

En itaque ex Hiſtoria, ex textu Sacroſanctæ illius Synodi, ex Theologorum qui eidem interfuerunt, teſtimonio, apertos cuniculos, atque detectam adverſariorum fallaciam. Noluerunt Tridentini illi ſapientiſſimi Patres novum ſtatuere impedimentum, quo filiorumfamilias nuptiæ abrogarentur, idque ex juſtis pleriſque cauſſis, non autem ex illa, quod indigna impiaque conjugia cenſerent approbanda. Quinimo ne unquam tam injuſta ſuſpicio admitti poſſet, perſpicue tradiderunt quid de iis perpetuo ſenſerit Eccleſia, quid ipſimet ſentirent, oraculo ſæpius a nobis inculcato, quodque ad retundendam quamcunque oppoſitam argumentationem ſatis ipſum per ſe valeret: nempe quo hujus generis connubia *Sancta Dei Eccleſia ſemper deteſtata eſt atque prohibuit*. Ratum igitur atque firmum eſſe matrimonium etiam inter filiosfamilias quantumvis diſparis generis initum, abnuit nemo. At non minus ratum agnoſcitur Sacramentum Baptiſmi a Parocho excommunicato collatum, Sacramentum Euchariſtiæ a Sacerdote irregulari confectum. Nihilominus ut irregulares & excommunicatos a ſacrilega adminiſtratione arcendos, omnes Catholici affirmant; Ita

Digitized by Google

quoque filiosfamilias, ita quoscumque, qui notorio sacrilegio magnum Matrimonii Sacramentum violare adnituntur, Judicis auctoritate compescere par est, & vi cohibere ne peccent.

TERTIUM ARGUMENTUM.

In foro externo non est standum Theologis, sed Canonistis, n. 334. & seq.
Nec quærendum an adsit peccatum. Ibid. Contrarium. n. 338. & seq.
Qui emisit votum simplex castitatis, si matrimonium contrahat, peccat mortaliter, & tamen a contrahendo non arcetur per Judicem Ecclesiasticum, num. 335. Contrarium num. 340.
Judex videns patrare homicidium potest condemnare innocentem, qui ex processu reus apparet, n. 336. De quo v. num. 341.
In damnandis matrimoniis filiorumfamilias sine consensu parentum contractis, Theologorum, & Jurisperitorum conformis est sententia, n. 337.
Finis Juris Canonici est ferre ad salutem æternam, n. 338.
Jus Canonicum servandum, si opponitur Civili in materia concernente peccatum, n. 339.
Sacramenta administruri possunt existenti in peccato, si crimen est occultum, secus si publicum, num. 342.
Qualiter vero differat in hoc matrimonium a cæteris negotiis, num. 343.
Scientia Canonum sine Theologia claudicat num. 344.

334. LEviora prorsus habenda, quæ addebant ad labefactandam veritatem, argumentorum momenta; non ideo tamen silentio prætereunda, neque enim raro contingit, ut quæ plerisque futiles apparent & inanes, nonullis grave negotium facessant argumentationes. Itaque sic objiciebant. In iis, quæ ad exteriorem spectant Ecclesiæ politiam, minus Theologorum placitis inhærendum est; quippe qui regulas pro regimine Judicialis Fori Sacris Canonibus statutas vel negligunt, vel ignorant. Ipsorum est fidelium animas iis omnibus instruere, quæ ad æternam felicitatem assequendam per privatas actiones necessaria vel utilia comperiuntur; judicium quoque in Sacramentali Pœnitentiæ Foro exercere & sententiam dicere. Verumtamen nihil ipsis cum Foro judiciali, nihil cum politica atque Forensi Ecclesiæ disciplina. Huic si se immisceant; falcem in alienam messem mittere perperam adnituntur. Juris Canonici peritis demandata provincia hæc est; hos consulere, hos audire Judicem oportet pro Tribunali agentem. Siquidem munus ipsius eo tendit, ut exterioris Reipublicæ pax, commercia, externus quoque Religionis cultus ad normam legum Canonumque sarta tecta serventur. Quæ vero occulta, vel Conscientiæ sinu (sive prava, sive laudabilia opera) interius continentur, ea Dei Judicio & Sacerdotis censuræ finere Ecclesia perpetuo consuevit. Exinde ut ut verum sit lethalis noxæ reos esse sive filios, sive quoscumque indignas nuptias cum scandalo, cum familiæ dedecore, non sine propriæ salutis discrimine contrahentes; utcumque Theologi in iis improbandis consentiant; Judicis pro tribunali sedentis nihil interest hæc attendere. Neque enim ipsorum munus est subditos a peccatis arcere, aut a criminibus jam commissis absolvere. Ad illud duntaxat destinatus est, ut jus publice petentibus reddat, & justitiam ministret leges servando, & legum interpretum, non autem Theologorum vestigiis inhærendo. Satagant isti consilio & exhortatione, cæteris quoque ad pœnitentiæ forum spectantibus remediis a peccato absterrere. Atqui forensis Judex suam præstabit operam, ut horum libertatem in nuptiis ineundis totis viribus pro sui muneris debito asserat atque tueatur.

Id ut

Digitized by Google

Id ut confirmarent, duo ſubdebant exempla, quibus ita rem totam confici atque finiri litem cogitabant, ut ingentem illam ſuperius diſpoſitam moraliſtarum catervam proſternere non dubitarent. Profecto Religio mihi eſt, ut ea dum profero, adverſarii verba phraſimque, vel tantillum immutem, ne videar argumenti vim enervare vel minuere. En itaque ut argumentantur.

335. „ Ulterius ego peterem a caterva moralium (qui ad hunc effectum facili „ negotio allegari poſſunt, & in numero biſcentum, & ultra &c.) an contrahens „ matrimonium poſtquam emiſit ſimplex votum caſtitatis vel Religionis, morali„ ter peccet. Non poteſt huic quæſito, niſi affirmative reſponderi ad litteram *Tex„ tus in cap. Rurſus*. Qui Clerici vel voven. & tamen nemo unquam ſomniavit af„ ſerere quod ſit in arbitrio Ordinariorum ratione peccati mortalis impedire, vel „ retardare effectuationem matrimonii cum eo, qui ſimplex votum Religionis vel „ Caſtitatis emiſit. Atque inauditum eſt in Curiis Eccleſiaſticis, quod ex hoc re„ tardata fuerint matrimonia &c.

336. Pari animi alacritate alterum ſubdebat argumentum ab exemplo, inquiens. „ Tandem ego peterem a dictis moraliſtis, an Judex, qui vidit Cajum „ occidentem Titium poſſit condemnare Sejum, qui ex proceſſu apparet homici„ da? Princeps Theologorum *S. Thomas* 2. 2. qu. 67. artic. 2. rotunde aſſerit quod „ ſic; eumque ſequuntur alii Theologi apud Paſſerinum in Tribun. regul. q. 28. „ art. 34. Et tamen nemo poteſt negare quod committat peccatum mortale ille, „ qui procurat condemnationem Seii innocentis mediantibus falſis teſtibus. Igitur „ *attende quæſo mirabilem conſequentiam*) igitur in judicando non ſunt habenda in „ conſideratione ea, quæ concernunt forum internum. „

At enimvero perperam clamant, & fruſtra in hac re Theologos cum Canonici Juris Interpretibus committere adnituntur adverſarii. Hos præcipue filiorum conjugia, parentibus jure invitis, damnare acriuſque inſectari, quam *Morales* (utimur adverſariorum nomenclatura) audebit inficiari nemo, quem non piguerit ipſorum verba legere, quæ retulimus; textus conſulere quos indicavimus. Innumeros fere dedimus utriuſque Juris, Canonici præſertim, peritiſſimos, Panormitanum, Præpoſitum, Cardinalem, Ancaranum, Calderinum, Turrecrematam, Paleotum. Protulimus verba & loca Fagnani, Gonzalez Tellez, Barboſæ, Menochii, Franciſci Zypæi, Card. de Luca, Ludovici Engel, Joannis Chryſoſtomi Schambogen, Roberti Koninch, Pyringi, Pignatelli. An iſti quoque moralibus adnumerandi, qui Eccleſiaſtici Fori regulas vel negligant, vel ignorent? Poſſemus & alios quam plures allegare. Verendum tamen, ne importuno indulgentes adverſario, tædio Lectorem benevolum conficiamus. Satius erit uno vel altero teſtimonio Theologorum ac Juris Peritorum conſenſum non ſemel in præcedentibus dubiis adnotatum apertius comprobare.

337. Audiatur primo Joannes Paulus VVindech in Opuſculo quod inſcripſit, Theologia Juriſconſultorum, in quo *lib. 2. cap. 23. pag.* mihi 71. hæc habet: „ In hoc igitur „ dubio duo conſideranda ſunt. Primum utrum conſenſus parentum requiratur in „ matrimonio contrahendo. Secundum, utrum matrimonium ſine conſenſu paren„ tum valeat necne. In primo membro conveniunt omnes. Nam Theologi, Ca„ noniſtæ, & Legiſtæ ſentiunt in matrimonio contrahendo conſenſum parentum „ adhibendum eſſe. Theologi allegant quartum præceptum, Honora Patrem & „ Matrem, & alios ſimiles locos. Canoniſtæ habent Can. Noſtrates 30. quæſt. 5. „ Can. penul. q. 2. 32. Legiſtæ allegant l. Titia ff. de verb. oblig. Nec eſt dubium quin „ liberi peccent ſine conſenſu parentum contrahentes. „ Dubium ſolummodo exci-

(61) Quemadmodum paſſim Adverſarius parum amice (nequid gravius dicam) inter *Moraliſtas* amandat Auctorem noſtrum (quem tamen reperio haud minus Canoniſtam egregium, quam Theologum fuiſſe) ſic contra Noſter quoties *Cauſidicos* nominat, adverſarios ſuos deſignat eo

citant *Causidici* (61) qui tum maxime Sacris Canonibus contraria effutiunt, cum ut vitent censuram Theologorum, Canonici Juris Interpretes se appellant.

Audiamus & alterum ejusdem concordiæ testem eximium Petrum de *Ledesma* (quem initio hujus Differt. productum, iterum proferre cogit importunitas Adversarii) qui *in tract. de matrim. quæst. 47. artic. 6. vers. Secunda Conclusio regulariter*, hæc habet: *Etiamsi pater nihil præcipiat filio, contrahere contra ejus voluntatem est peccatum mortale contra virtutem pietatis. Et idem docent omnes Doctores tam Theologi, quam Jurisperiti &c.* Quocumque igitur se vertant indignarum nuptiarum defensores, quemlibet appellent Judicem; ubique objurgationes, nullibi præsidium obtinebunt. Accusant eos Theologi, damnant Canonistæ, Civilis Juris interpretes infectantur. At quod longe majoris ponderis est, damnant atque detestantur Summi Pontifices, Episcopi, atque suprema Ecclesiæ Tribunalia. Neque hic fas est Sacros Canones, Decreta Conciliorum sive Provincialium, sive Diœcesanorum, Decisiones quoque Sacræ Rotæ supra recensitas refricare. Adeat præcedentia hujus Dissertationis capita, adeat, adversarius, quæ prodidimus Summorum Pontificum, S. R. E. Cardinalium, Episcoporum responsa, Ordinationes, Statuta; & desinet Theologos irridere.

338. Porro satis non est adversario de Theologis quos Morales nominat male mereri, nisi etiam apud cordatos Sacrorum Canonum professores, & apud Ecclesiastici Fori Judices male audiat in eo quod ipsorum nihil interesse debere dicit, utrum

eo nomine, qui revera Causidicos agebant. Nec credo Muscettulam *Moralistæ* nominis pœnitebit, modo adversarii non plus sese efferant, quam pro causidicorum captu & ingenio. Hoc enim inter nostrum hunc quem appellant Moralistam, & causidicos interest: quod ille non mercede conductus sed parendi studio, non causæ, sed veritati serviens, non in forensi tumultu, sed in secessu & requie, animum sincerum ac liberum ad scribendum attulit: quum contra sæpe accidat, (nam semper ita fieri, prorsus nego) qui longe plurimos advocatorum hic & alibi noverim ita se in suo munere comparasse, nullius ut causæ patrocinium suscipiant, quam non prius ad juris ac veritatis obrussam, tamquam, incorrupti judices, non ut advocati, integerint) verum interdum accidit, ut causidici quidam studio partium abrepti, per mille ambages ac meandros id tantum laborent, ut nigrum album videatur. Verum ne hactenus quidem fortasis eorum laborem usquequaque damnemus. Quid enim? Judicis partes tunc fore, ficere, falsa a veris secernere. Quibus quamquam non plene assentior: tamen esto. Nunc illud summopere reprehendendum occurrit, quod nonnulli hujus generis causidici, sua defuncti munera, quæcumque per calorem atque concertationis æstum illevere chartis, ea *Allegationes*, *Dissertationes*, *Consultationes*, *Singularia* (quæque plura sunt earum scriptionum nomina, quas mercede conducti effundunt) in volumina compinguntur, atque in publicum eduntur. Id ubi semel factum, jam eo pro *prudentum responsis* (etsi quid simile? Nam antiquos illos prudentes nihil prorsus pro jure respondendo accepisse, comperio) haberi incipiunt: jam eorum scitis & auctoritate fora personant. Ea scripta mirantur adolescentes, nec illa sibi prius de manibus elabi sinunt, quam ex iis didicerint Pyrrhonismum in legalem disciplinam invehere. Atqui publice interesset, adolescentibus palam fieri, non ex *Allegationibus* istis juris articulorum enodationes esse petendas, verum ex iis Scriptoribus, qui magno ceteroqui judicio præditi, veritati, non partium studio litare suis in commentariis adnisi fuerint; quique dum per otium in suo secessu scribunt, induentes judicis animum atque mentem, ac veluti pro tribunali sedentes, non quid dicendo probabile effici possit; sed omnino quid verum sit, perscrutari, ea demum victuris chartis commendaverint. Hæc sane numquam eloqui tam libere sustinuissem, nisi me probem nossem principibus ipsos civitatis suffragatores habere; rem indignam prorsus vociferantes, sic ventum esse, ut jam legalis prudentia, criminumque & quæstionum severa olim disciplina, miro prorsus Scepticismo laboret; nec jam suis carere auctoritatibus ea, quæ perspicuæ legum sententiæ ex diametro opponuntur. Justam esse hanc expostulationem, satis hic ipsa controversia, quam præ manibus habemus, docere potest: imo hæc ipsa causidicorum cum nostro scilicet *Moralista* concertatio. De cujus successu, & eorumdem diffidentia suæ causæ, vide dicta in epist. ad lectorem.

Digitized by Google

utrum Christifideles a peccatis lethalibus arceantur. Dissona profecto vox neque digna, quæ vel Christiano causidico, nedum a Canonici Juris Doctore præferatur. Quis enim finis per Sacros Canones ab Ecclesia intentus, nisi ut ad æternam felicitatem fidelis populus perducatur, quæque impedire valent obstacula removeantur? Hæc concors est Doctorum sententia communisque, quam tradunt nedum Theologi, verum potissimi ipsiusmet Juris Interpretes: ea Canonici Juris definitio, per quam a Civili & a politico Jure primario discriminatur. *Leges vero Ecclesiæ* (inquit, *Joseph Gibalinus* in præclaro opere quod edidit de scientia Canonica) „ „ ut quædam spiritualis Respublica est, & ut ad finem & felicitatem supernaturalem tendit, non feruntur nisi intentione Religionis & Divinæ Justitiæ, habentque bonum animæ pro fine, atque adeo pro materia aliquod ad finem illum ordinatum: dicunturque Ecclesiasticæ, & ex iis nascitur Jus Ecclesiasticum, „ quod & Canonicum vocant, ex eo quod leges ex quibus nascitur, Canonicæ dicuntur. Juris igitur Ecclesiastici sive Canonici finis primarius est Religio Christiana, quam unam attendit, ut per eam tanquam per medium non modo maxime idoneum, sed etiam unicum, Ecclesiam ad beatitudinem supernaturalem „ promoveat „. Hæc laudatus Auctor *tom. 1. lib. 1. cap. 2. quæst. 1. nu. 8.* At fortasse fastidio erit adversario in hoc quoque capite audire Theologos differentes. Audiat igitur Canonistas, illumque in primis egregium & proculdubio nulli secundum, Abbatem scilicet Panormitanum in Prooemio *Comment. super primo Decretal. num. 16. circa finem*. Hic pluribus præmissis ad scientiæ Canonicæ naturam assequendam sic concludit. „ Ex hoc patet excellentia hujus scientiæ ad Jus Civile, habent „ enim se ut anima, & corpus, licet enim utrumque jus intendat inducere hominem ad bonum commune: differunt tamen in modo inducendi. Nam Jus Civile intendit hominem dirigere in bonum commune secundum quod congruit humanæ societati civiliter viventi, secundum quem modum bonum commune habet vim promoveri per justitiam legalem & Civilem amicitiam. Jus vero Canonicum intendit dirigere hominem ad bonum commune secundum quod congruit „ humanæ societati quæ non solum civiliter vivit, sed secundum fidem, in Deum „ intendendo, & vitam aliam expectando. Bonum autem commune sic acceptum „ non potest conservari per solam Justitiam legalem & Civilem amicitiam; sed ultra hoc requiritur quædam cælestis amicitia, sine qua impossibile est hominem „ in Deum tendere. Sicut ergo potissima virtus, ad quam conatur Jus Civile, est „ ipsa legalis Justitia & Civilis amicitia; ita potissimum virtus ad quam conatur Jus „ Canonicum est ipsa cælestis amicitia, quam caritatem vocamus „. Quid vero his luculentius dici poterit, ut Ecclesiastici Judices sui admoneantur instituti? Equidem nihil est quod ita caritatem ac cælestem solvat amicitiam, nihil quod ab æterna felicitate fidelem hominem abducat, ut peccatum, mortale, cui ut occurrat, cætera quævis posthabere par est Ecclesiæ Præsuli, atque in Ecclesiastico foro jus dicenti. Quamvis enim Canonicum jus circa pleraque versetur, quæ externam politiam spectare videntur, adhuc ista tamen ad excellentiorem dirigit finem, quatenus videlicet utilia sunt, si recte illis utamur, ad æternam vitam assequendam. Idipsum & alii nos edocent Canonistæ. Sic enim *Robertus Koning. tom. 1. princip. Juris Can. in Proæm. §. 6.* „ Objectum, seu materia Juris Canonici sunt actiones „ Christianorum dirigibiles & regulabiles per normas Ecclesiasticas ad rectam vitam & beatitudinem supernaturalem: circa ejusmodi enim actiones Jus Canonicum occupatur. Nec obstat quod sæpe etiam disponat de rebus, quæ mere „ exteriores sunt & temporales, veluti de contractibus, Judiciis, ultimis voluntatibus &c. quia hæc & similia tractat & attingit sub dicta ratione supernaturali, & ut facilius finem suum assequatur &c. „

Proinde nihil magis a veritate alienum quam quod Ecclesiæ forum non sit solici-

licitum de vitando peccato; quin potius id præcipue satagere debet, ut subditos a peccato ac peccandi periculo pro viribus arceat; dumque de iis judicat, quæ maxime ad civilem societatem necessaria vel utilia comperiuntur, id primario sui muneris esse Judex agnoscat, ut a subditis sine noxa præsertim lethali, nec contra Divinas Leges exerceantur. Ut optime expendit *Gibalinus de Scientia Canonica tom. 2. lib. 5. cap. 1. quæst. 2. num. 5.* ibi: „ Vides amplitudinem materiæ Juris Ec„ clesiastici, cum omnia fere ad Religionem ac Justitiam reduci queant, & ver„ sari possit circa materiam Civilem sed altiori & nobiliori modo, quam jus poli„ ticum, quatenus scilicet est materia peccati, sive ubi agitur de peccato vitando „ & de periculo animæ, quod Fortunius tract. de fine ultimo Juris Canonici, & „ Civilis n. 151. fusius prosequitur ex communi Doctorum „. Præmiserat autem laudatus Auctor assertæ veritatis ineluctabile fundamentum *num.* 1. sic argumentans. „ Quia peccata omnia nos a fine supernaturali abducunt, & bonis omnibus „ spiritualibus atque saluti animæ opponuntur, idcirco ad eamdem legem & jus „ pertinent, cum contraria ad eumdem ordinem revocari soleant. Adde primarium actum imperatum ab hoc jure esse cultum & honorem Divinum, seu re„ ligiosam actionem. Divino vero cultui præcipuo quodam modo opponuntur pec„ cata, quatenus sunt injuriæ Dei. Igitur ad idem quoque Jus Ecclesiasticum, „ quatenus peccata sunt, pertinebunt, & de iis„ (quæso mentis aciem intentant Causidici, Judices, cæterique Ecclesiastici fori administri) *Et de iis* (scilicet de peccatis) *hoc jus pronunciare & definire atque prohibere, damnare, atque adeo punire suo modo poterit.*

339. Denique huc spectat tritum illud apud Canonistas, atque Theologos axioma, quod nam, *si Jus Canonic. contradicat civili, servandum sit Canonicum, si materia concernat peccatum, seu animam*, verba sunt Andreæ Vallens. in Paratitla *Decretal. in Proœm. §. 9. num.* 4. Nam ad vitandum peccatum sæpius *Ecclesiæ leges emendant, imo & abrogant Jus Civile, quia ipsæ Leges Civiles cum pugnant cum Jure Divino & naturali, justæ non sunt: & speciem legis habent duntaxat, ejus tamen vim, & auctoritatem obtinere non possunt*, ut scribit *Gib. loco ante cit. quæst. 4. num. 3.* Idque comprobatur ex Textu *in Can. 1. dist. 9. Can. 1. Can. Non licet, Can. Certum est, & aliis passim distinct. 10.* Nec pauca suppetunt exempla ubi agitur de Votis, de Juramentis, de Usuris, de Matrimonio, de Præscriptionibus mala fide inchoatis, ut post *Gail. lib. 2. observat. 141. num. 4.* adnotant *Koning. Proœm. princ. Jur. Canon. §. 4. n. 8.* quibus præivit S. Thom. *quo lib. 12. quæst. 16. art. 24. & 25.*

Pauca hæc delibasse sufficiat ad demonstrandum, Judici pro Ecclesiæ Tribunali sedenti nihil antiquius habendum esse, quam ut peccata repellat, ac tunc maxime justitiæ morem gerere, ac suo muneri respondere, cum pro vitando peccato cætera parvi facere non formidat. Regulam istam, ut in reliquis omnibus sequi fas est, ita præcipue servanda, ubi agitur de Sacramentorum administratione, qua nihil sanctius, nihil in Ecclesia Christiana dignius, ut majori qua potest veneratione exerceatur. Plura super hoc in secundo hujus opusculi *Dubio* disseruimus: nihilominus operæ pretium erit plenius adhuc adversario satisfacere exemplo & auctoritate Summi Pontificis Pauli V. de quo apud *Cardinal. Albicium* in suo famigerato opere *de inconstant. in fide cap. 36. num. 216.* Nam consultus præfatus Pontifex a Philippo III. Hispaniarum Rege, an sibi liceret hæretico Regi, de quo requisitus fuerat, filiam nuptui tradere, sic respondit. *La Santità di Nostro Signore quanto a detto accasamento dice, che non può se non improvarlo e detestarlo per essere* (notet quæso adversarius verba) *per essere simil matrimonio illecito, e sottopesto a peccato mortale gravissimo.* Rursum rogatus Papa, ut pro iisdem nuptiis dispensationem elargiretur, constanter abnuit, eadem ductus ratione, ne scilicet peccato conferre operam, vel illud permittere videretur. „ E non sa vedere la Santità Sua, come al presente

„ si pos-

Digitized by Google

„ si possa ascoltare simil proposta, trattandosi di dispensare sopra un atto tanto „ illecito e cooperativo di peccato mortale, se insieme non se gli proponessero „ cause e condizioni giustissime, evidentissima utilità per servizio di Dio, e del„ la Santa Fede Cattolica. „ Nonne largitio dispensationum in matrimoniis contrahendis ad externam quoque pertinent Ecclesiæ disciplinam? Cur itaque Summus Pontifex ne cooperandi peccato occasionem præbeat, a dispensando vel cum magnis principibus sibi abstinendum tam aperte profitetur? Poterat sane judicium de peccato permittere confessario, qui pro suo munere in foro conscientiæ Regem admoneret; quid enim ipsius intererat, dum pro Tribunali sederet, dum Summum Ecclesiæ Principem ageret, nedum de peccato, verum etiam de non conferenda peccato opera tam sedulo præcavere? Absit autem ut Christi Vicarium, imo ut cæteros quosvis Ecclesiæ Præsules Successores Apostolorum de munere sibi commisso tam demisse sentire suspicemur. Sciebat optime Sapientissimus Pontifex, hanc ipsi in primis a Christo Domino demandatam fuisse provinciam, ut gregem suum per quamcumque semitam in æternam dirigeret vitam, atque sibi collatam in utroque foro potestatem eo respicere, ut commissis ovibus viam salutis ostendat, ruinam vitare, securum prosequi callem doceat, jubeat atque compellat. Hæc si adversarium animadvertere non piguisset, non dubito quin hujus generis argumenta contemnere non recusaret.

340. Neque ullius momenti est quod pro futuli argumento confirmando absurdius subdebant exemplum. Ecquis enim satis mirari valeat Canonici Juris Doctorem sic clamantem: „ Nemo unquam somniavit asserere, quod sit in arbitrio Or„ dinariorum ratione peccati mortalis impedire, vel retardare effectuationem ma„ trimonii cum eo, qui Votum simplex Religionis vel Castitatis emisit. Atque in„ auditum est in Curiis Ecclesiasticis, quod ex hoc unquam fuerint matrimonia „ retardata„. O stupenda vere in asserenda falsitate securitas! Quis enim ausit in dubium revocare quin Episcopi valeant imo debeant eos, qui voto castitatis, aut Religionis adstricti matrimonium inire moliuntur, ne contrahant impedire? Id aperte Sacris Canonibus stabilitur. Id omnium Canonistarum, atque Theologorum calculo comprobatur. Omittimus Theologos, non quod ipsorum auctoritatem parvi faciamus, sed quia pervios cuique credimus. Prodimus Sacros Canones, horum Interpretes, quos adversarius vel nescire simulat, vel ignorat. Et primo quidem in *cap. Consuluit cap. Veniens cap. Rursus: Qui cleric. vel vov. matrim. &c.* aperte definitum legitur, votum simplex sive castitatis, sive Religionis nuptias impedire, neque annuendum ut tali voto obnoxius conjugio copuletur, ut in *cap. Rursus cit.* Quod si aliquando urgeat causa ut matrimonium contrahatur, remittenda statuitur congrua satisfactio, & obtenta a Summo Pontifice dispensatione, nubendi licentia tribuatur. Sic aperte in *cap Veniens cit.* Porro quamvis in propatulo sit, præfata jura ne dum occultum conscientiæ forum, verum etiam judicialem Ecclesiæ curam moderari (quippe quum Canones non placitis Theologorum in Sacramento Pœnitentiæ absolventium, vel Summorum Pontificum consultorum ab Episcopis pro regimine suarum Ecclesiarum responsis constent) ne tamen, vel minimum cavillandi locus supersit, præstabit audire ut laudati textus a probatissimis interpretibus accipiantur. Apprime ad rem nostram *Anton. Butr.* super *cap. Rursus, qui cleric. vel vov.* ubi ei qui votum simplex castitatis emiserat, quantumvis deinde sponsalia juraverit, matrimonium interdicitur, num. 4. sic habet. „ Et sic nota quod „ ex voto simplici oritur, jus quo Ecclesia compellere potest voventem ad votum so„ lemnizandum. *Deinde concludit.* Et nota ex hoc, virtutem voti simplicis quæ ma„ trimonium impedit contrahendum, sed non tollit contractum. „ Innocent. *super cap. Veniens. eo.* (in quo Summus Pontifex cum muliere voto simplicis continentiæ obstricta, post indictam ipsi congruam satisfactionem jubet dispensari ut nubat) ad illa verba *licentiam nubendi*, ita inquit *De misericordia: nam de rigore juris post votum simplex non datur ei licen-*

licentia nubendi. Gonzalez Tellez super eodem *capit. Veniens* cit. totum luculentius exponit num. 4. inquiens: „ Dicendum est Pontificem in hoc casu immediate dis„ pensasse, ideoque ad Episcopum scripsisse, ut licentiam dare non dubitaret, idest „ non prohiberet talem feminam nubere. Quod non est intelligendum in sensu tan„ tum permissivo, sed in hoc sensu quod Papa dispensando tollit impedimentum, „ propter quod Episcopus posset tale matrimonium prohibere. „ Ad ultimum ne de voto simplici Religionis auctoritas deficere videatur, subdimus apertissimum Textum in *cap. Porrectum de regular.* Ubi qui infirmitate gravatus votum emiserat, ut fieret Monachus, compellendus dicitur, ut reddat Domino quæ promisit. Ibique tradidit Fagnanus num. 5: *Qui votum religionis emisit, etiam in foro externo Ecclesiæ compelli potest ad servandum votum.* Et congerit concordantes. Vigilantes profecto Testes protulimus, quibus evincimus, ut multoties causidicorum clamores juste contemnantur, quippe quos non raro contingat audire intrepide affirmantes, *Nemo dixit, nemo somniavit*, cum agatur de re certa, a Sacris Canonibus stabilita, atque unanimiter ab Interpretibus admissa.

341. Alterum supereſt expendendum exemplum, seu argumentum ductum ex auctoritate Sancti Thomæ dicentis, Judicem posse damnare virum, quem certo novit innoxium, si reus appareat ex forensibus Actis. Primo quidem pleriq. multi nominis Canonistæ ac Theologiæ Professores in contrariam abeunt sententiam. Alii ex parte admittunt, ex parte contradicunt. De his late *Covarru. lib. 1. variar. cap. 1. per tot. Card. de Luzo de justit. tom. 2. disput. 37. sect. 4. Dicastill. de just. lib. 2. tract. 1. disput. 4. n. 75.* Qui cæteros allegant. Utcumque res se habeat; neque necessitas urget, neque otium est opinionem istam examinare. Esto vera sit (neque enim refragari licet, quin illi maximum ex Angelici Doctoris auctoritate pondus accedat) quid tum inde? Illud fortasse quod si in agendo de filiorum nuptiis ex testium dictis cæterisque judicialibus actis non probetur parentes reluctari, vel eorum dissensus inquus asseratur, sive tandem nuptias quas judex privata scientia indignas novit, eas secundum allegata & probata appareat perperam ignominia notari, tunc ei liceat neglecta sua occulta, publicam atque in foro probatam notitiam sequi; si tamen prius nulli pepercerit industriæ qua possibile fuerit detegi veritatem. At aliud est de quo contendimus argumentum. Quid agendum Sacramentorum Ministris si peccator occultus publice petat; non est hujus loci declarare: Illud unice modo inquirimus ut se gerere debeat Episcopus aut Parochus, dum parentes palam dissentiunt, ne filiæ indigne nubant; dum aperte constat nuptias sine scandalo sine injustitia, sine peccato non contrahi. Hanc tantummodo tractamus causam. De peccato manifesto & notorio sacrilegio, quo matrimonium fœdare in casu dicto filii familias moliuntur, controversia est. Afferant adversarii si ipsis suppetit exemplum quo liceat notorio peccatori, qui in ipsa Sacramenti perceptione illud violare dignoscatur, Sacramentum administrare. Prodant causam, in qua liceat judici sive civilis, sive Ecclesiastici fori opem ferre peccanti, cujus crimen testes, acta forensia probent, vel sua notoria turpitudine manifestum fiat. Tunc, nisi aliunde innotescat disparitas argumenti; manus dare non pudebit.

342. At inquiet aliquis, nonne in crimine quantumlibet occulto, verum est, operam conferri a judice, ab administro Sacramentorum? Nihilominus hoc licere annuunt omnes. Quid itaque prohibet ne liceat itidem præsidio esse filiis, ut matrimonium ineant, esto appareat illos peccaturos dum nubant? Neutiquam omnino id licere respondemus. Cur autem (dicet adversarius fas est judici occultam testium calumniam permittere, & virum innocuum capite damnare; at statim ac falsitas innotescat, omni jure tenetur innocentem absolvere? Cur Sacerdos peccatori occulto publice Eucharistiam petenti, vel aliud Sacramentum, poterit ministrari, nequaquam vero si vel secreto petat, vel crimen sit adstantibus manifestum?

ſum? Contra vero dum agitur de matrimonio, peccatum nedum abſtonditum, verum etiam manifeſtum atque notorium non valebit Parochum atque Epiſcopum abſterere, ne præſto ſit peccantibus; cum cæteroqui in cæteris cauſſis ea ſervanda ſit lex, ut notorio crimini, aut Sacrilegio manifeſto nunquam liceat opem ferre? Quænam iſta diſcriminis ratio? Nulla profecto. Sed in omnibus eadem cauſſa urget, ut ſi aliud acta forenſia præſeferant, aliud privata ſcientia doceat; judex aut quivis publicus Miniſter propria poſthabita, publicam notitiam ſequatur. Quia ſcilicet ut diſſerit *Sanctus Thomas 2. 2. quæſt. 67. art. 2. in reſponſ.* „ Judicare pertinet ad judicem ſecundum quod fungitur publica poteſtate, & ideo informari debet in judicando non ſecundum id quod novit, ut privata perſona, ſed ſecundum id quod ipſi innoteſcit tanquam perſonæ publicæ. Hoc autem innoteſcit ſibi in communi & in particulari; in particulari negotio aliquo per inſtrumenta & Teſtes & alia hujuſmodi legitima documenta, quæ debet ſequi in judicando magis quam id, quod novit, ut privata perſona. „ Ut autem hæc locum habeant in adminiſtrandis Sacramentis, atque in neutra cauſſa ſive judex, ſive Sacerdos injuſtitiam admittant, neque alterius criminis participes cenſeri poſſint, luculenter explicant *Dicaſtill. de juſtit. lib. 2. tract. 1. diſput. 4. dubit. 5. n. 89. & ſeq.* „ Judex poſt adhibita omnia media moraliter poſſibilia, quibus innocens liberari poſſit, etiamſi materialiter injuſtitiam committat, tamen ſecundum eam ſcientiam, qua in judicando uti debet formaliter juſtum agit ac proinde nulli facit injuriam. „ *Et ferius*: Hac ratione Sacerdos qui ſcientia privata agnoſcit aliquem occultum peccatorem, ſcientia vero publica habetur vel juſtus, vel rite pœnitens præbet Euchariſtiam licite, immo, nec poteſt negare publice petenti. „ Audiendus quoque eximius S. Thom. interpres *Card. Cajetanus in comment. artic. 2. cit. verſ. arguitur*, ſibi objiciens argumentum de non præſtando auxilio teſti calumniam adſtruenti. Subdimus ipſius textum: „ Arguitur poſtremo, quia teſtes, per quos innocens contra veritatem convictus damnandus eſt, veniunt in veſtimentis ovium, & intrinſecus ſunt lupi rapaces rerum vel vitæ. Ac per hoc ſi judex certus de innocentia judicat juxta eorum dicta, Miniſter eſt homicidarum, vel prædonum, & ſic non excuſatur. „ Vides ut optime objectam difficultatem de opera, quæ confertur peccato teſtium, exponat Eminentiſs. Doctor verbis illis „ Miniſter eſt homicidarum & prædonum. „ Audias modo ut perſpicue illam diluat. „ Ad poſtremum dicitur, licet teſtes veniant intrinſecus ut lupi, judex tamen non eſt eorum Miniſter, ſed juris; & propterea non incurrit reatum ſequelæ eorum, nec per ipſum venit ſcandalum, ſed per illos teſtes qui abutuntur jure, & judicis officio. „ At ſimilia prorſus de adminiſtrante Sacramenta peccatori occulto produnt Theologi. En ut loquitur *Caſtropalao oper. moral. p. 4. tract. 18. diſp. unic. punct. 14. num. 4.* Quod ſi objicias nemini licitum eſſe Sacrilegio cooperari, puta quia eſt intrinſece malum; at miniſtrans Sacramentum indigno videtur illius Sacrilegæ ſuſceptioni cooperari. Ergo nunquam id licere poteſt. Facile reſpondetur negando, miniſtrantem Sacramenta indigno ob ſupradictum finem vitandi proximi infamationem, cooperari Sacrilegæ ſuſcipientis receptioni, quia ſolum cooperatur Sacramentali receptioni; quatenus vero eſt ſacrilega, permittit ex juſta cauſſa „. *Sic Suar. Enrich. Bonac. &c.*

Rem denique paucis perſtringendo, illud certo concludere non formidamus, judicem videlicet, atque alterum quemlibet publicum ſive juſtitiæ, ſive Sacramentorum adminiſtrum, dum ut ſuo muneri reſpondeat ſcientiam peccati, quam privatim tenuit, non attendit, perperam alieni criminis participem dici, nec non iiſdem, juribus & rationum momentis, quibus damnatur ſi publice peccantem non excludat, ſi occultis criminibus non occurrat, innoxium declarari. Neque aliter de cauſſis connubiorum ſentire licet, dum iniquitas contractus palam eſt, atque judicialiter compro-

Digitized by Google

probatur. Dum autem adhuc latet, hoc a cæteris negotiis non nihil differe notum est. Siquidem multorum vel unius testis accusatio sufficit ut matrimonio contrahendo obex afferatur; itemque nonnullæ contra testes, quæ in alterius genere nullis urgent exceptiones, dum agitur de jungendis nuptiis, jure contemnuntur. De his *in Textu cap. Præterea de sponsal. cap. videtur, cap. Cum in tua. Qui matrimonium accus. ibique Barbos. in collect. jur. Pontif. Robert. Koni. lib. 4. princip. Jur. Canon. eodem Titulo* 18. §. 5. *n.* 3. *&* 10. Cæterique apud ipsos.

344. Ut tandem non sine grata coronide tertii hujus argumenti censuram concludamus, recolendum est monitum quo nos advertit *Eminentissimus Pallavicinus in Histor. Conc. Trid. lib.* 22. *cap.* 4. *n.* 16. ubi prodita cujusdam Sacrorum Canonum Doctoris sententia super irritis habendis clandestinis nuptiis, hæc subdit. *Diede a dirudere, che il caminare con una sola scienza de Canoni scompagnata dal Theologico discorso in tali soggetti è appunto caminare con un sol piede; cioè zoppicando, e spesso cadendo.*

QUARTUM ARGUMENTUM.

Matrimonia indigna absolute impedire Superioribus non licet, sed tantum retardare paulisper, ne præcipitanter contrahantur, num. 345.

Contrarium, & quod imo debeant impediri, n. 346.

Ad vitandum majus malum minus tolerare quandoque licet, operari vero numquam, n. 347. *&* 349.

Sponsalia etiam juramento firmata servari quare Ecclesia non semper præcise compellat, num. 348.

Differentiæ inter coactionem, & impedimentum respectu matrimonii cum certa persona contrahendi plures assignantur, num. 350.

345. QUarto denique objiciebant, seu potius ex tripode quasi pronunciantes sic docebant. Si quid veri præseferunt asserta tanto apparatu in totis hujusce Dissertationis capitibus exposita, in eo sensu id accipiendum, ut liceat moram aliquam facere filiisfamilias cæterisque ad indignas nuptias convolantibus, brevem tamen moderatamque, cujus videlicet finis sit, haud utique libertatem infringere, sed irrevocabilem præcipitationem in copulando insolubilis matrimonii fœdere præcavere. Neque enim semel aut raro accidit ut adolescentes vel puellæ quæ fallaciis lenociniisque deceptæ, vesano amore furentes, iraque incensæ ex severiori parentum disciplina, fœda connubia machinantur, pusillo temporis ad se revertentes, insanisque affectibus solutæ, gaudeant sibi prospectum fuisse, quod imprudenter optaverant, connubio retardato: ac propterea nefas non esse filios a consortio eorum sejungere, quos suspicari licet ipsorum cupidinem confovere, a civitate amovere: interdum quoque in carcerem conjicere, ut vexatione commotis sui compotes fiant, & quam incaute sibi moliuntur, animadvertant perniciem ac exhorreant. Verum enimvero si animo obstinentur, neque parentum industriæ, aut Præsulis consilio cedat filiorum constantia; tunc ipsis libertatem largiri oportet, indulgendum ut Jus suum prosequantur, atque a vexationibus abstinendum; ne cum dispendio salutis æternæ utantur dum nubere prohibentur, contra effatum Apostoli I. ad Cor. cap. 7. vers. 9. dicentis *Quod si non se continent, nubant; melius est enim nubere quam uri.* Neque arbitrii est parentum, Episcoporum, vel alterius, quacumque polleat auctoritate, remedium contra concupiscentiæ irritamenta jure naturali & Divino statutum, sacrisque Canonibus commendatum filiis denegare; sed duntaxat tantisper dum fraudes detegantur, si subsint, detinere. Hoc tandem præscriptum Ecclesiastici Fori, hanc praxim perpetuo servatam testatur *Raynald. tom.* 1. *observ. Crimin. cap.* 6. *lib.* 1. §. 3. *n.* 73. Et *Oliva de Foro Ecclesiæ quæst.* 29. *p.* 1. *a num.* 20. Quod totum consonare videtur plerisque

Digitized by Google

risque Sanctorum Pontificum, Romani Auditorii rescriptis, ac S. Congregationis Concilii Trid. interpretum responsis super caussis sponsalium, etiam jure jurando confirmatorum. Quippe licet comperti juris sit, ea violari non posse sine injustitiæ, atque perjurii nota; ac proinde compellendum esse qui illa contraxit, ut promissionem adimpleat, ideoque judicem parti petenti ut juratam fidem servare cogat alteram detractantem, teneri præsidio esse, eique omni via consulere ne data fides fallatur; neque præceptis, neque minis, censuris quoque non parcendum: nihilominus tamen ubi hæc cæteraque juris adjumenta non proficiant, ultra progredi nequaquam licet, neque omnimoda coactione quemquam adigendum, ut matrimonium ineat *qui jam coactus per censuras indurato animo sustinuit*, ut ait Rota in Toletana Matrimonii coram Justo 1601. & subdit *quo casu solet Rota absolvere potius quam cogere*. Quin immo alias mitius egit idem Sacrum Tribunal, dum videlicet animadvertens constatem animi deliberationem, a coactione temperandum censuit, ut in Melitensi sponsalium coram Paulutio 11. Maii 1682. ibi, *Cum constans ejus deliberatio apparent non contrahendi hujusmodi matrimonium, quo casu Ecclesia a coactione temperat*. Concinit Sacra Congregatio Concilii Trid. Interpretum in *Bononien. Sponsalium 6. Jannuarii* 1700. in qua Teste D. Piton. eximio in Romana Curia Advocato *discept. Eccles. 32. num. 26. fuit Archiepiscopo injunctum, ut moneret sponsam ad implendam fidem, quod si post monitiones suasiones & diligentias adhuc renueret, ad rigorosam & exactissimam coactionem non deveniret*. Eadem igitur via incedere, paremque moderationem servare tenebitur judex, dum agitur de impediendo indigno matrimonio filiorumfamilias; monendi quidem, pulsandi sunt, necnon minis deterrendi, ut si vel animi levitate, vel dolo decepti de nuptiis cogitaverint, molestis exagitati intelligant se decipi, atque resipiscant. At si obdurati in proposito permaneant, gradum sistere oportet, & ulterius compellere nefas est. Ut enim inquit *Rota decis.* 1185. *coram Emerix. jun. Ecclesia compellit eum quem videt in sua simplicitate titubantem, secus eum quem cognoscit constanti animo reluctantem*. Hoc ultimum adversariorum effugium, hic postremus conatus, ut sacrilegas nuptias copulari si non cito, at tandem aliquando Ecclesiæ Præsules consentire debere videantur.

346. Frustra tamen illos conari, atque incaussum inania hæc excogitare sophismata ad apertam labefactandam veritatem, liquebit protinus, si quæ ad illam stabiliendam in superioribus hujus tractatiunculæ capitibus jecimus, in memoriam revocentur firmissima fundamenta ex juribus, auctoritate, & ratione. Jura siquidem clamant dicta connubia impedienda ne fiant, non autem tantum morandum ne maturius copulentur. Prohibent, non suspendunt. Ecclesia perpetuo non ad tempus *detestata est atque prohibuit*. Expendimus quidem in tertio, ac quarto præmissis dubiis præsentem difficultatem, neque libet quæ jam prosulimus recantare. Satis erit ut nova aliqua proferam, nunquam enim veritatem asserenti testimonia deficient, aut pondera rationum.

Et primo quidem prodere liceat verba Aloysii Ricci non vulgaris notæ in Ecclesiæ Foro judicis, Sacrorumque Canonum Doctoris, rem istam adamussim pertractantis in *Decis. Cur. Archiep. Neapol. Edit. Venet.* apud Babba anno 1647. *dec. 24. par. 3.* Agebatur de nobili viro indignas nuptias moliente, & expostulantibus consanguineis ut auctoritate Judicis imminentibus scandalis obex fieret super hac Causa sensit laudatus Auctor, *Replicabat quidem Reverendissimus Episcopus non posse in tali casu prohiberi simpliciter matrimonium, sed tantum ad tempus, quod videbatur probabile, sed re maturius perpensa resolvi, quod stante dicto scandalo simpliciter poterat dictum matrimonium interdici. Nam omni tempore scandalum est malum, & vitandum. Et ponderandum est quod dictum est de Divo Paulo 1. ad Cor. cap. 8. si scandalizavero fratrem meum non comedam carnem in æternum, & non dicit ad tempus aliquod determinatum, sed potius in æternum, quia in æternum vitari debet scandalum, &*

„ non ad tempus in iis quæ ſine peccato omitti poſſunt. „ Et infra ad elidendam alteram difficultatis partem de vitanda incontinentia, atque ſervandis juribus libertatis egregie ſubdit. *Conſenſus matrimonialis licet ſit de ſubſtantia matrimonii, tamen præſtandus eſt cum debitis circumſtantiis, & non cum ſcandalo: & licet matrimonium ſit remedium luxuriæ, tamen peccatum luxuriæ vitari poteſt aliis modis, ut contrahendo cum aliis feminis.* Solidiſſima dubio procul ratiocinatio, ſed cui immenſum pondus accedit, ſi ne dum ſcandali quod tantopere & juremerito exaggeratur, vitandi debitum, verum & impietatis non fovendæ, religionis a ſacrilegio defenſandæ, vitandæ quoque injuſtitiæ in parentes atque cæteros conſanguineos, totiuſque Reipublicæ incommodis occurrendi obligatio a judice, ab Epiſcopo, a Parocho ſerio ut par eſt expendatur. Expendere inſuper neceſſe omnino eſt non agi duntaxat de obligatione judicis Eccleſiaſtici, animarumque paſtoris, ne ſinat ſcandala irrepere, neve negligat aliena crimina vitare, verum & de longe graviori debito violando periculum eſt; ne ſcilicet Epiſcopus ſuo mandato, Parochus ſua præſentia ſacrilegium firmet & confirmet impietatem: ne Divina humanaque jura conculcanti; ne Sacramenta fœdare adnitenti opem uterque afferat, & opituletur; quæ nulla temporis mora, nulla ſervandæ libertatis ratio valebit excuſare.

347. Ad hæc utut quandoque ſinere liceat leviora mala, ne aditus gravioribus pateat; nullius tamen vitandi mali ratio ſatis eſt ut liceat quod ſua natura malum eſt quantumvis leviſſimum, perpetrare, vel eum qui facit adjuvare. Sic enim in Republica meretrices non expellere quandoque licitum, at meretricium conſulere, præſto eſſe, conferre operam meretricari cupienti, piaculo ſcelerique quovis tempore, ubique locorum habendum eſt. Juvat & alterius recentioris Canoniſtæ ſuper ſimili cauſa ſententiam proferre, qui & luculentiori perſpicuitate univerſam quam verſamus enucleat quæſtionem, quique conſilium ſeu ut ipſe nuncupat votum ſuum exaravit ut pareret Eminentiſſimo Principi de latere legato, dum Ferrariæ Synodalem judicem, Sancti Officii Conſultorem, atque Cathedralis Eccleſiæ Canonicum Theologum ageret, Andreæ ſcilicet Bertonii in *Tractatu de negligentiis, & omiſſion. p. 2. num. 17. pag.* mihi 434. Moliebatur nobilis quidam Vir indignam feminam ducere in uxorem, ægre id ferentibus cæteris de familia, ac enixe rogantibus ut imminenti infamiæ occurrendi cauſa interdiceretur nuptiii. Juſſus laudatus Doctor ut quid Juris eſſe cenſeret, ſcripto exponeret, ita ſe expoſuiſſe teſtatur. *Ne tantum dedecus, ignominia, & injuria toti conſanguinitati irrogaretur, inſtantibus enixe conjunctis potuiſſe ac poſſe, debuiſſe ac debere Eminentiſſ. Principem impedire* (Non igitur ad tempus ſuſpendere: ſic enim non vitaretur infamia) *ne hoc matrimonium contraheretur, ſui in Voto.* Pergit pluribus demonſtrare, ex mulieris progenie moribuſque indignas eſſe nuptias autumandas, quæ omittimus ſtudio brevitatis. At rediens ad rem noſtram ſubdit num. 24. *Impediendi autem, ne Dominus N. tam indignum contrahat matrimonium, certi Juris eſt quod ſit in Principe, in Epiſcopo, in Judice facultas propter juſtas cauſsas; infamiam nempe totius conſanguinitatis vitandam, timorem ſcandalorum quæ prudentum judicio ſubſequentur, cap. Cum in tua* (ibi fama, & ſcandalo) *de Sponſal. ubi Gloſſa in Verbo ſcandalo, & Barboſ. n. 6. etiamſi Sponſalia eſſent Juramento firmata &c.* Pleraque deinceps attingit ex iis, quæ in decurſu totius Diſſertationis a nobis expenſa inutile eſſet refricare. Addimus duntaxat quæ faciunt ad elidendam oppoſitam argumentationem, ſeu potius ſine argumento propoſitam aſſertionem. Aperte innuit non ſatis eſſe ſuſpendere nuptias, ſed omnino prohibendas; tum quia inquit *num. 26.* „ Filii tenentur „ tum ob bonum commune, tum ad evitanda gravia mala, damna, & dedecus „ in familia, tale matrimonium non contrahere, & ideo poteſt cogi ad id quod Jure „ naturali, & ex Caritate tenetur. *Et num. 35.* D. N. non habet Jus ad nuptias „ adeo conjunctis injurioſas, ubi bonum nomen familiæ periclitatur, ſplendor ſanguinis obſcuratur, nobilitas maculatur, itaut nec juramentum interpoſitum queat adſtrin-

„ adstringere ad exequenda sponsalia, quia non potest esse vinculum iniquitatis *Cab. „ quanto de Jure Jur.* „ Explodit quoque scrupulum lædendi Jura libertatis, quia hæc ad illicita neutiquam extenditur num. 27. *Nec libertas naturalis læditur ex tali coactione, quia nubere in injuriam parentum, in damnum familiæ, totius cognationis dedecus, & animæ detrimentum, est abusus libertatis, non usus.* Inanem postremo prætextum vitandi periculum incontinentiæ paucis elidit verbis, inquiens num. 29. *Quia libertas potest exerceri cum quacumque alia muliere de toto mundo, ad Textum l. Cum ita legatum ff. de condit. & demonstr.*, & totam claudit orationem, testans, re ipsa matrimonium de quo lis erat, nedum suspensum, sed nullimode fuisse celebratum.

Porro quod verbis tam perspicuis neoterici modo producti, id si non verbis, liquido certe verborum sensu cæteri omnes superius recensiti prodiderunt. Quid enim sibi voluere, dum asserebant, vel ob solius scandali vitandi rationem matrimonia interdici, inhiberi, impediri merito posse, atque oportere ne celebrentur; nunquam autem suspendenda, aut tantummodo retardanda pronunciarunt? Quid? Num jusjurandum ad contrahendas hujus generis nuptias non adigere, ne evadat vinculum iniquitatis, constanter propugnabant? Quid tandem quod etiam stupro intercedente dotandam puellam, non ducendam esse statuebant, cum scandalum, infelicem exitum nuptiarum, parentum injuriam & rationabilem indignationem, totiusque ingenuæ familiæ infamiam contingat prævideri? Ista profecto plus multo sonant, quam brevem illam morandi nuptias œconomiam ab Oliva, & Raynaldo insinuatam. Locus fortasse erit huic praxi, dum solius adolescentis commodi, aut fortunarum periculum est, cui cavere suadeat Caritas Christiana: neutiquam vero ubi periclitatur reverentia Sacramenti, atque in discrimen vocatur honor parentibus debitus, decus prosapiæ, pax Reipublicæ, animarum salus, atque Ecclesiæ disciplina. His longa gravioribus absurdis perpetuo tempore obviam ire, nunquam præsidio esse aut operam conferre justitia cogit, adigit pietas, urget Religio in Deum, caritas in parentes, fratres, cæteros consanguineos, vel affines. Exinde nemo non videt quanti facienda sit auctoritas Raynaldi, vel Olivæ. Siquidem omittimus Olivæ tractatum de Foro Ecclesiæ legi prohibitum a Sacra Indicis Congregatione donec corrigatur, Raynaldum vero esse quidem de re criminali optime meritum, at non amplum in reliquis nomen sibi quæsivisse. Quantalibet tamen sit ipsorum auctoritas, satis superque retunditur vel ab iis duntaxat, quos novissime dedimus, Aloysio Riccio, & Bertonio, qui rem non perfunctorie attingentes sed ex professo pertractantes, juribus, ratione, atque auctoritate firmatam nostram sententiam tradidere. Addimus quoque tertium insignem in Romano Foro Advocatum Franciscum Mariam Piton, qui *discept. 52. num. 83.* aperte distinguit inter moram ad tempus & impedimentum, quod numquam cessat, his verbis. *Suasi ut dignaretur injungere Parocho, quod suspenderet per aliquod temporis spatium denunciationes, & matrimonium impediret, donec justificarentur causæ, quas ego justificatas dicebam sufficere ad impediendum hujusmodi matrimonium.* Quid multa? Adeat, cui libet, tertium hujusce Dissertationis caput, & pereurrat quartum, sextumque fatebitur assertam ab his paucis temporariam nuptiarum retardationem, testium copia & auctoritate explodi, juribus & invictis argumentis improbari.

348. Jam pauca de exemplo Sponsalium quorum fidem Ecclesia frangi quandoque finit, neque compellit omnibus modis ut impleant, etiam illos qui Jurejurando polliciti sunt servare. Ut ista vera sint, non leviter attigimus in quarto Dubio. Juvat nihilominus addere, mitem, qua in compellendis Sponsis, ut promissam fidem impleant, Ecclesia utitur, disciplinam non eo tendere, ut perfidiæ & perjurio aditus aperiatur, cui ut occurat satagere debet Judex, neque unquam a compulsione cessare, nisi cum perpensis omnibus circumstantiis animadvertat, si ulterius urgeat, fore ut vel fictus adhibeatur consensus, vel omnino coactus, quem odia ritæ

que inter Conjuges consequantur, ut apprime adnotavit *Card. de Luca tract. de Dotr discurs. 79. num. 8.* „ Licet ad matrimonium utriusque conjugis libera voluntas re„ quiratur, itaut uno ipsorum „ non obstantibus Judicis præceptis & districtioni„ bus, indurato animo perseverante in voluntate negativa, Ecclesia abstineat a „ præcisa coactione ex deductis per adden. ad decis. 431. par. 4. tom. 2. recent. „ n. 71. „ nihilominus id provenit magis ab Ecclesiæ prudenti consilio ob experi„ mentum malorum ex coactis matrimoniis resultantium, quam ex libera voluntate ejus, qui per contractum se obligavit ad coactionem. „ Pro quo præmiserat regulam primo tenendam ferre, ut sponsus per sponsalia de futuro obligatus remaneat ad matrimonium contrahendum, ad quod etiam judicialiter & per realem & personalem districtionem, quin imo etiam aliquando per censuras, (justa causa non excusante) compelli possit, ad Textum in *cap. Ex litteris 2. & cap. Requisivit, & cap. Sicut de sponsal. Cavaler. dec. 415. num. 1. decis. 421. num. 2.*, & alias Rota frequenter ex deductis per *Adden. ad dec. 431. par. 4. rec. tom. 4. n. 61. & ad Burat. decis. 311.* Hæc sunt mente retinenda, ne detur ansa frangendi fidem sponsalium & jurisjurandi religionem minuendi.

349. Cæterum cur in prohibendis præsertim filiorum familias indignis nuptiis severius agendum sit, nec unquam liceat indulgere ut copulentur, non operosum erit intelligere, si duo prænotentur. Primo scilicet non idem juris esse in eo quod malum aliquod permittatur, ac si malum idem approbetur aut fiat, sive facienti opera conferatur. Illud quandoque licitum, imo utile censetur ac necessarium, dum ne graviora grassentur crimina, vel ne Reipublicæ majus bonum arceatur, leviores noxas compescere desinit Legislator aut Judex, ut egregie *S. Thomas 2. 2. quæst. 10. art. 11. C.* ibi: *Sic ergo in regimine humano illi qui præsunt recte aliqua mala tolerant, ne aliqua bona impediantur, vel etiam ne aliqua mala pejora incurrantur.* Cujus laudabilis gubernationis exempla subdit in tolerandis usuris, meretricio, Judæorum quoque atque Paganorum ritibus atque Idolatria. At dum non agitur de tolerandis tantummodo vitiis, sed de præstanda illis opera, fovendisque Judicis auctoritate criminibus, longe aliter se habet res. Numquam approbare, nunquam consulere, nunquam conferre operam peccanti fas est, quin criminis reatusque nota contrahatur. Late de hoc discrimine, quod interest inter eum qui crimen negligit impedire, atque illum qui perpetranti socium se præbet, vel adjutorem, agunt Theologi ubi præceptum vitandi scandalum pertractant. Sat nobis erit pauca nimis delibare. *Suarez. tract. de Char. disp. 10 sect. 4. nu. 7.* „ Respondetur in his cavendam omnino esse positivam „ cooperationem, quia hæc est intrinsece mala, cum sit contra præceptum negati„ vum. Pro ratione ergo circumstantiarum, quandone sit cooperari aut quando sit tan„ tum non impedire, considerandum prudenter est. „ Audiendus quoque *Cajet. in Comment. super 2. 2. qu. 78. art. 4. §.* „ Secundo. Si namque peteret quis ab aliquo actum, „ quem non potest exercere sine peccato, proculdubio ad peccandum eum induceret, „ quamvis paratissimum, ac per hoc particeps peccati esset consentiens peccato alte„ rius. Adverte ergo semper, ut discernas, si actus potest sine peccato fieri, quia „ hic radix est liciti, vel inliciti. „ Itaque longe disparia sunt obicem non afferre, & opera coadjuvare sacrilegium machinanti.

350. Altera quoque prænotanda differentia est inter compulsionem ad nubendum singulari alicui personæ, & impedimentum ne cum una certa matrimonium contrahatur. Siquidem absurda quæ coactionem ad aliquod singulare conjugium comitantur, ea dum unam vel alteram ducere quis prohibetur, aut satis leviora sunt, aut plerumque nulla prorsus occurrunt. Hæc sane tria præcipue numerantur. Primum quod libertas naturali ac Divino Jure in eligendo perpetuo vitæ statu ac præsertim in ducenda uxore cuilibet asserta violatur. Secundum quia cum matrimonium onus gravissimum, & quasi perpetua servitus habeatur, rationi omnino consentaneum, ut

non

Digitized by Google

non nisi secundum animi propensionem copuletur, itaut mutuo amore sociati conjuges haud ægre ferant indissolubilis societatis incommoda. Quapropter iniquum est liberum hominem adigere, ut alterius arbitrio invisæ sibi feminæ tam arcto vinculo alligetur. Tertium & ultimum quod a compulsione absterret, periculum est infelicis exitus, & perennium malorum quæ sæpe sæpius cum discrimine non minus æternæ salutis quam præsentis vitæ, ex coactis nuptiis ortum ducere, ac sine remedii spe quotidie inspicimus perdurare. „ Nam timet summopere, tanquam pia mater, Ecclesia „ Sancta infaustos eventus coactarum nuptiarum ... Quæ enim mala ex coactis nuptiis „ non sequuntur? Quæ delicta non perpetrantur? Quæ scandala non oriuntur? Hinc „ perpetuo diffidia, & livores inter conjuges: hinc maritus insalutata uxore discedit, „ hinc adulteria, hinc ut sæpe accidit machinatio vitæ inter ipsos conjuges. „ Verba sunt *Adden. ad decis. 431. pag. 4. tom. 2. rec. num. 72.*

Porro si adolescentem a certis nuptiis duntaxat arceat Judex vel Episcopus, liquido apparet, neque secundum, neque tertium absurdum esse locum formidandi. Quin imo hoc unice juvare ad illa vitannda quæ imparia atque atque indigna connubia ut plurimum consequuntur semel atque iterum late comprobavimus, præsertim quarto & quin Dubio ex eorumdem, qui filiorum familias ultro favent libertati, Doctorum testimonio. Et res in patulo est. Ridicule enim ex matrimonio non contracto jurgia inter virum & mulierem, adulteria odiaque domestica quisquam cogitaret consequi vel timeri. Stulte prorsus affirmaret ex quo nubere cuiquam adolescens vel femina prohiberetur, ipsos ad perpetuam insolubilem erga invisum conjugem adigi servitutem. Dubium igitur nemini esse potest, quin si centies damnatis dictis connubiis obstetur, memorata absurda vitentur potius, quam inferantur.

Quod autem attinet ad primum insinuatum absurdum contra jura libertatis nemini adimendæ in ducenda uxore, quam velit; pudet profecto, pigetque toties in singulis superioribus Dubiis explosum eliminatumque atque radicitus evulsum scrupulum refricare. Ratione, Juribus tum Canonico tum Civili, Ecclesiæ indubitata praxi, communi Theologorum, atque utriusque Juris Interpretum auctoritate demonstravimus, illam vim qua injuste quis vel adigitur, ut uni duntaxat debeat copulari, vel qua a quibuscumque nuptiis arcetur perperam æquiparari justo ac rationabili interdicto, quo vel unam, vel plures aliquas ducere prohibetur. Illud etenim libertatem evertens perpetuo legimus improbatum, hoc vero innumeris Ecclesiæ Canonibus impedimenta matrimonii statuentibus sexcenties receptum atque commendatum. Cujus discriminis ratio statim apparet; dum uni nubere est a cæteris omnibus nuptiis excludere, at ab aliqua ducenda retrahere, innumeras ducendi arbitrium neque tollit neque minuit. *Placuit, nec videri* (ajebat Juris consultus in *L. Cum ita Legatum sit 42. ff. De condit. & demonstr.*) *tali conditione viduitatem injunctam, cum alii cuilibet satis commode possit nubere.* Non ita vero si uni Titio nubere compellatur. *Quæ enim Titio nubere jubetur, cæteris omnibus nubere prohibetur.* Quod apprime expendit *Berton. in laudato opere de negligen. par. 2. art. 34. num. 36.* ibi. „ Minus est cogere ad non contra„ hendum cum una, quam (cogere) ad contrahendum cum certa, quia contrahendo „ coacte cum certa alligatur perpetuæ servituti, quod est nimis onerosum, ac per hoc „ prohibitum in Trid. sess. 24. cap. 9. de Reform. matrim. addita in cogentem anathe„ matis pœna; non sic in prohibentem cum una contrahere, quia adhuc remanet „ exoneratus & liber cum aliis, qui prohibetur cum illa (62) Et quidem non immerito dixeris huc respexisse S. Synodum, dum ut consuleret libertati ineundi matrimonia, illorum duntaxat meminit qui viros aut mulieres adigunt cum iis invitos matrimonium contrahere, quos ipsi præscripserint, nihil statuens de impedientibus ne cum una, præsertim si indignæ appareant nuptiæ, copulentur; ut post plerosque quos congerit

(62) Confer, quæ diximus sup. in *Admo.* 15. & 17. & alibi.

Digitized by Google

rit adnotavit *Barbos. Collect. ad cit. cap. 9. Trid. num. 9.* & poſt ipſum *Perez. de Mat. ... diſput. 17. ſeſſ. 17. num. 4. Rebel. de oblig. Juſt. par. 2. lib. 3. quæſt. 11. num. 1. Dicaſtillo rem accurate expendens tom. 3. de Sacram. tract. 10. de matrim. diſp. 4. dubit. 14. num. 143. Caſtropal. part. 5. de Sponſal. diſp. 2. punct. 12. num. 7. verſ. Notandum.* Ad hoc tandem facit quod communiter aſſerunt Juris Interpretes de legato relicto ſub conditione ne alicui vel aliquibus nubat. *Neque eſt dubitandum* (Inquit *Steph. Gratian. Diſcept. Forenſ. p. 2. cap. 213. num. 25.*) *de validitate legati, cum illud valeat, quamvis prohibeantur nuptiæ cum aliquo, dummodo alteri poſſit nubere, cum ex hoc non impediatur libertas matrimonii, quoad alios, l. Hoc modo ff. de condit. & demonſtr. Aym. Conſil. 1. nu. 6. Surdus dec. 30. nu. 27. Felin. in cap. 1. de Sponſal.* Et idem *Gratian. part. 1. cap. 5. num. 10.* alios allegans, ac ſubdens *Libertas matrimonii licet non poſſit impediri in totum, tamen poteſt modificari ratione loci, perſonarum, & temporis.*

His latius forſan quam oportebat prænotatis, breviſſime ad objectam difficultatem reſpondemus, longe plurimum differre exemplum Judicis non compellentis ad ſervandam ſponſalium juratam fidem, ab Epiſcopo qui juberet, & a Parocho qui præſentia firmaret indignas ac propterea ſacrilegas nuptias a filiis contrahendas. Nam ille nulli ſe immiſcet crimini, nulli ſe ingerit facinori. Uno verbo agit nihil, & duntaxat abſtinet ab agendo. Neque tamen ideo culpandus, quia fidem violari ſinat, atque jusjurandum frangi non impediat; quippe cum juſtæ ſuppetant ea permittendi rationes ſuperius examinatæ. At vero Epiſcopus dum jungendi nuptias filiis licentiam tribuit, dum Parocho ut aſſiſtat ſuppeditat facultatem, quomodo non ſacrilegii particeps, ſocius, & adjutor, imo & non auctor criminis habendus erit? Imo & potiori quidem jure quomodo non culpandus ſacrilegii, impietatis, cæterorumque criminum quæ nubentes admittunt (63) Parochus, qui niſi adſtet atque ſua præſentia robur addat & firmitatem, peccantes nihil agunt, nec niſi incaſſum valebunt operari? Præſertim injuria infamiaque, quæ ex ratis duntaxat, nunquam ex infirmis nuptiis in parentes, ac familiam redundant, nonne merito ipſis Paſtoribus imputabitur, quorum opera factum eſt, ut connubium firmum & ratum perſeveret? Equidem ſi vendere gladium ei, quem prævides ad vulnerandum Titium gladio uſurum; ſi mulieri quæ ad fornicandum accedit, januam aperire, ſi ſcalam humeris ſuſtinere, per quam dominus ad ſtuprandam virginem aſcendat, numquam licet; ſi hæc agentem ut alieni peccati ſocium atque participem damnant Theologi, culpant Juris Interpretes, puniunt Jura; quomodo Epiſcopus qui jubet, non conſentiet ut matrimonium tantisper fœdetur, & ſancta dentur canibus, ut filii parentes inhonorent, totius proſapiæ minuant honeſtatem? Quomodo Parochus qui talia molientibus præſto eſt, atque ne irritum fiat infauſtum opus præſentiam ſui facit, & Sacerdotii auctoritate confirmat? Quomodo inquam non impietatis, non pollutæ Religionis, non injuſtitiæ, non modo conſcii & participes, verum etiam non accuſabuntur auctores? Utique ſi id non cenſendum, ut loquuntur Theologi, peccato proximi cooperari, difficile prorſus erit dictæ cooperationis quempiam accuſare. De quo videndi Doctores ſcribentes ſuper Propoſitione 51. ex damnatis ab Innocentio XI., præſertim *Joannes Cardenas diſſert. 31. & Dominicus Viva damnat. Theſ. Theol. Trutin. part. 2. prop. 51. pag.* mihi 129. Diſtat inſuper hæc, quam aſſerimus impediendi ſacrilegium matrimonium conſtans Eccleſiæ diſciplina, ab illa cogendi ſponſum, ut cui juratus promiſerat fidem impleat nuptiarum. Namque ſi omnino compellat ducere uxo-

(63) Sane non ignobilis canoniſta Franciſcus Verdius, etſi idem faciles probabiliſmo habenas laxaſſe dicatur, tamen non liberat gravi peccato Parochum indignas filiorum nuptias copulantem: pro qua ſententia complures citat. Verdii ſententiam reperies infra poſt *Addenda* in ſylloge aliquorum auctorum.

uxorem inviſam, timendum valde ne expoſitis abſurdis locus fiat; quorum tamen ſi infames nuptiæ coerceantur, nullus ſubeſt timor. Quin ad illa propulſanda nullum præfato impedimento utilius poterit remedium cogitari. Atque hactenus dicta non temere crediderim ex huc uſque traditis, atque enucleatis auctoritatibus & argumentis ſatis abundeque comprobari.

Expendat igitur lectæ veritatis amator, non tamen forenſium clamoribus turbatus, atque conterritus. Expendat inquam omni præjudicio ſecluſo ad Sacrorum Canonum, ſanioriſque Theologiæ principiorum trutina objecta ab adverſariis momenta rationum ad oppugnandam aſſertam a nobis arcendi indignas præſertim filiorum fam. nuptias diſciplinam; nec dubitandum quin agnoſcat argumenta illa ipſorum cauſæ obeſſe potius, quam prodeſſe, cum ex argumentorum quibus eam tueri conabantur debilitate apertius conſtet, omnino inconcuſſam ſubſiſtere, pro qua pugnamus, veritatem.

Digitized by Google

AUCTARIUM.

I.

Venerabilibus Fratribus Patriarchis Primatibus, Archiepiscopis, & Episcopis.

BENEDICTUS PP. XIV.

VEnerabiles Fratres, salutem & Apostolicam Benedictionem. Satis Vobis compertum esse non dubitamus, *Venerabiles Fratres*, eam semper fuisse piæ Matris Ecclesiæ vigilem curam, ut Sacramentum Matrimonii, magnum ab Apostolo nuncupatum publice, & palam a Fidelibus celebretur. Quod quidem ut diligentius, quam antea factum fuerat, in posterum ab omnibus observaretur, Sancta Tridentina Synodus, Lateranensis Concilii sub Innocentio III. celebrati vestigiis inhærendo præcepit, ut in posterum antequam matrimonium contrahatur, ter a proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festivis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicetur, deindeque, nullo legitime concurrente impedimento, ad illius celebrationem in facie Ecclesiæ coram Parocho vel alio Sacerdote de ipsius Parochi sed Ordinarii licentia, & duobus vel tribus Testibus præsentibus rite procedatur. Voluit etiam eadem S. Synodus, apud Parochum diligenter librum custodiri, in quo conjugum & testium nomina diesque & locus matrimonii describantur.

Providæ tamen hujusmodi leges, tanta auctoritate saluberrime institutæ, prava horum temporum conditione sensim prolabi visæ sunt, & enerves propemodum reddi, ob matrimonia usu nimis recepta, quæ occulte adeo celebrantur, ut illorum notitia, quantum fieri potest, obliteretur, & in tenebris ignorantiæ perpetuo jaceat consepulta. In more etenim positum est, illa celebrari nullis præviis factis denunciationibus, coram solo Parocho, vel alio Sacerdote de ejus licentia, adhibita præsentia tantum duorum testium apposite a contrahentibus advocatorum, quorum fides nemini illorum est suspecta, remque peragi sæpe extra Ecclesiam, quandoque etiam intra illam, januis tamen occulsis, vel eo temporis momento quo semota alterius cujusvis præsentia, scientia initi matrimonii, præter Parochi, contrahentium, testium personas, alios penitus effugiat.

Quantum a Sacramenti dignitate, & Ecclesiasticarum legum præscripto occulta hæc matrimonia, conscientiæ vulgo nuncupata, ut plurimum abhorreant, satis superque conjicere quis poterit, qui mentis aciem ad exitiosos illorum effectus convertat. Hinc enim gravia ortum habent peccata, præsertim vero eorum, qui Divini Judicii intermatione posthabita, priore uxore, cum qua contraxerunt, relicta, cum alia spe futuri matrimonii decepta, & in turpem secum vivendi licentiam abducta, palam contrahere promittunt. Quorundam vero mentem ita pravæ cupiditates excæcant, ut novum contrahere secretum matrimonium audeant post alterum secreto itidem contractum, & nondum prioris conjugis morte solutum, seseque magno scelere polygamos reddant. Alii etiam eo impudentiæ devenere, ut in hujus magni Sacramenti contemptum, post primas secreto initas, alteras aut publice, aut privatim nuptias contrahendo, sese audaci polygamia pariter innodare non perhorrescant. Age vero quam gravia, quam nullo pacto ferenda ex his matrimoniis mala oriuntur! Si enim ad quamquunque matrimonii suspicionem summovendam, virum seorsum a muliere vivere contingat, sublata est illico individua vitæ consuetudo, & contemptum est verbum Domini. Adhærebit homo uxori suæ, & erunt duo in carne una. Sin

hæc

hæc vitæ consuetudo servetur; nemo est, qui illam criminis non arguat; & ut pote detestabilem, in scandali materiam non traducat. Neque illata per scandalum dispendia rependit subsecuta celebratio occulti matrimonii, quod in tenebris delitescit, & ab omnibus ignoratur.

Leviora quoque damna non sunt, quæ susceptæ proli irrogantur: Sæpe enim contingit, illam a parentibus, & e matre præsertim amotam, nec pie, nec liberaliter institui: sed incertis fortunæ casibus objectam relinqui, nisi etiam parentes ipsi contra naturæ leges, ausu nefario illius vitæ insidientur. Ubi vero tam immane facinus parentes deterreat, illosque ad sobolem alendam, instituendamque humanitas ipsa compellat, alia imminet liberis susceptis ex occulto matrimonio lugenda avitarum facultatum, & bonorum jactura, pro quorum possessione assequenda quamvis clament jura sanguinis, illis tamen careant necesse est propter occulta parentum matrimonia, & ademptam legitimationis, & filiationis probationem. Huic etiam malorum origini sunt referenda ipsa quoque secreta matrimonia contracta a FILIIS FAM. CONTRA PATRIS juste dissentientis voluntatem, ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet. Quid plura? Adeo invaluit malitia, ut quandoque in minoribus Ordinibus constituti Pensiones, & Beneficia, ad Divinum cultum, & Ecclesiastica munia instituta etiam post initum clam matrimonium retinuerint, sibique de mammona iniquitatis loculos miserrime comparaverint.

Deflenda hæc igitur potius uberibus lacrymis, quam latiore calamo explicanda malorum congeries, cum ex hac Apostolicæ Sedis specula omnes sibi vindicet nostræ vigilantiæ curas: temperare non possumus, quin Vos ipsos Venarabiles Fratres, in partem nostræ sollicitudinis evocantes, vestram pietatem, & zelum excitemus ad custodiendas vigilias noctis super Grege vobis credito, quem luctuosa horum temporum conditio in discrimen adducit. Primum itaque periculi non infrequens occasio Vos reddat difficiliores ad remittendum publicationes a quibus contracturi matrimonium sæpe per malitiosam suggestionem petunt dispensari. Quam caute, solerterque oporteat ea in re Episcopos versari, non obscura Vobis a Concilio Tridentino exhibentur argumenta. Si enim (ait eadem Sancta Synodus) probabilis fuerit suspicio, matrimonium malitiose impediri posse, si præcesserint denunciationes: tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel saltem Parocho, & duobus Testibus præsentibus matrimonium celebretur, & deinde ante illius consummationem denunciationes in Ecclesia fiant, ut si aliqua subsunt impedimenta, facilius detegantur. Præterea licet Episcopo relictum sit omnimode super denunciationibus dispensare, hæc tamen facultas, non a sola dispensantis voluntate pendet, sed a Tridentino coercetur artis prudentiæ, discretique arbitrii legibus: quod idem est, ac legitimam causam dispensationis requirere.

Parem quoque, imo fortasse majorem vigilantiam necesse est a Vobis adhiberi, ne post remissas denunciationes celebretur matrimonium coram Parocho, vel alio Sacerdote ab ipso Parocho, vel a Vobis deputato, præsentibus duobus, vel tribus testibus confidentibus, ne ulla celebrationis notitia, vel rumor oriatur. Id enim, ut ad præscriptum Sacrorum Canonum licite fieri possit, non satis est obvia quævis, & vulgaris causa, sed gravis urgens, & urgentissima requitur. A Sacro Nostræ Pœnitentiariæ Tribunali eo potissimum casu sit potestas ita celebrandi matrimonium, quo vir, & femina in figura matrimonii publice degentes, de quibus nulla viget criminis suspicio, in occulto tamen concubinatu perseverent. Facile enim quisque conjiciet, quam absonum esset, eos a statu damnationis per gratiam Sacramenti revocandos ad publice contrahendum matrimonium præviis denunciationibus compelli. Hanc vero praxim Vobis duximus proponendam, non quia dispensatio præmisso casui solum congruat, cum alii similes, & fortasse urgentiores esse possint in quibus dispensari expediat, sed quia vestri Pastoralis officii partes versari debent in

sedulo investiganda legitima, & urgenti causa dispensationis, ne matrimonia occulte celebrata luctuosos habeant exitus, quos intimo cordis moerore recensuimus.

Hunc porro in scopum Vos hortamur, & impense admonemus, ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat a Vobis inquisitio. An scilicet ejus qualitatis, gradus, & conditionis sint, quæ id probe exposcant: an sint sui, vel alieni juris: An FILIIFAM. quorum nuptiæ Patri juste dissentienti sit invisæ; ab Episcopali etenim, quod geritis, munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem. An res sit de personis Ecclesiasticis, licet in minoribus ordinibus constitutis, pensiones, & Beneficia Ecclesiastica obtinentibus, ut detestabilis illorum retentio in statu uxorato congruis remediis postea compescatur. Potissimum vero curet vestra sollicitudo, antequam secreti matrimonii licentia concedatur, quod contrahentes clara & indubia, & a quavis fraude immunia exhibeant documenta status liberi ad evertendum ab iis, qui improbi sunt ingenii polygamiæ periculum.

Quod attinet ad Ministrum secreti matrimonii, volumus ad id munus deputari Parochum alterius ex contrahentibus, quem notitia personarum, experientia, & diuturnus rerum usus quovis Sacerdote extraneo peritiorem effeciisse præsumuntur. Si quæ tamen Vobis occurrant circumstantiæ, quæ alium Sacerdotem loco Parochi exposcere videantur, gravi impellente causa is Sacerdos a Vobis eligatur, qui probitate, doctrina, & obeundi muneris peritia commendetur. Uni tamen, aut alteri Sacramenti Ministro a Vobis deputando districte præcipiatur, ne matrimonio intersit nisi prius paterna caritate conjuges in Domino monuerit, sobolem procreandam regenerari quam primum oportere Sacro Baptismatis lavacro, ac Christo Judici districtam reddituros esse rationem, nisi filios ut legitimos agnoverint, eosque pietate, bonisque moribus imbuerint, & frui patiantur bonis temporalibus, a majoribus in supremis tabulis relictis, vel provida legum auctoritate delatis.

Celebrato autem matrimonio, indilate a Parocho, vel alio Sacerdote, coram quo initum est, exhibeatur Episcopo illius scriptum documentum cum nota loci, & temporis testiumque, qui celebrationi interfuerunt. Vestrum erit postea diligenter incumbere, quod ad perennem gestæ rei memoriam præfatum documentum fideliter transcribatur in libro prorsus distincto ab altero, in quo matrimonia publice contracta de more adnotantur. Hujusmodi liber pro matrimoniis secretis apposite compactus, clausus, & sigillis obsignatus, in vestra Episcopali Cancellaria caute erit custodiendus. Et eo tantum casu resignari, & aperiri vestra accedente licentia patiemini, quo alia id genus matrimonia describi oporteat, vel id sibi vindicet justitiæ administrandæ necessitas, vel denum aliquod documentum ab eo exposcant verum interesse habentes, quibus probationum aliunde petendarum non suppetit copia. Sedulo tamen animadverteatis, quod re absoluta denuo claudatur, & sigillis, ut antea obsignetur. Fides, seu attestationes clam celebrati matrimonii a Parocho, vel Sacerdote, qui vices Parochi gessit, exarandæ, Vobisque exhibendæ, transcribantur in dicto libro, prout jacent de verbo ad verbum a persona a Vobis deputanda, quæ apud omnes integritatis, probatique nominis luculentum habeat testimonium. Fides vero, & attestationes ipsæ in secretiori loco sartæ tectæque a Vobis serventur.

Quod si ex occulto hujusmodi matrimonio prolem nasci contingat, eadem mundetur salutari aqua Baptismi in Ecclesia in qua aliis infantibus hoc Sacramentum indistincte confertur. Et quia ad operiendum clam initum matrimonium facile est in libro Baptizatorum nulla fieri mentionem parentum, & eorum nomina consulto reticeri: volumus, ac expresse mandamus quod a Patre baptizati, eoque defuncto, ab illius Matre suscepta prole vobis denuncietur, dictaque denunciatio fiat vel immediate per parentes ipsos, vel per litteras eorum charactere exaratas, vel per fide dignam Personam ab ipsis parentibus designatam, ut certo, & clare vobis constet, quod

proles

proles tali loco, & tempore vel reticitis, vel falso expressis nominibus parentum baptizata est legitima, licet occulti matrimonii fœdere procreata. Quæ sane omnia, cum vobis innotuerint, ne illorum excidat memoria, in libro fideliter describentur ab eo, cui facta a Vobis est potestas adnotandi matrimonia occulte celebrata. Liber, in quem baptizatorum, ac utriusque parentis nomina referentur, quamvis distingui debeat ab altero matrimoniorum; eadem tamen diligentia iisdemque cautelis in Cancellaria Episcopali clausus, & sigillis obsignatus, erit custodiendus, prout librum matrimoniorum caute custodiri supra mandavimus.

Quia vero nonnulli deesse non possunt, qui propriæ conscientiæ vocibus obsurdescant, & nostris hisce mandatis parere negligant: debita pœnarum districtione pro modo culpæ a Vobis puniantur. Quinimmo cum satis Nobis experientia compertum sit, in hujusmodi negotiis homines, in terram oculos declinantes ob humanos respectus tardiores effici, & a recte agendi semita revocari: mandamus idcirco, matrimonia occulta Vobis evulgari & nota fieri, si certo Vobis constiterit, ex aliquo matrimonio occulto procreatam fuisse sobolem, & baptizatam suppressis parentum nominibus, nulla præstita Vobis notitia, ut par erat, ab illius parentibus infra triginta dies a nativitate numerandos.

Ne autem contumaces, & inobedientes violatæ fidei proditique secreti Pastores suos insimulent; sedulo a Vobis curandum est, ut a Parocho, vel alio Sacerdote pro secreta celebratione matrimonii a Vobis deputando, conjuges clare, & aperte moneantur, ea lege, & pacto illis permitti secreti matrimonii celebrationem, ut soboles inde procreanda non solum regeneretur sacro baptismate, sed post baptisma denuncietur Episcopo cum nota loci, & temporis administrati Sacramenti, ac fincera indicatione parentum a quibus ortum habuit, quemadmodum supra præmissum est. Alioquin matrimonium licet contractum data per Episcopum secreti fide, in lucem profertur in gratiam filiorum, & ad propulsandam ab illis gravem nulloque pacto ferendam jacturam. Volumus denique, ac mandamus, fides, seu attestationes matrimonii clam initi, & sobolis ex eo procreatæ excerptas ex dictis libris, modo, quo dictum est, apud Vos caute custodiendis tantam promereri fidem, quantam sibi alii libri Parochiales baptismatis, & matrimonii vindicare consueverunt.

Hæc a vobis, Venerabiles Fratres, in hac temporum calamitate observari enixe præcipimus ad communem animarum salutem, & ad præsidium Ecclesiasticæ disciplinæ, propter invalescentem hominum malitiam nova semper detrimenta vel patientis, vel reformidantis. Cæterum nostris hisce litteris sublata nolumus ea validiora remedia, quæ huic malo in diem ingruenti consona dignoscet prudentia vestra ad Pastorale officium cumulate obeundum. Vobis interea paternæ caritatis, & benevolentiæ testem, Apostolicam Benedictionem impertimur.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem die 17. Novemb. 1741. Pontificatus Nostri anno secundo.

II.

Digitized by Google

II.

EX ROBERTI REGIS CAPITULIS:

Statutum contra raptores virginum sub colore matrimonii. Anno 1332.

ROBertus Dei gratia Rex &c. Universis præsentis edicti seriem inspecturis &c. Ut sine mortalis peccati discrimine copularetur caro carni, ac honestis & fidelibus incrementis humanum genus excresceret, & multiplicaretur in terris a Divina Providentia fuisse noscitur institutum, ut ordinatis accessibus Divino timore, non quidem in desiderii morbo, filii Dei filiabus hominum jungerentur, sed in matrimoniis contrahendis ad invicem provida cæterum sanctione introductus certus ordo modusque statutus, qui cum approbati sint tamquam digne colendi, circa talia ubilibet obtinent, servantque communiter cultores nostræ fidei Christianæ, &c. *Deinde, ubi pluribus verbis conquestus esset, mulieres dolosis actibus ac suasionibus circumventas nunc voluntarias nunc invitas de parentum domibus clandestine rapi, & cum iis matrimonia jungi, omissis præambulis sollemnitatibus: sic addit.* Præire namque solet in talibus parentum ac aliorum consanguineorum utriusque partis præmatura & consulta provisio, estque in contrahentium conditionibus ÆQUALITATIS seu PARITATIS, vel quasi, compensatio & comparatio facienda. Postq. requiri & haberi consuevit, & debet a legum peritis consilium omni studio & maturitate digestum, & conventiones & pacta inter eos proinde mutuo inienda; ut quæ sint facti, juris colore fulciantur: quibus initis & firmatis, sequi debent inter sponsum & sponsam patenter & coram amicorum communium multitudine authentica & sollemnia sponsalia in facie Ecclesiæ: deinde secundum quod Christiana Religio exigit, & approbata pariter observatio celebranda. Demum taliter desponsati, & a Sacerdote, ut moris est, in Ecclesia Benedicti, debent in casto conjugali toro, prout tanti sacramenti requirit honestas & celebritas suggerit, , pariter convenire.

III.

GENTIANUS HERVETUS.

QUum summus sui temporis Canonista ac Theologus esset, ac suis in operibus de Ecclesia egregie meritus, orationem scripsit in Concilio Tridentino a se habendam, qua suadere nitebatur, ut Sacrosancti Patres matrimonia filiorum fam. injussu patrio contracta, irrita esse sancirent. Ea quidem oratio propter Concilii suspensionem dicta non fuit: verum illa eodem, quo scripta fuit, an. 1555. Facultatis Parisiensis permissu est edita, hoc est decennio antequam Decretum *de Reform. matrim.* in Concilio fieret. Eaque Oratio omnium excepta plausu, pluries deinceps recusa fuit. Quippe eam Auctor Ecclesiæ judicio subjecerat, antequam quidpiam ea de re definiretur. Poterat ea quidem heic non inutiliter inseri (quippe quæ id hodie saltem evincet, ea conjugia esse impedienda, ne fiant; quando facta Concilium rata esse, statuit) nisi longior fuisset. Non gravabaor tamen pauca saltem ex ea decerpere. Quatuor ille ex fontibus suasionis argumenta depromit, ex Vetere, Novoque Fœdere, ex Jure Civili, ex Jure Canonico. De Scriptura sic incipit, ut, ubi de Isaaci cum Rebecca, Jacobi cum Labani filiabus nuptiis apte ad suadendum quod proposuerat, differuisset: sic addat: „ Porro autem, non fuisse eo tempore

„ verum

„ verum matrimonium, nisi filiæ fam. voluntati paternus etiam consensus accede-
„ ret, eos quoque sensisse, qui erant a Dei cultu alieni, testatur Sichem, qui cum
„ Dinæ Jacobi & Liæ filiæ stuprum attulisset, & blandis verbis .... pellexisset, a
„ patre suo contendit, ut eam sibi uxorem a Jacobo Dinæ patre petat, non factu-
„ rus, si solum puellæ consensum, quem amatoriis verbis & illecebris jam sibi con-
„ ciliaverat, satis esse, putasset „. Deinde aliis utriusque Fœderis locis luculenter tractatis, ad Jus Civile, postremo ad Canonicum se transfert.

Ac Jus Canonicum ingredienti Herveto nihil antiquius visum fuit Evaristi Epistola ad Episcopos Africæ, quam Gratianus retulit Can. *Aliter* xxx. q. 5. Ejus autem Canonis satis amplam ac nervosam explenationem affert, nihil de *nobili* subodoratus. Quid mirum, quando ne Contio quidem id suboluerat? Qui in commentario quem ann. 1557. ad Henrici II. Edictum de Matrim. filior. fam. edidit, eum canonem pro sincero habuit. Etsi idem postea ubi an. 1570. Decreti correctionem dedit, ad Can. *Aliter* adnotavit, *Omnia ista Evaristi decreta videri posse supposititia.* Idem Contius in Comm. Edictum Henric. ad eam Evaristi Epistolam ampliorem affert: ac præterea illa verba, *nisi voluntas propria suffragaverit* (in quibus æstuant interpp.) in vetusto Cod. M. S. Conciliorum sic reperit *Etiamsi voluntas propria &c.* quæ omnem difficultatem tollunt. Sed tamen ajo vulgatam lectionem meliorem esse. Nam illud, *Nisi voluntas propria suffragaverit, & vota succurrerint legitima*, hanc habet vim, ut ostendatur, duo requiri, ut eæ conjunctiones ex fornicationibus evadant legitimæ; *Unum*, ait Hervetius, *ut priori consensui sequens eorum voluntas* (qui cæteroqui recedere ab invalido conjugio potuissent) *suffragetur .... alterum, ut id patris consensu confirmetur .... patris enim consensum, legitimum votum vocat.* Atque id est, quod Basilius, ait, *Reconciliatis parentibus, videtur res remedium accipere.* Antequam hinc abeo: Evaristi Epistolam, si non genuinum ejus fetum, at esse tamen multo antiquiorem, quam vulgo putant, mihi persuadeo. Sed non id nunc agimus.

Atque is locus, qui de Jure Pontificio est, ita apud Hervetum utramque paginam facit, ut & pulcherrimas Canonum sibi faventium interpretationes afferat, & contrariorum solutiones egregias. Præ cæteris lectu dignissima sunt, quæ de Decretali Lucii III. *cap: cum causam extra de rapt.* (*quod*, ait Gentianus, *ii qui contrariam, tuentur sententiam, videntur constituisse arcem suæ opinionis*) quibus nihil est accuratius solidiusque. Quæ tametsi longiora sunt, quam ut huc afferantur; tamen licebit huc ultima verba afferre. „ Respondet autem Pontifex Lucius ... *quod cum ibi raptus*
„ *dicatur admitti, ubi nil ante de nuptiis agitur: iste raptor dici non debet, cum ha-*
„ *buerit mulieris assensum, & prius eam desponsaverit* (hoc est legitime sibi a paren-
„ tibus desponsam habuerit) *quam cognoverit: licet parentes* (postea) *reclamarent, a*
„ *quibus eam dicitur rapuisse.* Quasi diceret, etsi eam dicatur rapuisse, quam invitis abduxit parentibus: eum tamen is raptum non admittat, qui suam sponsam abducit; non est raptor censendus. Ex hoc itaque Capite hoc solum elici
„ potest, raptum in sponsam propriam non admitti Jure Pontificio, & id in hoc
„ differre a Jure Civili „. Atque huc refer quæ supra in Diatriba ad Can. Illiber. disseruimus de sponsaliorum fide non violanda. Sane Sponsalia sine parentum consensu ne Jure Canonico quidem rite fiebant. At quam semel parentes ultro despondissent, eam poterat sponsus ex Jure Canon. a parentibus impune abducere, inquit Pontifex.

Mitto quod antiquos de raptoribus Canones scitissime & ex vero interpretatur: & quid interfit inter servos, (quibus Alexander III. dat contrahendi nuptias injussu dominorum veniam) interque filios, docet: ut alia sexcenta taceam. Omnino quæ de Jure Pontificio disserit, sunt sane quam accuratissima ac solidissima. Id solum doleo, quod inter antiquos ac recentes Canones non satis distinguit. Nam etsi prioribus sæculis filiorum conjugia paternus irritabat dissensus; tamen post XII. sæculum

lum cœpit in occidente ea disciplina paullatim mutari. Itaut Tridentini Patres novam in eo disciplinam induxisse, sed eam secuti videantur, quæ jamdiu præscriptionis se jure tuebatur.

IV.

CARDINALIS BELLARMINUS.

In de Matrimonio Cap. XIX.

TErtia propositio: *Peccant filii quando sine justa, & rationabili causa parentibus insciis, vel invitis Matrimonia contrahunt.* Dixi: *sine justa, & rationabili causa*, quia potest fieri, ut filius non peccet inscio patre uxorem ducendo, quia nimirum credit patrem id ratum habiturum, & hoc modo Tobias inscio patre uxorem duxit. Potest etiam fieri, ut non peccet filius invito patre uxorem ducendo, ut si pater injuste prohibeat filium a conjugio, vel causa majoris dotis nonnisi indignam mulierem, aut etiam hæreticam ei dare velit. Ut plurimum tamen peccant filii, cum non sequuntur in hac re parentum voluntatem. Nam ut plurimum parentes sunt prudentiores, neque periculum est, ut filiis male consultum velint, cum eos naturaliter diligant. Præterea parentum est, filiis prospicere, eosque dirigere: ergo filiorum est, sinere se a parentibus regi ac duci. Et habemus exempla ac testimonia in scripturis perspicua. Genes. cap. 24. Isaac accipit uxorem, quam pater ei dedit, & Rebecca uxor ipsius, consilium patris sui in ea re secuta est, de qua re disputans Ambrosius lib. 1. de Abraham cap. ultimo, multa ad hoc propositum adfert, & inter alia laudat versus Euripidis, qui virginem ita loquentem introducit: *Sponsalium quidem meorum pater curam subibit: hoc enim non est meum.* Et in epist. 34. ad Syssinnium, dicit eum juste indignatum, quod se inscio filius uxorem ducere voluisset.

Exod. 34. & Deuter. 7. præceptum de matrimonio filiorum, parentibus potius datur, quam filiis, ne jungantur videlicet cum Chananeis: *Filiam tuam non dabis filio ejus; nec filiam illius accipies filio tuo.* Et Isaac aperte jussit filio suo Iacob, ut non acciperet uxorem de filiabus Palæstinorum, sed aliquam ex filiabus Laban, quod & ille obedienter fecit. Genes. 28. Dices, si potest pater filio imperare, ut uxorem, & talem uxorem ducat, ergo potest cogere, ut ducat vel non ducat uxorem, quod est contra primam propositionem. Respondeo, tribus modis potest intelligi, ut pater dicatur filium cogere ad matrimonium. Primo, ut filium plane dissentientem, & invitum pater cogat vivere cum aliqua, quam velit ejus uxorem esse: & hoc non potest fieri, & si fiat, matrimonium est nullum, & hoc proprie in prima propositione assertum est. Secundo ut filium assentiri cogat, injecto metu mortis, aut alio cadente in constantem virum, & hoc etiam patri minime licet. Neque Matrimonium illud esset ratum: quoniam ad matrimonium non solum consensus, sed etiam consensus liberrimus contrahentium exigitur, cum matrimonium sit vinculum perpetuum, & natura sua benevolentiam & amicitiam, eamque summam requirat. Tertio, ut filium ad assentiendum inducat, auctoritate paterna imperando, quando revera filio id conducit, ita ut secundum rectam rationem dissentire non possit: & hoc patri licet, & filius obedire tenetur. Quemadmodum etiam cum filio expedit comedere talem aut talem cibum, & tali vel tali abstinere, potest parens jubere, & filius tenetur parere. Et licet hoc etiam sit suo modo cogere, & metum incutere mortis æternæ: non tamen propterea matrimonium illud diceretur coactum, neque irritum esset, quia metus ille gehennæ non proprie incutitur ad hoc, ut iste uxorem ducat, sed per se consequitur præcepti transgressionem.

Idem

Digitized by Google

Idem cap. 20. in respons. ad argumenta Leunitii, ad secundi Argumenti primam partem hæc inter cætera habet.

Si enim tantum ad explendam libidinem, temere, sine consilio parentum conjugium ineatur, non erit auctor Deus, sed Diabolus ejus conjugii, quod attinet ad voluntatem suscipientium: licet ejusdem conjugii auctor sit Deus, quod attinet ad Sacramenti ejus essentiam.

In responsione ad probationem assumptionis 2. syllogismi ait.

Quare obediendum est patri per omnia, etiam in contrahendo conjugio, si juste & secundum Deum præcipiat: & ideo, qui id non facit, peccat.

V.

CARDINALIS PALLAVICINUS.

Hist. Conc. Trid. lib. XXII. cap. 4.

IL Decreto (*de Reformatione Matrimonii*) ritornò sotto la lima più volte .... Quello formato la prima volta da' deputati era tale a punto: *La Sacrosanta Chiesa di Dio &c.... Oltre a ciò lo stesso Concilio annulla que' matrimonj, i quali saranno contratti da' figliuoli di famiglia innanzi all' anno decim' ottavo finito, e dalle figliuole innanzi al 16. finito, senza consenso de' genitori.* La seconda volta, cioè a 7. Agosto il medesimo decreto fu proposto diversificato in questa maniera. *Ordina il Santo Concilio &c..... Intorno a' figliuoli di famiglia fù variato sì fattamente, che 'l matrimonio de' maschi senza il consenso de' parenti fosse nullo prima de' venti anni finiti, e quel delle femmine prima de' diciotto finiti eccetto se i parenti richiesti di tal consenso per nozze onestamente desiderate da' figliuoli, iniquamente (a giudicio del Prelato) vi dissentissero, e i figliuoli con licenza del Prelato contraessero il matrimonio.*

VI.

FRANC. SALERNUS J. C. CANONIC. PANORM.

HIc lib. 1. *Consiliorum* hoc argumentum præfigit Consilio XV. *Matrimonium firmum esse absque parentum consensu, etsi illicitum, ac proinde sancte interdictum, Ad cap. 72. Caroli V.* Deinde sic incipit.

„ 1. In cap. 72. Caroli Imperatoris hæc vernacula lingua Siculi ab eodem efflagitarunt. *Item imperochè in questo Regno havi più volti accaduto che multi, ausu temerario, con violentia & inganni, seu persuasioni, pigliano figlio, seu figlia minuri di anni dicidotto, senza volontà de' loro parenti, per casarli & collocarli ad matrimoneo con loro proprj, seu figli, o altri persuni non senza grandissimo desservitio dilo Eterno Dio, & injuria delli parenti: per tanto supplica lo detto Regno, plaza a Vostra Cesarea Maestà comandari, & ordinari, che qualsivoglia persuna, che de cetero piglierà figlio, o figlia di alcuno senza la volontà di loro naturi, seu curaturi, ad minus de dui parenti li più stretti, che tui questo presumerà fari, o a tali attu intervenirà, sia in pena dela vitu; & confiscationi deli beni, lu quali nullo unquam tempore possi esseri admisso ad alcuna composizione.* „ Hisce a Regno precibus porrectis respondit Imperator: *Placet Cæsareæ Majesti.*

„ 2. Interdictum ergo remanet Siculis sub ultimi supplicii, ac bonorum publicationis poena ne matrimonia cum minoribus decem & octo annorum absque curatoris aut duorum propinquorum voluntate, contrahere filios aliosve procurent.

„ Sed

„ Sed hæc lex quibusdam æquo severior, aliis penitus iniqua proindeque nullius mo-
„ menti visa est. Ac prioribus quidem mortis pœnam ac publicationis bonorum atro-
„ cioribus criminibus debitam, levioribus (ut hoc, quo de agimus, putant) at-
„ tribui nimis rigidum videbatur: posterioribus vero erat iniqua atque prorsus injus-
„ ta, quod matrimonii libertatem a Sacris Canonibus requisitam prorsus invertere
„ videbatur. Ego vero existimo utramque opinionem falsam censeri debere, si lex
„ recte intelligatur: id quod ex iis, quæ modo subjiciam fiet manifestum. Moneo
„ tamen in Gallia simile huic nostræ legi edictum reperiri, ut refert *Rebuffus in*
„ *leg. Marcellus versic. Rapta est ff. de ver. sign.* ubi aliam quoque non absimilem
„ Caroli V. ordinationem anno 1540. editam, refert.

Deinde a num. 3. ad 17. in eo totus est Auctor, ut probet contra Protestantes, matrimonium injussu parentum contractum esse ratum ac validum. Mox n. 18. 19. 20. contendit hujusmodi matrimonia, etsi sint valida tamen esse illicita; nec aliud ex Protestantium argumentis sequi, quam quod sint illicita. Ubi num. 18. notanda sunt illa Auctoris verba: *Etsi pater nullam habeat potestatem quoad matrimonium absolute contrahendum vel non contrahendum: obtinet nihilominus jus quodpiam quoad modum contrahendi, ut scilicet cum hac illave persona ineatur, vel minime ineatur, ut mox uberius exponemus*: nim. num. 22. & seq. Nam ubi Auctor num. 21. Sancii sententiam retulisset putantis, *obstringi filios sub lethali culpa consilium parentum petere circa matrimonium contrahendum, non tamen illud sequi* (a) idque ex *S. Thoma 2. 2. quæst. 104. art. 5. in corp.* doceri affirmantis: optime Salernus totum hoc confutat num. 22. distinguens inter substantiam matrimonii (in qua non tenetur parere patri, puta jubenti aut vetanti nubere) & modum ejusdem, puta ne cum hac illave persona quis jungatur: in quo teneri filium patri obtemperare, docet. Nec aliud voluisse S. Thomam Auctor ostendit numer. 23. Ac deinde numer. 24. eam culpam non venialem, sed lethiferam esse definit, quippe in re maximi momenti. Quod & sequen. numeris exsequitur in hunc modum.

„ 25. Sane culpam hanc esse gravissimam, hisce rationibus probatur: primum
„ quidem ex Sacris litteris is locis, ubi munus parentibus tribuitur liberorum nu-
„ ptiis tradendorum puta Deut. 7. ibi: *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam*
„ *illius accipies filio tuo*. Sap. 7. *Da filiam tuam viro prudenti*. Et 1. Cor. 7. & ex
„ eis scripturæ exemplis, quæ retulit Bellarm. Sed disce quidem locis innuitur
„ duntaxat honestum id valde esse, non vero præceptum ....

„ 26. Probatur igitur efficacius ex *cap. 1. 3. 4. 30. qu. 5. cap. Honorantur 32. qu. 2.*
„ aliisque quæ contra primam nostram assertionem adversarii ne dum ex Jure Ca-
„ nonum sed etiam ex Cæsareo protulere: quibus certe satis innuitur parentum
„ consensum ad honeste contrahendum requiri: idque naturalem quoque rationem
„ suadere scite censuit Justin. in §. 1. *inst. de nuptiis*. Quam deinde colligit ex præ-
„ cepto Decalogi, & jure naturali de honorandis parentibus, in re præsertim tan-
„ ti momenti.

„ 27. Quamobrem sancte Trid. Synodus loc. sup. laud. hujusmodi matrimonia si-
„ cuti & clandestina *semper detestata est atque prohibuit*: ut etiam monuit *Germo-*
„ *nius cap. 11. cit. in fine*. Ac recte S. Ambr..... illud Euripidis laudat, *Sponsalio-*
„ *rum quidem meorum Pater meus curam subibit, hoc enim non est meum*. Et se-

„ nex

(a) Hanc sententiam etiam nuperus Canonista Anacletus sequitur, modo sint æqualia matrimonia. Sed non video, quid hac opinione sit absurdius. Hoccine est honorem habere? annon potius est illudere? Omnino (nisi pater injuria dissentiat) tenetur & sequi. Nec valet Anacleti argumentum petitum a Prælato, qui in multis tenetur exquirere Capituli consilium, non item sequi. Quid enim simile? Prælatus superior est, filius subditus: ille judicio pollet, hunc judicii infirmitas, & cæcæ affectiones transversum agunt.

„ nex ille Simo in Andria Terentiana. *Adeon impotenti est animo, ut præter civium*
„ *Morem atque legem & sui voluntatem patris, tamen hanc habere studeat cum summo*
„ *probro?* Alias hujusce sententiæ rationes apud laudatos sæpe doctores, & *Ruar-*
„ *dum Tapperum in explicatione art.* 20. *Lovaniensium* consulere licet.....

„ 28. Neque vero putes quidquam obstare, quod Sanchez nobis objectat, puta
„ quod homo per matrimonii contractum perpetuæ subditur servituti, proindeque
„ rectam rationem postulare, ut in illo contrahendo omnino sit liber.... Etenim
„ præterquam quod ea servitus non vera, sed quasi servitus a *S. Thom. in Supp. 3.*
„ *p. qu.* 47. *art.* 6. *in corp.* existimatur.... homo penitus, liber existit; poterit nam-
„ que ei sese subdere vel non subdere prout ipsi libuerit, etiam parentibus pror-
„ sus invitis, ut sup. satis expositum. Quod vero huic illive subjiciatur nil mirum
„ esse debet, quod in eo a parentum consensu dependeat..... Quod parentibus
„ liberorum bono indultum est, quo scilicet iis bene consulant in re maximi pon-
„ deris ac momenti.

Mox num. 26. Salernus Sancii objectionem refellit, quæ talis est. *Nemo ad id, quod est culpa, obligari potest: at promittens alteri clam matrimonium, implere omnino tenetur: non erit igitur peccatum.* Hanc fateor objectionem haud satis feliciter Noster convellit. Vera responsio hæc erat: in eo syllogismo falsam esse assumptionem, neque enim sponsalia filiorumfam. patre juste dissentiente, sunt obligatoria, ut optime ostensum a Muscetula fuit Dub. IV. & rursum a nobis in longiore Mantissa argumenti ejusdem.

Num. 30. confutat Sancium docentem, conditionem hanc legato adjectam, *Si filius uxorem cum parentis consensu ducat*, secundum plures Doctores esse rejiciendam. Nam & contrariam opinionem esse veriorem dicit: & qui Doctores prius illud docent, eos *loqui censendum est absolute, & quoad matrimonii substantiam* (nim. si conjugalem vitam amplectatur filius; idque ut moris est, cum assensu patrio) *non vero quoad modum*, inquit Noster.

Ac postremo num. 31. respondet argumento ducto ex cap. *cum olim, de arbit.* cui nos in superiore Adnot. respondimus.

Eo labore defunctus Auctor, deinde ingreditur ad legis Carolinæ tractationem, ac subjicit. „ Atque ex hac postrema doctrina, quam huc usque probavimus, in-
„ fertur manifeste, a Statuto quopiam hoc ipsum matrimonium, quod illicite in-
„ vitis parentibus initur, posse justissime prohiberi atque etiam puniri, quippe
„ quod in malos mores animadvertit, ut expressim contra *Innocentium* edocuit *Bald.*
„ *in l. omnem num.* 12. *C. ad S. C. Tertull. quia*, inquit, *contrahere sine consensu pa-*
„ *tris est contra bonos mores omnium & maxime prudentum, & ideo valet statutum*
„ (puta plectens contrahentem matrimonium cum filiofam. absque patris consen-
„ su) *non quia vetat substantiam matrimonii, hoc enim non potest facere nisi Papa,*
„ *sed quia punit malos mores & in Republica facinora seminantes.*

„ 33. Et hujuscemodi laicorum legem vel statutum valere docet *Cevall. loc. cit.*
„ *num.* 6. *post Sarmien. loc. cit. Innocent. in cap. fin. de secundis nupt. Bald. in rub. de*
„ *constit. in fine, & in cap. tenor de re judic. & in cap. Clerici de judic. Palac. rub.*
„ *in cap. per vestras de donation. notat.* 3. §. 3. *num.* 9. Alios idem censentes laudat
„ *P. Diana tract.* 2. *de immun. Eccles. resol.* 74. *&* 104. vide *add. Bald. & Lud. Rom.*
„ *aliosque in rub. ff. sol. matr., & And. Sicul. in Cons. ult. num.* 12. *vol.* 2. *& in*
„ *add. ad Bald.* qui hanc sententiam profitentur, & sane Romanas leges, quæ fi-
„ lios (istos).... exheredant, justas esse, neque a Pontif. jure correctas, docent
„ innumeri Theologi ac JCti.

„ 34. Et quamvis matrimonium sit Ecclesiæ Sacramentum proindeque ad ipsam
„ spectent matrimoniales caussæ, legesque circa matrim. stabilire *cap. tuam de or-*
„ *din. cog. cap. causam* 2. *qui fil. sint leg. cap.* 1. *de sponsal.* aliisque & *Conc. Trid.*

„ *ſeſſ.* 24. *can.* 12. nihilominus quoniam & matrimonium contractus quidam eſt „ naturalis & politicus, poterit ſane ſæcularis poteſtas curare, ut convenienter „ debitoque modo fiat, ut pax quieſque Reipub. conſervetur, ab eaque perturba- „ tiones & rixæ quæ inde enaſci ſolent penitus arceantur....

„ 35. Sed quidquid ſit de hujuſcemodi Doctor. opinionibus, ſtatutum Siculum, „ ſeu lex illa municipalis.... videtur omnino juſta & ſancta ſi accurate perpenda- „ tur. Et quidem primum eam loqui conſendum eſt non de matrimonii firmita- „ te, quam nullo prorſus modo improbat.... verum de ejus honeſtate, itaut il- „ lud matrimonium abſque tutoris aut curatoris vel ſaltem duorum propinquorum „ conſenſu, qui parentum loco ſuccedunt, tamquam illicitum improbet, atque „ condemnet. Deinde non in ipſos minores ita contrahentes animadvertere; ſed „ eos plectere, qui vi, fraude, dolo, maliſque artibus minores illos propriis filiis „ aliiſve matrimonio jungunt.....

„ 36. Denique ajo, ulciſci hanc legem graviſs. crimen, quod ii, de quibus ipſa „ loquitur, committunt, dum vi, ſeu metu, ſive fraude minores circumveniunt, „ quo cum propriis ipſorum, qui metum incutiunt, vel decipiunt filiis aliiſve nu- „ ptias contrahant: quod ſcelus eſſe nefandiſſimum nemo inficiari poteſt. Sane ſi „ juſtum eſt hoc de quo loquimur præceptum atque in re graviſſima maximique „ ponderis, cur non illius tranſgreſſores morte puniant; quando & Principi qua- „ cunque in re non obedientibus eadem mortis pœna decernatur? *3. Reg.* 13. re- „ ferturque in *cap. 2. de majorit. & obedien.*

„ 37. Neque putes illius legis tranſgreſſorem a pœna excuſaturum proſperum „ rerum exitum, qui quandoque eas nuptias conſequetur: etenim in maleficiis ani- „ mum non eventum ſpectari Adrianus reſcripſit„. Mox pluribus legibus, & fa- cto Manl. Torquati injuſſu patris de hoſte victoriam adepti, ac propterea a patre capite damnati, in eam rem cumulatis, ad extremum ſic poſuit. Edidi non multis abhinc annis libellum, cujus inſcriptio eſt, *Matrimonii valor a Francorum oppugnationibus vindicatus:* ibi nonnulla erunt conſulenda, quæ ad hanc rem pertinent. Et hunc quoque libellum vidi Matriti ann. 1636. editum. Verum libelli hujus longe diſpar eſt argumentum. Non enim ibi aliud propoſitum Salerno erat, quam Cleri Gallicani reſponſum convellere, quo principum ſanguinis, uti vocant, matrimonia Regio injuſſu contracta eſſe invalida exiſtimavit. Id tamen dum ibi refellit Noſter, plura paſſim affert, quæ pertinent ad hanc cauſſam. Ubi initio §. 4. meminit & alterius operis a ſe antea editi, nim. *Miſcellorum reſponſorum*. Quo in opere lib. 1. Reſp. 16. id ſe operam dediſſe refert, ut oſtenderet filiorum matrimonia, quæ invitis parentibus contrahuntur, illicita omnino eſſe, etſi valida. Sed *Miſcella* Auctoris hujus *Reſponſa* nanciſci nullo modo potui.

VII.

DONATUS ANT. DE MARINIS.

IS lib. 2. Reſolutionum cap. 132. ubi pluribus rationibus confirmaſſet, matrimonium furtim, malis artibus, injuſſu patrio contractum a principe puniri poſſe; ſic pergit.

Hinc magnus Card. Bellarm. *de matrim. cap.* 26. exiſtimavit, matrimonium, quod inter fideles contrahitur, quandoque Deo gratum non eſſe. Si enim, dicit ipſe, ad libidinem explendam temere, ſine patris, vel matris conſilio conjugium ineatur, non erit auctor Deus, ſed Diabolus. Unde Princeps ſæcularis debet quantum poteſt tale matrimonium, quod abſque ratione invitis parentibus, & conſanguineis contrahitur, impedire; & judex Eccleſiaſticus non ſolum ex obligatione correctio-

nis

nis fraternæ, ſed etiam ex proprio paſtorali officio talia connubia diſſuadere tenetur: docet P. Rebellus *de oblig. juſtit. lib.* 2. *tract. matrim. qu.* 14. *ſect.* 1. Nec ex hoc, addit. hic Doctor, matrimonii libertatem lædi: nam potius illa regulatur, & perficitur, dum pater vel mater ex officio quo tenetur, curat ut filia non male ſed bene nubat. Etenim eſſe quem liberum ad malum faciendum potius imperfectio eſt libertatis & defectus. Alioquin ſi neceſſarium eſſet ad libertatem, ut quis poſſet facere malum, nec Deus, nec Angeli Sancti liberi dicerentur, ut ait D. Bernard. *lib. de grat. & lib. arbitr.*..... Sicque concludit P. Rebellus, nullatenus ab Eccleſia bonorum morum ac probitatis magiſtra facultatem filiabus in parentum poteſtate manentibus concedi debere ad cum peccato contrahendum, idemque affirmant P. Baſili. de Leon. *lib.* 2. *de matr. cap.* 1. §. 2. *n.* 27. & 28. & Jac. Menoch. *conſ.* 96. *l.* 1. *n.* 32.

Quibus ſic conſideratis, putarunt aliqui, quod ſi malis artibus ſponſalia eſſent contracta, illa omnino dirimenda eſſent, ſi exinde graves inimicitiæ, & odia inter conſanguineos ſponſi & ſponſæ oriri poſſent. Ita Bonac. *qu.* 1. *punct.* 2. *tract. de matrim.* & Navar. *cod. tit. c.* 22. *n.* 27. Ratio aſſignatur, nam juſtitia ad malum faciendum non obligat. Quod autem malum ſit matrimonium cum aliorum ſcandalo celebrare, exclamant Sanchez.... Emmanuel Sà..... Vaſq..... Reginal..... Coninch..... Azor..... & alii penes Gutier. *de matrim. cap.* 4. *num.* 4. qui loquitur etiam, ubi virginis defloratio ſub matrimonii ſpe ſecuta eſſet, & quod inter contrahentes ulla ſit diſparitas: quod pariter placuit *diſp.* 14. *n.* 3.

Unde Rogerius olim Rex noſter volens mala hæc in hoc Regno evitare, particulari lege ſancivit, neceſſitatemque ſub graviſs. pœnis univerſis hominibus Regni impoſuit, & maxime nobilibus. Ita cautum eſt in *Conſtit. Sancimus* (*b*) *ſub tit. de matrim. contrah.* & habetur etiam in Cap. Regis Roberti, quod incipit (*c*) *Non ſine mortalis*: ubi Jo. Ant. de Nigris *n.* 49. ex Bald. in *l. unica n.* 17. *Cod. de Rapt. virg.* notat, eum qui cupit aliquam in uxorem ducere, teneri tam de jure, quam de conſuetudine puellæ parentes requirere: nam contra civilem & naturalem rationem eſſe abſque parentum auctoritate nubere, ſcripſit Imperator in *Inſtit. de Nupt.*... Hactenus ex De Marinis.

(*b*) Sed tantum fatendum eſt, Rogerium ibi loqui non de patrio conſenſu, ſed de clandeſtinis matrimoniis, & quidem de eo clandeſtinitatis genere, quæ ex defectu ſollemnitatis, non quæ ex defectu paterni conſenſus proficiſcitur. At prior clandeſtinitas nihil commune habet cum iis connubiis, de quibus agitur; nam poterant olim clandeſtina matrimonia contrahi cum conſenſu patris: & contra poſſunt nunc injuſſu patrio celebrari conjugia in facie Eccleſiæ. Sit quidem Conſtitutio Regis Rogerii (lib. 3. Conſtit. tit. 22.) ſic habet. *Sancimus lege præſenti volentibus omnibus contrahere matrimonium neceſſitatem imponi univerſis hominibus Regni noſtri, & nobilib. maxime, poſt ſponſalia celebrata, ſollemnitate debita & ſacerdotali benedictione præmiſſis, matrimonium ſollemniter & publice celebrari. Alioquin noverint amodo morientes contra noſtrum regale edictum, neque ex teſtamento, neque ab inteſtato, ſe habituros heredes legitimos ex clandeſtino matrimonio & illegitimos contra noſtram ſanctionem procreatos. Mulieres etiam dotes aliis nubentibus legitime debitas non habere. Rigorem cujus ſanctionis omnibus illis remittimus, qui promulgationis hujus tempore jam matrimonium contraxerunt. Viduis etiam volentibus ducere virum hujus neceſſitatis vinculum relaxamus.*

(*c*) Mendoſe, nam incipit, *ut ſine mortalis*. Ex eo Capitulo quædam excerpſimus hoc ſupra n. II.

Digitized by Google

VIII.

FRANC. ANTON. TRANCHEDINUS J. C. CANIC. MEDIOL.

Cujus tom. 1. pag. 235. Consultatio XXXIV. sic habet.

CUM parentes optimum, & saluberrimum consilium pro liberis capere præsumantur *l. nec in ea 22. ff. ad l. Jul. de adult.* Quoniam Pater diligit filium plus quam seipsum *l. isti quidem ff. de eo quod metus caussa....* & ex parentibus accipiantur a filiis vita, educatio, institutio, honores, facultates, & alia innumera: hinc filiusfam. invito patre uxorem ducere non debet, & si eam accipit repugnante patre, peccat, Paschal &c..... Rationem autem reddit Tranced. loc. cit., quia pater tenetur habere curam filiorum, contra filii tenentur obedire patri, ideo pater habet ex caussa jus impediendi matrimonium *Rebell. de oblig. just. lib. 2. quæst. 14. num. 9. Gutier. quæs. canon. 20. num. 17. l. 2. Menoch. cens. 69. n. 36. Frages. de reg. reip. Christ. tom. 3. l. 2. disp. 3. §. 3. nu. 68. Paschal. de pat. pot. p. 2. c. 5. n. 21. Capibl. pract. 9. sup. pragm. 9. De Baron. c. 65. n. 9.*

Et infra post plura in eamdem sententiam sic pergit: Huc quoque accidit quod hoc matrimonium initur ex amore excæcato: unde similia matrimonia regulariter habent uti imprudenter inita infelicis. exitum; & tritum est proverb. *Amoris scabiem ad rabiem & insaniam adigere*. Minus facesslit negotium adducere impediri libertatem matrimonii, quia libertas non diminuitur, sed regulatur, & perficitur, quando pater ex officio pietatis, quo tenetur, curat ne male filius nubat, libertas enim ad malum est potius imperfectio, quam defectus, ut optime Rebel..... Paschal. &c. Prætærea libertas impeditur duntaxat ad tempus, quod est concessum, Gutier. &c. & impeditur per accidens, quatenus matrimonium non potest cum alterius scandalo fieri, Paschal. &c.

Hinc cum pater habeat jus impediendi nuptias filii, ut superius fuit ostensum, si filius non agnoscit pietatem patri debitam, castigari jure patriæ potestatis non prohibetur *l. 1. Cod. de emend. propinquor. & l. si filiusfam. Cod. pat. pot.* Atque si pari contumacia filius perseverat, acriori remedio licet patri uti, ut in *d. l. si filiusfam.* Ideo pater potest filium in certum locum tamquam carcerem relegare, vel eum certo conclavi per tempus concludere, nedum eum trudere in carcerem: Ascan. &c..... ibique retinere donec resipiscat: Menoc. &c..... in punctualibus autem terminis Capiblanc. &c. Atque pater dicitur id facere non jure jurisdictionis, sed correctionis, Boer. &c.

Prælatus quoque ex caussa impedire potest matrimonium, & præcipue ne oriantur scandala, & rixæ, Gutier. &c..... Incumbit enim Prælato, & Judici Ecclesiastico consulere saluti subditorum, rixas tollere, & scandalum impedire, maxime quia filiusfam. peccat ineundo matrimonium invito patre: Judex autem Ecclesiastic. debet impedire peccatum, & ei non cooperari &c. Hactenus ex Tranchedino.

IX.

FRANCISCUS VERDIUS EPISC. VICI AQUENSIS.

IS in opere posthumo *Instit. Canonicar.* pluribus rationibus probat filium contrahentem nuptias patre juste dissentiente lethale facinus in se admittere: 1. ex scripturis: 2. ex

2. ex canonibus: 3. quia cum injuriam sibi a nascituris filiis fieri nollet, hanc non debet patri irrogare, injussu ejus nuptias contrahendo: postremo quia jure naturæ filius obtemperare patri tenetur justa imperanti. Et quæ plura affert in eam sententiam. Denique apud eumdem sic sequitur.

An peccet Parochus assistens, & Prælatus dans filio licentiam contrahendi patre rationabiliter invito? Affirmat: nam tunc cooperantur peccato filiorum. Rebellus par. 2. lib. 1. q. 14. sect. 2. n. 9. Menoch. lib. 1. consil. 69. n. 32. Licet Bossis de matr. cap. 11. n. 94. putet non peccare Parochum, nec Prælatum si moneat, ne filias contrahat patre invito, cæterum licite assistere petentibus contrahere, forte quia tunc non cooperatur peccato contrahentium, qui jam sunt parati ad contrahendum.

Hoc quidem ultimum Bossii subterfugium apparet a Verdio adoptatum non fuisse, uti patet ex illis voculis *Licet Bossius &c.* Sed tamen iascor eidem Verdio, quod non aperte improbaverit. Quid enim absurdius fingi potest, quam quia perditi adolescentes parati sunt cum gravi suo peccato nuptias contrahere, posse pastorem dare manus, & ad idem sacrilegium operam conferre saltem auxiliarem? nimi si non sit minister: nam si sit minister Sacramenti, uti revera esse videtur, operam is primariam impendet. Verum frustra confutandis istiusmodi laxamentis immoror; quæ malo publico aliquando prorepserunt *ad excusandas excusationes in peccatis*.

ADMONITIO.

UBI jam ad calcem perventum erat, nactus sum Illustriss. Muscettulæ chartas aliquot, quibus ille genio indulgens suo, ultimis Disceptatoris Ursayæ objectis Italico sermone responderat: idque privatim, non eo consilio, ut ederentur. Quo consilio si scripsisset, non Italice hæc fudisset, sed Latine elucubrasset. At equidem veritus, ne cui forte Ursayæ Disceptationes fraudi forent: rem utilem me facturum speravi, si providerem, nostri Antistitis scheda ne qua deperiret.

RISPOSTA ALLA DISCETTAZIONE XIV.

Tom. VII. part. 2. pag. 219.

Del Signor Avvocato Ursaya.

IL Dottor Domenico Ursaya Avvocato nella Curia Romana e Lettore de' Sacri Canoni nell'Università della Sapienza, nell'Opera, che ha dato alle stampe nell'anno 1730. col Titolo: *Disceptationes Ecclesiasticæ*, nel tom. 7. part. 2. Discept. 14. ha inserite le scritture da lui fatte in una Causa per ottener' ad un Nobile figlio di famiglia la licenza di contrarre matrimonio con una Vedova di nascita assai inferiore alla sua, qual licenza gli era stata impedita ad istanza di suo Padre. La causa dopo molti contrasti fu proposta nella Sagra Congregazione del Concilio, ed il suderto Avvocato fece tutti li sforzi per ottenere la licenza, dimostrando, che non poteva negarsi senza violare la libertà ch'ha il figlio di sposar (com'egli dice) qualsivoglia donna benchè di condizione disuguale, ed indegna.

Queste scritture nella sostanza sono tutte l'istesse, e nella nuova stampa non contengono più di quello, che si contiene nelle prime, ad eccezione di parole, ed esclamazioni molte. Le poche apparenti ragioni nelle quali fonda la sua pretensione sono affatto l'istesse, alle quali fu obbligato di rispondere l'Autore della Dissertazione nell'Appendice, come ben potrà conoscere ognuno compiacendosi di farne il riscontro. E sembra strano, che l'Ursaya avendo veduta la dissertazione, (della quale fa egli più volte menzione specialmente al num. 19. e 22.) non si sia messo nell'obligo d'

impugnare le risposte, specialmente poste diffusamente nell' Appendice, colle quali si dimostrano in tutto vani i fondamenti delle sue allegazioni, e solamente si affatica in esaggerare, che le cause matrimoniali si devono giudicare non per l'autorità de' Moralisti (così egli chiama i primi Dottori di Sacra Teologia, che nella Dissertazione sono allegati) ma secondo le decisioni de' Tribunali, de' quali con franchezza veramente ammirabile riferisce molte decisioni, le quali se facessero al caso basterebbero a dargli vinta la causa. Or perchè il Lettore benchè dotto, potrebbe restar turbato di mente nel leggere simili ampollose declamazioni, non sarà fuor di proposito informarlo sopra il merito delle cause principali, che l'Avvocato allega, e ne canta vanamente il trionfo, ed insieme suggerirgli qualche riflessione da farsi sopra li chiari pregiudizj, che si leggono nelle sudette scritture.

1. E cominciando appunto da questa causa, nella quale per ottener la licenza di contrarre il matrimonio, scrisse ben tre volte il Dottore, e fece gli ultimi sforzi per giungere al fine: sappiasi, che non fu mai conceduta detta licenza, non ostante, che il figlio di famiglia ricorresse prima al Papa, indi al Cardinal Vicario, e per ultimo alla Sagra Congregazione del Concilio, nè fu il matrimonio contratto, non ostante che fossero preceduti i sponsali, come l'istesso Avvocato asserisce nel num. 2. *Contra sponsalibus &c.* e conchiude nel num. 107. *Matrimonium non habuit effectum, quia sponsus multarum dilationum tædio affectus propter quas causa adhuc durabat, Bononiam se contulit*. Dovea però aggiungere la vera cagione, per cui lo sposo partì da Roma, e fu l'esser egli nuovamente ricorso al Papa dal quale gravemente ammonito del suo errore, si ravvidde, e partì da Roma per evitare il rossore, che gli arrecava il suo trascorso ed irregolare disegno. Questo sol fatto basterà a far conoscere quanto siano vane ed insussistenti le allegazioni dell'Avvocato.

2. Nel num. 5. apporta come un'oracolo la Decisione d'una causa agitata nella S. Congregazione del Concilio sopra il valore del matrimonio contratto da un figlio contradicente il Padre, a dì 5. Agosto 1712. Nella quale non solo fu dichiarato valido il matrimonio; ma l'istessa Sagra Congregazione aggiunse al Decreto, le seguenti parole, ch'egli riferisce: *Et fiat aliqua publica demonstratio modorum irregularium qui a Patre sponsi erga eumdem adhibiti fuerunt*. Da tal Decreto qual conseguenza ne siegue? Dunque se il Padre si oppone senza modi irregolari, ma ricorrendo regolarmente al Giudice competente, questo dovrà gastigare il Padre? Chi non vede l'incoerenza di tal discorso? Ma deve in oltre mettersi in considerazione quel che non dovea tacere il Dottore. In quella causa, si trattava di matrimonio tra la figliuola di un Barbiere, ed un figlio di un Stagnaro, che per essere più commodo di beni di fortuna contradiceva al matrimonio. Dunque li Sposi non erano di nascita disugale, e si trattava di matrimonio già contratto, che non poteva sciogliersi; e per terzo si suppone, che il Padre usasse contro del figlio modi irregolari, e strapazzi di propria autorità. Or nella Dissertazione si condannano i matrimonii da farsi, non i già fatti. Ivi si stabilisce, che il Giudice deve impedire il matrimonio tra persone così disuguali, che debba giudicarsi indegno; e non già si dà la facoltà al padre di maltrattare il figlio, o la figliuola, ma di ricorrere al suo Giudice, acciò gli faccia giustizia, ed impedisca lo scandalo.

3. Riferisce nel num. 18. un'altra causa decisa nella Sagra Congregazione de' Vescovi, e Regolari in dì 5. Decembre dell'anno 1710. Il Padre d'una Giovane contradiceva fortemente al di lei matrimonio; e la S. Congregazione ordinò, che quella si trasferisse in un'altro Monistero, e si esplorasse la di lei volontà, acciò trovatasi determinata a volere contrarre, il matrimonio si celebrasse. Il fatto è vero, ma non fa al caso. La giovane era d'anni venticinque; Era nobile della Città d' Assisi: lo sposo di lei era d'una famiglia delle più distinte della Città di Perugia.

La

La Congregazione giudicò, che il Padre della giovane era *irrationabiliter invitus*, e perciò ordinò, che il matrimonio non si impedisse. Or da questa decisione, come può inferirsi che i matrimonj veramenti indegni non debbano impedirsi?

4. Dal num. 42. fino al 50. raccoglie esempj, decisioni, ed autorità per provare, che i matrimonj indegni sono validi: non è questa la questione: si cerca solamente, se debbano dal Vescovo impedirsi, perchè sono illeciti e sacrilegi.

5. Nel num. 9. attribuisce al Cardinal Pallavicino un sentimento assai lontano dalla dottrina e prudenza dello stesso. Dice l'Avvocato *Egregie observat Card. Pallavicinus Hist. Conc. lib. 22. cap. 4. his verbis. E però lo Spirito Santo dice universalmente: se alcuno non si contiene pigli Conforte. Non dice egli pigli Conforte, se i Genitori gliel consentono*. Prende quì un'evidente abbaglio. Il Cardinale riferisce queste parole come dette dal Vescovo d' Ipri nel suo voto, col quale contradisse ugualmente alla proibizione de' matrimonj Clandestini, e de' figliuoli di famiglia: del cui parere non si ebbe alcuna ragione.

7. Lasciando ben molte riflessioni dell'Avvocato, che riuscirebbe non sol di tedio, ma ancor di nausea a volerle confutare, ne addurrò sol' una, che può bastare a formare un adequato giudizio di tutta intiera la Discettazione. Nel num. 9. e 10. esalta, come deve, l'autorità del S. Concilio di Trento, e l'utilità, che ha recata alla Chiesa, e poi soggiunge. *In illo sess. 24. de Reform. Matrim. cap. 1. canonizantur pro validis matrimonia a filiisfam. absque Patris consensu contracta, & rotunde asseritur Sanctam Dei Ecclesiam illa justissimis de caussis semper detestatam fuisse. Ecce igitur quod bene compatiuntur ad invicem validitas matrimonii cum qualitate involvente culpam contrahentis, seu operationem contra legem Ecclesiasticam.*

Or quì si avvertisca l'industria nel tacere una sola parola, che sugella per così dire l'autorità del Concilio, nel quale si legge che la Chiesa non solamente gli ha detestati sempre, ma sempre altresì gli ha proibiti: *Detestata est, atque prohibuit*: Or perchè questa parola rovinava la sua causa, e distruggeva le sue conclusioni, perciò egli la tacque. Ma veniamo al forte. E' giustissima la conseguenza ch'egli inferisce dal testo del Concilio. Può esser matrimonio valido, ed insieme detestato, e proibito. Chi può dubitarne? Ma che possa unirsi nel matrimonio, che sia detestato e proibito dalla Chiesa, e che insieme debba il Giudice Ecclesiastico approvarlo, e dar licenza, che si contragga, ordinar'al Paroco, che vi assista, e benedica i contrahenti, or questa poi è una chimera da non potersi concepire da chi ha fior di senno.

Inoltre se detti matrimonj sono stati sempre proibiti dalla Chiesa, e detestati, con qual'ombra di verità può affermarsi, che l'impedirli sia lo stesso, che introdurre un nuovo impedimento fin quà inudito? *Semper prohibuit*, dice il Concilio: non è stato mai impedito, dice l'Avvocato. Chi dice il vero? A chi dobbiam credere ed ubbidire Overo forse nel linguagio del Dottore *Prohibere* sarà tutt'altro che *impedire*? Ma non così la Glossa: la quale sopra il Sap. 2. *de Pœnit. & remiss.* non distingue l'impedire il matrimonio, e'l proibirlo, e dice degl'impedimenti che no'l rendono invalido: *Prohibent hæc conjugium fociandum.*

Ecclesia, dice il Concilio, *semper prohibuit*. Ed il Prelato non dovrà, ovvero (secondo l'Avvocato) non potrà proibirlo, e sarà astretto a dar facoltà di contrarre? *Ecclesia semper detestata est atque prohibuit*. Come dunque il Dottore al num. 165. si fa lecito di dire, *Prætenditur impediri matrimonium impedimento ab Ecclesia, a Concil. Trident. nullatenus approbato?* Non così i Canonisti e Teologi, appresso i quali il *Prohibere*, & *Impedire* in materia degl'impedimenti matrimoniali son meri sinonimi. Anacleto Reiffenstuel sopra il IV. Decret. tit. 16. n. 3. *Ecclesiæ vetitum comprehendit omnia impedimenta.... introducta ab Ecclesia*. Tournely de Matrim. q. 8. art. 2. ha per l'istesso l'impedimento non irritante con quella che è mera proi

Digitized by Google

bizione del matrimonio. Vedaſi tutto l'articolo cominciando dal Titolo *De impedimentis ſimpliciter prohibentibus*. Or per conchiudere, ſe la Chieſa ha ſempre mai deteſtati, e proibiti cotali matrimonj, a cui i padri ragionevolmente diſſentono: adunque vi è ſtato ſempre nella Chieſa l'impedimento, ovvero proibizione di contrarre tali matrimonj, ed è ſtato conoſciuto come giuſtiſſimo dal Sagro Concilio di Trento, che perciò ha detto *Juſtiſſimis de cauſſis Eccleſia ſemper illa prohibuit*. Non ſi dice dunque, che queſto ſia un nuovo impedimento, perchè egli nel vero è tanto antico, quanto è antica la Chieſa.

Or io mi aſtengo dal fare altre oſſervazioni ſopra la nominata Diſcettazione del Dottore Urſaya, potendoſi da queſte poche formar idea del rimanente. Tanto più, che la maggior parte delle ragioni in eſſa dedotte altro al fine non pruovano, che cotali matrimonj privi del conſenſo paterno ſiano validi: del che neſſuno ha mai dubitato dopo la dichiarazione del Sagroſanto Concilio. Or uopo ſarebbe che l'Avvocato dimoſtrato ne aveſſe non ſolo eſſer quelli validi, ma eziandio leciti, perchè reſtaſſe comprovata la ſua intenzione.

APPEN-

APPENDIX NOVA

NONNULARUM DECISIONUM SACRÆ ROTÆ ROMANÆ

Quibus ex justo Parentum dissensu denegatur exsequutio Sponsalibus a Filiisfam. invitis, tum conformis Responsi pro veritate P. Volsechii a pluribus Viris doctis approbati.

R. P. D. VICECOMITE.

Cæsarauguſtana Sponſalium.

Veneris 29. Martii 1754.

1. POſt contracta Sponſalia de anno 1746. inter Mariam Annam Enguera, & Franciſcum Garay, invito, ac reluctante Joſepho Garay iſtius Patre, a quo Heres jam fuerat inſtitutus, adeo excrevit dolor, & ira Joſephi Patris, ut nedum ejus animus, qualibet ſpreta interpoſitione, flecti ullatenus nequiverit; quin imo revocato Teſtamento, in quo Filium Heredem inſtituerat, Donationem ſuorum Bonorum omnium favore duarum Filiarum explevit, quatenus Franciſcus Filius præfata Sponſalia effectuaret. Tanto ut occurreret Præjudicio Franciſcus ſatius duxit, denunciato prius Mariæ Annæ obdurato Patris animo, ejuſque inſuperabili averſione ab hiſce Nuptiis, & a data fide recedere, & Sponſalia revocare, pleno eidem præſtito aſſenſu, ut cui mallet libere nubere poſſet. At ſucceſſive inſtructo Judicio coram Ordinario Cæſarauguſtano ſuper ineffectuatione eorumdem Sponſaliorum, poſt Carceribus mancipatum uſque ab anno 1751. eumdem Franciſcum, condemnatus tandem fuit per Sententiam Judicis Ordinarii ad effective contrahendum Matrimonium cum dicta Maria Anna; Quæ Sententia confirmata quoque fuit a Vicario Generali Tiraſonen. Judice in gradu appellationis deputato per Reverendiſſimum Hiſpaniarum Nuncium.

2. In vim ulterioris appellationis delata Cauſſa ad noſtrum Tribunal, Mihique directa Commiſſione ad inſtantiam præfati Franciſci adhuc Carcere detenti, hodie DD. interrogavi ſub Dubio -- *An ſit locus exſequutioni Sponſalium in caſu &c.* --; Quia vero præfata Maria Anna ſua Jura deducere, ac experiri recuſavit, ideo juxta vota Franciſci, & *Pro informante* reſponſum fuit.

3. Quamvis enim Sponſalia rite, ac ſolemniter contracta promptæ exſequutioni demandari debeant per effectuationem Matrimonii; Nihilominus ubi juſta, & rationabilis concurrat cauſſa recedendi ab eiſdem Sponſalibus, abſolutiſſimum eſt, quod coactioni Contrahentium ad effectuandum Matrimonium locus eſſe nequit, *ad Text. in cap. Ex literis 2. in fin. de Sponſal., Card. de Luca de Matrimon. diſc. 8. num. 10., Piton. diſcept. Eccleſ. 52. n. 79., Rota cor. Buratt. deciſ. 38. num 1.*

4. Quod autem in caſu ſubſit cauſſa recedendi a contractis Sponſalibus, ex eo dilucide patet, quod cum contracta fuerint per Franciſcum incautum Filium Familias amore Mariæ Annæ obcæcatum, cum expreſſo diſſenſu, & indignatione

Digitized by Google

atione Joſephi Patris, qui nedum exheredationem Filio fuit comminatus, ſed imo ad effectivam illius exheredationem proceſſit, revocato Teſtamento, in quo illum Hæredem univerſalem inſtituerat, ac Bonis omnibus ſui Filiabus inter vivos donatis, ſolis duntaxat relictis Alimentis Franciſco filio, ſi ipſe hæc Sponſalia effectuaret, & Matrimonium cum Maria Anna contraheret. In hiſce circumſtantiis, ſi ſolum periculum, & comminatio exheredationis inducit juſtum metum in Filium, & juſtam præbet cauſſam recedendi a Sponſalibus, ut expediunt *Card. de Luca de Matrim. diſc.* 8. *num.* 11., *Piton. diſcept. Eccleſ.* 53. *num.* 81., *Adden. ad Ludoviſ. deciſ.* 366. *num.* 9., *Rotæ coram Seraphin. dec.* 1258. *num.* 2., *coram Cavaler. ad dec.* 447. *n.* 2., *coram Molines dec.* 412. *num.* 6., *deciſ.* 19. *num.* 56. *&* 57. *part.* 10. *recent.*: Quanto fortius hanc eamdem juſtam & rationabilem cauſſam præbere debet effectiva exheredatio jam ſequuta, ubi tales Nuptiæ Patri inviſæ contrahantur; cum juxta Leges, & Conſuetudinem Regni Aragonum Patres ampla polleat poteſtate exheredandi Filios, dummodo quid minimum pro Legitima, & illius loco eiſdem relinquat, ut teſtantur *Ramirez. de Leg. Reg.* §. 30. *num.* 4., *&* 10., *Pont. de Matrimon lib.* 12. *cap.* 17. *num.* 8., *Sarmien. lib.* 2. *ſelect. cap.* 14. *num.* 6., *Seſſe dec.* 26. *num.* 78. *per tot.*

5. Nihil opitulante, quod talis exheredatio, uti directa ad impediendam libertatem Matrimonii, nulla, & irrita reputetur. Quandoquidem cum Joſeph Pater per hanc exheredationem Matrimonium Filio ſimpliciter non prohibuerit, nec eumdem coegerit ad hanc, vel illam Mulierem in Uxorem ducendam, ſed unice Filium retrahere curavit ab effectuatione Sponſalium, quæ ipſo reluctante, cum Perſona ſibi inviſa contraxerat libera cæteroquin relicta Filio facultate quamlibet ſibi beneviſam ducendi Uxorem; In hiſce circumſtantiis, nec libertas Matrimonii impedita, nec ulla violentia Filio illata dici poteſt, ut obſervant *Felin. in cap.* 1. *num.* 20. *de Sponſal.*, *Menoch. lib.* 4. *præſum.* 189. *num.* 82., *Gratian. Diſcept. Foren. cap.* 5. *num.* 10. *cap.* 213. *num.* 25., *Card. de Luca in Adnot. ad Concil. diſc.* 26. *num.* 27. *&* 30., *Surd. deciſ.* 30. *num.* 27., *Rotæ coram Cavaler. deciſ.* 447. *num.* 5. *coram Seraphin. deciſ.* 1258. *num.* 2.

6. Et quamvis in Donatione a Joſepho Patre expleta favore Filiarum relicta fuerint in caſu effectuationis talis Matrimonii Franciſco Filio ſola Alimenta, ex quibus ſeſe, Uxorem, & liberos ſubſtentare poſſet: Nihilominus ex tali relicto nova conſurgit cauſſa non exequendi Sponſalia; Quia cum talia Alimenta ad quid minimum reduci poſſunt juxta Leges Regni Aragonum, & ex officio Judicis ad meram vitæ ſubſtentationem eſſent determinanda; idem Franciſcus poſt effectuatum Matrimonium e Paterna Domo ejectus una cum pauperе, & indotata Uxore, miſeram, & laborioſam vitam traducere eſſet obſtrictus; quando ante contracta hæc Sponſalia jam Heres univerſalis a Patre inſtitutus amplo, & copioſo perfruebatur Patrimonio. Quamobrem hæc ſtante adeo notabili rerum mutatione, dubium non eſt, quod contracta Sponſalia amplius non obligent, nec illorum exequutioni locus eſſe poſſit, ut ponderant *Reiffenſtuel. lib.* 4. *Decretal. tit.* 1. §. 8. *num.* 255., *&* *num.* 286., *Gutier. quæſt. Can. lib.* 1. *de Matrim. part.* 1. *cap.* 33. *n.* 6., *Roſignol. de Sponſal. prænotat.* 12. *fol.* 294. *num.* 4., *Rota dec.* 19. *n.* 28. *par.* 10., *dec.* 185. *num.* 8. *par.* 14. *recent.*

7. Altera, quæ concurrit urgentiſſima cauſſa ineffectuandi hæc Sponſalia, oritur ex æque obſtinato, ac exacerbato animo contrahentium. Cum enim Franciſcus poſt contracta hæc Sponſalia uſque ab anno 1746., ob Patris iram, & indignationem conſtanter ſemper renuerit illa exequi, & effectuare, eaque de cauſſa Litem uſque ad tertium Inſtantiam fuerit proſequutus, & quadriennalem etiam Carcerationem non ſine evidenti vitæ diſcrimine ob contracto Morbos

paſ-

Digitized by Google

fus fuerit, ejusdemque arctiori Carcerationem semper, & acriter inflexerit Marianna; Ex tali idcirco subsequuta exacerbatione Contrahentium, ac suborta totali animi abalienatione, cum subsequens Matrimonium prosperum, & felicem exitum sortiri haud valeat; Idcirco pia Mater Ecclesia in hisce circumstantiis ad majus evitandum malum solet Sponsos ad pristinam libertatem restituere, *Rota coram Molines decis. 979. num. 3., coram Lancett. dec. 682. num. 4., coram Herrerr. decis. 39. num. 8., & 9. & in Majoricen. Sponsalium 10. Junii §. Profecto, & 25. Novembris 1735. §. Caeterum coram Eminentissimo Domino Cardinali Crescentio.*

8. Quibus demum si addantur odia, & aversiones inter Familiam, & Consanguineos utriusque Contrahentis, quae ob acerrimam, & longam litem usque nunc protectam verosimiliter suborta esse debent, eo facilius ad avertenda scandala, quae inde timeri possunt, eadem Sponsalia exequi non debent. Signanter cum Maria Anna, absque ulla vel imaginabili labe proprii honoris, & optimae ipsius famae hisce resolutis Sponsalibus ex justis, & rationabilibus causis facile possit alium sibi invenire Virum. Proindeque ne ex tali subsequuto Matrimonio malus, & infelix subsequatur exitus, facultas potius indulgeri debet a contractis Sponsalibus recedendi, *ad Text. in cap. Cum in tua de Sponsal., ibique Panormitan. num. 4., Prapost. num. 2. Menoch. consil. 69. num. 44., Adden. ad decis. 431. num. 72. part. 4. tom. 2. recent., Rota coram Pamphil. dec. 96. n. 6., & 10., coram Celsi. dec. 474. num. 7.*

Et ita unica &c.

R. P. D. CAPRARA.

Tuden. Sponsalium.

Lunae prima Julii 1754.

1. SEntentia Sua Vicarius Generalis Tuden. condemnavit Josephum Mauritium Troncoso ad contrahendum Matrimonium per verba de praesenti cum Puella Maria Ignatia Pogne, quae Judicium instruxerat super executione Sponsalium, per verba de futuro, ipsam inter, & dictum Josephum, jam inde *a die* 10. *Octobris anni* 1748. initorum. Hanc adversus Sententiam cum Josephus Mauritius provocaverit, delegata fuit Sacro nostro Auditorio Appellationis Causa; Unde in vim Commissionis Mihi directae dedi hoc mane dubium — *An constet de Sponsalibus, itaut sic cogendus, seu potius monendus Joseph Mauritius in casu &c.* — proditque Responsum — *Constare de sponsalibus, & monendum tantum esse Josephum* —.

2. Cum enim Sponsalia perficiantur virtute mutuae Promissionis futuri Matrimonii, *Can. nostrates 30. qu. 5. leg. 1., & 2. ff. de Sponsal. Sanchez de Matrim. lib. 1. disput. 1. num. 7., & disput. 18. num. 12., Rot. decis. 621. num. 2. & part. 18. recent., & in Tuden. Sponsalium 2. Martii 1746. §. Ex ordiendo coram Me:* Nemo negat, quin de hujusmodi mutua Promissione Dubio procul liqueat, si de ea Testes deponant, ut per *Text. in cap. In omni negotio de Testib., & in leg. Ubi numerus ff. Testib., firmat Rot. dec. 143. n. 2. coram Burat., & dec. 406. num. 1. coram Ubald., & in recent. dec. 163. num. 1. part. 9., & in Novarien.*

Spon-

Digitized by Google

Sponſalium prima Julii 1693. *coram bon. mem. Muto, & in Majoricen. Sponſalium* 29. *Januarii* 1712. *coram clar. mem. Card. Scotto utrobique* §. 2., *& in Majoricen. Sponſalium* 25. *Aprilis* 1746. §. 2. *coram R. P. D. meo Buſſio, & in Motulen. Sponſalium* 30. *Aprilis* 1751. §. *Prima pars coram R. P. D. meo Vicecomite.*

3. Conſtabat itaque de Sponſalibus, quia tres Teſtes formiter examinati, locupletiſſimum Teſtimonium uniſone perhibuerunt, Joſephum Mauritium *die* 10. *Octobris* 1748. acceſſiſſe ad Domum Sororis Mariæ Ignatiæ, nempe Roſæ Pogne nuptæ in Parochia de Mouretan, ad quam pridie ejus diei Maria Ignatia, dum una cum Matre ſua revertebatur a Nundinis Oppidi Melgazi, diverterat, ibique poſt plura habita de ineundis Sponſalibus colloquia tum dum Matre Mariæ Ignatiæ, tum etiam cum ipſamet Maria Ignatia, coram eiſdem Teſtibus, qui, ut mutuum audirent conſenſum a dicto Joſepho Mauritio fuerant rogati, Sponſalia cum ipſa virtute mutuæ promiſſionis contraxiſſe, atque parato Convivio, Menſæ cum illa, aliiſque Perſonis accubuiſſe, ac in confirmationem contractorum Sponſalium mutua propinatione Sponſos ſe ſe invicem nuncupaſſe; Subindeque Joſephum Mauritium in pignus futuri Matrimonii quædam Munuſcula eidem Mariæ Ignatiæ tradidiſſe; Dum ergo Teſtes formiter examinati, atque conteſtes de loco, tempore, ac de ſubſtantia promiſſionis, & repromiſſionis futuri Matrimonii, etiam cum expoſitis circumſtantiis conſociata, uniſone deponunt, ambigendum utique non eſt de liquida Probatione Sponſalium Joſephum inter, & Mariam Ignatiam initorum, ut firmant Auctoritates ſupra allegatæ, quibus optime ad rem conſonat *Rot. in dec.* 262. *a num.* 4. *ad* 8. *coram Emerix Junior, & deciſ.* 337. *num.* 5. *coram Criſpo.*

4. Abſque eo quod fides dd. Teſtium quoquo modo vacillare poſſet per exceptiones adverſus eorum dicta oppoſitas; Nam fruſtra opponebatur, Teſtes inter ſe eſſe contrarios, ſimulatque aſſerta contrarietas unice reſpiciebat nonnullas minutas accidentales circumſtantias nimia ſubtilitate ponderatas. Dum enim Teſtes quoad ſubſtantiam contractus Sponſalitii, in reciproca futuri Matrimonii promiſſione conſiſtentem, dubio procul conveniunt, neutiquam officit aliqualis diſcrepantia quoad inutiles, & accidentales circumſtantias, ex firmatis per *Rotam in dec.* 11. 25. *num.* 3., *&* 14. *coram Molin. cum ibi allegatis*, & in ſubjecta materia, monet *Rot. in Novarien. Sponſalium prima Julii* 1796. §. 2. *verſ. Et quod circa Teſtes cor. bo. me. Muto.*

5. Nec profuit reponere, Teſtes non convenire quoad præciſa verba ſuper contractu Sponſalium invicem prolata; Quia vis non ſtat in aliquali Diſcrepantia unice reſpiciente materialem verborum corticem, ſed ratio potiſſima reſidet in hoc, quod Joſephus Mauritius, & Maria Ignatia fidem invicem ſibi dederunt de futuris Nuptiis; Id quod ſufficit, & exuberat ad adſtruendam liquidam probationem initorum Sponſalium, ut huic objectioni occurrendo individualiter reſpondit *Rot. in Majoricen. Sponſalium* 25. *Aprilis* 1746. §. 3. *coram R. P. D. meo Buſsio.* Eoque indubitantius, quia in præſenti ſpecie accedebat quoque ad exuberantiam Teſtimonium aliorum trium Teſtium, qui, ſub formali examine, unanimi conſenſu depoſuerunt de Sponſalibus, mediante mutua promiſſione futuri Matrimonii, Joſephum inter, & Mariam Ignatiam initis. Licet enim contra iſtos Teſtes opponeretur exceptio Conſanguinitatis cum Maria Ignatia; Nihilo tamen minus infirmiſſima erat ejuſmodi exceptio, quia exploratiſſimum eſt, quod in ſubjecta materia, a ferendo Teſtimonio non rejiciuntur Teſtes, qui, alias, uti minus idonei propter ſexum, vel Conſanguinitatem; a ferendo Teſtimonio repellerentur, ut ad *Text. apertum in cap. Videtur. Qui Matrim. accuſ. poſ., Gloſs. in cap. Super eo il ſecondo de Teſtibus verb.*

Mater

Digitized by Google

Mater, firmat *Rot. in Novarien. Sponſalium prima Julii* 1693. §. 2. *coram bon. mem. Muto, & in Majoricen. Sponſalium* 29. *Januarii* 1712. §. 4., *&* 5. *coram clar. memor. Card. Scotto, & in Majoricen. Sponſalium* 25. *Aprilis* 1646. §. 2. *coram R. P D. meo Buſſio, & in Motulen. Sponſalium* 30. *Aprilis* 1751. §. *Prima pars cor. R. P. D. meo Vicecomite.*

6. Concuti neutiquam valuit adeo perfecta Probatio præſidio contrariorum Teſtium, qui cum affirmare non dubitaverint, Joſephum Mauritium, eademmet *die* 10. *Octobris*, qua Sponſalia cum Maria Ignatia contraxit, aſſiduam, una cum Patre, & Avunculo, moram traxiſſe in quodam eorum Prædio nuncupato *il Monte della Lama*, inferebatur exinde, falſum aſſeveraſſe ſub formali examine ſex Teſtes, qui uniſone de inito per Joſephum Mauritium Sponſalium contractu cum Maria Ignatia in diſparatiſſimo Loco, nempe in Domo Roſæ Pogne, depoſuerunt.

7. Quoniam ultra exceptiones, quibus ſunt obnoxii dicti contrarii Teſtes, eo quia ſunt Famuli vel Coloni, aut Debitores Joſephi Mauritii; mendaces inſuper deprehendebantur, atque ob id impictæ falſitatis exceptio in ipſos recidebat. Et ſane ad liquidum conſtabat, quod Joſephus Mauritius coram Judice conſtitutus negavit quidem controverſa Sponſalia contraxiſſe, at ingenue faſſus eſt, ſe *eadem die*, manſiſſe in Domo Roſæ Pogne cum Maria Ignatia, & illius Matre, atque cum iſtis, aliiſque Perſonis Menſæ accubuiſſe; Et licet dubitative dixerit *die* 10., vel 11. *Octobris*, attamen cum Teſtes de contractis Sponſalibus Teſtimonium perhibentes uniſone depoſuerint, ipſum in eodem Loco, die 10. Octobris, a Joſepho Mauritio abſolute non excluſa, Sponſalia cum Maria Ignatia revera contraxiſſe, jam nemo non videt, quod, omne Dubium, quoad coarctationem *præciſæ diei*, a tot Teſtibus formiter examinatis de ea deponentibus, penitus, penituſque eliminatur *Rot. deciſ.* 1025. *num.* 3. *coram Molin., & dec.* 5. *num.* 9. *coram Herrer.*, proptereaque e conſpectu dilucidæ confeſſionis Joſephi Mauritii, ſuppletæ, & declaratæ ab uniſona formali Depoſitione complurium Teſtium, nulla fides adhibenda erat contrariis Teſtibus, qui in ſumma negare præſumpſerunt id, quod ipſemet Joſephus Mauritius coram Judice conſtitutus ingenue admiſit, ut ad *Text. in leg. Generaliter Cod. de non numerat pecun. firmat. Rot. dec.* 1158. *n.* 3. *cor. Molin.* cum allis aductis in *deciſ.* 41. *n.* 5. *coram Lancetta.*

8. Quamquam ex his conſtet de contractu Sponſalium Joſephum Mauritium inter, & Mariam Ignatiam initorum, attamen cenſuerunt DD., eumdem Joſephum Mauritium non eſſe cogendum, ſed tantum eſſe monendum, ut Matrimonium cum Maria Ignatia per verba de præſenti contrahat; Neutiquam officiente, quod in ſubjecta Materia regula militet pro coactione, ad hoc, ut Sponſus reluctans datam fidem, adhibitis Juris remediis, impleat, juxta *Text. in cap. Ex literis il ſecondo de Sponſal.*, etiamſi, prout in caſu, Sponſalia Juramenti munimine non fuerint roborata, ut conſentanee ad magis communem Sententiam firmat *Rot. in deciſ.* 516. *num.* 7., *&* n. 13. *coram Anſald, & in Novarien. Sponſalium prima Julii* 1693. §. 10. *coram bon. mem. Muto, & in Majoricen. Sponſalium ſuper Cenſuris* 29. *Januarii* 1712. §. 3., *&* 4. *coram clar. mem. Card. Scotto, & in Majoricen. Sponſalium* 25. *Aprilis* 1746. §. 8., *& ſeqq. coram R. P. D. meo Buſſio, & in confirmatoria diei* 16. *Januari* 1747. §. 3. *& ſeqq. coram Eodem.*

9. Quia exploratiſſimum eſt, quod, juſta concurrente cauſſa, a Judice, pro ſua Religione, arbitrio, & prudentia, penſanda, vires exerit limitatio regulæ, qua cavetur, ne ad coactionem procedatur, ut poſt *Jo. Andr. Hoſtien. Butr. Anchar., Abb. Præpoſ., & alios in dicta cap. Ex literis il ſecondo, & in cap.*

Requi-

Digitized by Google

Requisivit de Sponsal. monent *Guttier. de Matrim. in cap.* 15, *num.* 2. §. *Tertio vers. Quia tamen hoc negotium*, *Piton. discept. Eccles.* 52. *num.* 79., *& seqq.*, *Rot. decis.* 1112. *num.* 4. *coram Seraph. cum aliis abunde cumulatis in decis.* 516. *num.* 7., *& num.* 10. *coram Ansald. tom.* 5., *& in decis.* 682. *num.* 2. *coram Lancett. tom.* 2., *& in Novarien. Sponsalium prima Julii* 1693. §. 10. *vers. Quatiescumque tamen coram bon. mem. Muto*, *& in Majoricen. Sponsalium super Censuris* 29. *Januarii* 1712. §. 5. *coram clar. mem. Card. Scott.*, *& in alia Majoricen. Sponsalium* 25. *Aprilis* 1746. §. 5. *vers. Alia autem coram R. P. D. meo Busio.*

10. Porro ex toto circumstantiarum complexu eduxerunt DD. justam causam sese abstinendi a decernenda coactione. Agitur enim de Sponsalibus initis Josephum Mauritium inter, & Mariam Ignatiam, cujus conditio nedum quoad divitias, verum etiam quoad natalia, longa disparitate, a conditione ejusdem Josephi Mauritii, distat. Rursus agitur de Sponsis, quos inter, & utriusque Consanguineos, gravissimum odium ex causa horum Sponsalium exarsit, & exardet, ut monstravit, & monstrat ejusmodi acerbum Litigium jam a Quadriennio exagitatum, ita quidem, ut Josephus Mauritius ex odio erga Mariam Ignatiam concepto, coram Judice constitutus, contractum Sponsalium constanter negaverit, & maluerit diu squallorem Carcerum, in quas defuit detrusus, & a quibus tandem fuit dimissus, praestita fide jussione de se repraesentando, intrepide ferre, quam datam fidem adimplere. Quinimo eadem diuturna Carceratio, a Maria Ignatia procurata, quam subivit Josephus Mauritius, graviorem istius aversionem, odium, & inimicitiam concitavit.

11. Pater vero praefati Josephi Mauritii, cui est invisum implementum horum Sponsalium, tam gravi indignatione exagitatur, ut exheredationem eidem fuerit comminatus; & animum nil penitus eidem relinquendi pandiderunt quoque ejusdem Josephi Mauritii Patrui, ubi, & quatenus ipse adeo inaequale Connubium perficiat, itaut Josephus Mauritius sit positus in discrimine amittendi pinguissimas hereditates.

12. Et denique agitur de Sponsalibus, quae Josephus Mauritius, Adolescens, constitutus in aetate duodeviginti annorum, vesano amore percitus nimia praecipitantia contraxit; Nam, sine controversia transibat inter Partes, Josephum Mauritium non pridem aspexisse Puellam Mariam Ignatiam, antea ipsi prorsus incognitam, quam *die* 8. *Octobris anni* 1748., *die vero* 10. *ejusdem mensis* Sponsalia contraxisse, & inter pocula confirmasse, ex quo non levis oritur suspicio, ipsum ob juvenilem levitatem fuisse circumventum.

13. Quidquid enim sit, num ejusmodi circumstantiae, de quibus pluribus cumulatis promiscue agunt *Piton. discept. Eccles.* 52. *num.* 66.; *& seqq. num.* 78. 80. 81. *& 89.*, *Ursaj. discept. Eccles.* 18. *part.* 1. *tom.* 1. *n.* 12. *& 13.*, 21., *& 22.*, *Rot. in recent. dec.* 19. *num.* 24. *est* 58. *part.* 10., *& in Gadicen. Sponsalium* 21. *Aprilis* 1694., *& in Confirmatoria diei* 5. *Julii ejusdem anni impress. apud eumdem Ursa. in Miscell. tom.* 1., *& 2. dec.* 60. *num.* 9., *& dec.* 61. *num.* 5., *& 6.*, *& dec.* 979. *num.* 1. *cum duab. seqq. cor Molin.*, seorsim, ac uti singulae consideratae, aptae esse possent ad retinendum prudens arbitrium plectendi contumaciam Sponsi remedio coactionis.

14. Profecto in praesenti specie, in qua, praeteritis liquet, tum de gravi inimicitia inter Sponsos suborta, tum etiam de indignatione Parentum, & Consanguineorum Sponsi reluctantis, cum comminata exheredatione conjuncta, ambigendum non est, quin ejusmodi principaliores circumstantiae, cum aliis praecipue consociatae prohibeant, ne ad coactionem procedatur, maxime quia agitur, de Sponsalibus juramenti fulcimento minime roboratis; Etsi enim de-

fectus

Digitized by Google

fectus Juramenti, ut supra fuit prænotatum, non excludat coactionem, quando non concurrit justa causa recedendi a contractis Sponsalibus, negari tamen nequit, quin efficiat, ut minus rigide inquiratur de gravitate Causæ, aditum præcludentis coactioni, ut, innumeris abunde collectis, apposite respondit *Rot. in decis. 979. per tot.*, & *præsertim n. 4. coram Molin.*, & *in dec. 516. a num. 12. ad 16.*, & *num. 20. coram Ansald. tom. 5.*

15. Ad avertendum itaque difficilem exitum, quem coactiones frequenter habere solent, ut ait *Text. in cap. Requisivit de sponsal.*, sese abstinentes DD., in hac facti specie, a decernenda coactione, per rationes superius expositas, censuerunt Josephum Mauritium esse *duntaxat* monendum, ut, prævia reconciliatione cum Maria Ignatia, datam fidem adimpleat, quemadmodum præscribitur in *mox citat. cap. Requisivit de Sponsal.*

Et ita utraque &c.

R. P. D. MOLINO

EPISCOPO BRIXIENSI.

Tuden. Sponsalium.

Lunæ 14. Aprilis 1755.

1. QUamquam Sacrum Auditorium confirmaverit eam partem Sententiæ Vicarii Generalis Tudensis, qua pronunciaverat constare de Sponsalibus inter Josephum Mauritium Troncoso, & Mariam Ignatiam Pogne, infirmavit tamen alteram, qui eumdem Josephum Mauritium condemnaverat ad contrahendum cum eadem Puella Matrimonium per verba de præsenti: dum agnitum fuit plures adesse urgentes Causas, quibus ipse ad Matrimonium ineundum cogendus non esset, sed tantum monendus, ut pandit *Decisio in Causa edita* 1. *Julii* 1754. *cor. R. P. D. mo Caprara.*

2. Appellatione autem per Mariam Ignatiam interposita, cum hodie disputatum fuerit Dubium -- *An Sententia Rotalis sit confirmanda, vel infirmanda* -- dicta Maria Ignatia jura sua deducere non curavit, Joseph vero Mauritius Judicio Sacri Auditorii acquiescens instantis, ut Sententia Rotalis confirmaretur, ideoque eo tantum informante DD. respondere non hæsitarunt -- *Sententiam Rotalem esse confirmandam.*

4. Missa enim quæstione super existentia Sponsalium, quæ non amplius Joseph Mauritius impugnare curabat, solidissima profecto visa sunt fundamenta, quibus in præcedenti instantia responsum fuit, dictum Josephum canonica coercitione cogendum non esse ad ea exequenda Sponsalia, sed unice monendum esse, ut libenter eorum fidem solvere velit, utpote quia concurrunt in casu urgentissimæ Causæ, quæ juxta canonicas sanctiones sufficientes erant, ut ad exsequenda Sponsalia potissimum non jurata etiamsi res sit de Sponso reluctante, ipse Ecclesiasticis remediis minime compellatur; ut statuit *Decisio præcedentis Instantiæ diei* 1. *Julii* 1754. *cor. R. P. D. mo Caprara.* §. 8., & 9.

4. Et sane ad effectum in casu declinandi a quacumque coactionis specie, itaut leviores etiam Causæ sufficerent ad resiliendum a promissionis observantia, & exsequutione, duæ potissimum occurrebant urgentissimæ circumstantiæ, quarum

Digitized by Google

rum *altera* erat; quod agitur de contractu inito ſine juramento, ac deſumpto a verbis per Teſtes relatis, & quidem ab incauto Juvene inconſulto emiſſis poſtquam vix ſemel Mariam Ignatiam ſibi omnino ignotam pridie tantum viderat, & inter pocula illico parati convivii hilaritatis, ac ferventis amoris gratia confirmatis; Cum autem ſuſpicari fas ſit non ex vero, ac deliberato animi conſilio, ſed potius ex jocoſa incauti Amoris velleitate, & æſtus, ſponſalium promiſſionem hanc proceſſiſſe, facilius idcirco inclinandum erat, ut juſtis concurentibus Cauſſis ab eorum vinculo promiſſor liberaretur.

5. *Altera* circumſtantia eſt, quod Sponſalium promiſſio hæc oretenus emiſſa fuit ab Adoleſcente vix in ætate *annorum* 18. conſtituto, quæ licet ſufficiens reputetur ad validam Matrimonii promiſſionem, multum tamen in ea relaxari debet prudentis Judicis arbitrium plectendi contumaciam Sponſi per remedia canonicæ coactionis, ut utramque circumſtantiam ponderando præter adductos *in laudata Deciſione* ſuperioris inſtantiæ §. 12. & 13. docent *Card. de Luc. de Matrim. diſc. 8. num. 28., Antonin. var. reſolut. 2. lib. primo num. 12. verſ. in Sponſalibus, Conſtantin. Vot. deciſ. 483. a num. 10., & 11., Rot. coram Buratt, deciſ. 211. num. 4., & in Moguntina Sponſalium 20. Novembris 1741. §. Conſtabilita cor. eodem R. P. D. meo Caprara.*

6. Sub hiſce circumſtantiis examine aſſumpto Cauſſarum, quibus viſum fuit locum non eſſe coactioni Joſephi ad contrahendum cum Maria Ignatia Matrimonium, urget in primis magna diſparitas nedum quoad divitias, verum etiam quoad Perſonarum ſtatum, & Natalia, cum Maria Ignatia pauperrima ſit, & vilis, omnino conditionis, Conſanguineos habens apud inductos Teſtes non integri nominis: Joſeph vero tanquam unicus Filius ditiſſimus ſit, & inter nobiliores Familias locum teneat; quæ incauto Juveni præcognita non erat tempore Sponſalium, graviſſimam præbet Cauſſam ab illis reſiliendi, ut docent collecti *in dicta Deciſione præcedentis Inſtantiæ §. 9., & a §. 13. uſque ad fin.*, cum quibus concordant *Adden. ad dec. 431. a num. 81. part. tom. 2. recentior., & Rot. in alia Tuden. Sponſalium 21. Martii 1746. §. 6. cor. eodem R. P. D. meo Caprara.*

7. Accedit graviſſimum, ac implacabile odium, quod ſexennalis hæc Cauſſa inter Sponſos, eorumque Conſanguineos excitavit, jam ſatis panditum ex Actis Cauſſæ, quibus colligitur Joſephum Sponſalia primum coram Judice conſtanter denegaſſe etiam ſub jurisjurandi religione; inde urgente Maria Ignatia Carceribus detruſum intrepide eas ſubſtinuiſſe durante Litigio coram Ordinario; ac demum a diuturna carceratione vix evaſiſſe præſtita fidejuſſione de ſe repræſentando: quæ ſane ærumnæ, quo minus eum inducere potuerunt, ut datam fidem impleret, tanto majorem illius indignationem, ac averſionem concitaſſe reputandæ ſunt, ut reconciliatio nullo pacto ſperari queat; ad notata *in præcedenti Deciſione cor. R. P. D. meo Caprara §. 10.*

8. Minoris ponderis non erat altera Cauſſa excuſandi Joſephum ab obſervanda Matrimonii promiſſione conſtituta in certo diſſenſu, & in dubia, juſtaque Parentum, & Conſanguineorum indignatione, & comminata ab eis exheredatione. Dubitari autem non poteſt, quin diſſenſus, ac indignatio Patris, & exheredationis timor, ſufficientem præſtet excuſationem, ne quis ad inæquale, ac indecorum Matrimonium contrahendum cogi debeat; ut in puncto docent *Piton. diſcept. Eccleſ. 52. num. 81., Zaul. in diſſert. impreſſ. poſt tract. ad Statut. Faventinum de Sponſal., & Matrim. Fil. famil. tom. primo a num. 145. ad 268., Rot. cor. Kaunitz dec. 77. num., 5.*, & firmat laudata Cauſſæ *Deciſio §. 11. ad plures ſequentes cor. R. P. D. meo Caprara,*

Et ita &c. *unica &c.*

R. P. D.

R. P. D. BUSSIO.

Oriolen. Sponſalium.

Merc. 26. Februarii 1755.

1. FIdem de ineundo Matrimonio, quam Vincentius Lozzanus de Regil delinitus illecebris Joſephæ Fontes Conſobrinæ ſuæ imprudens, vel invitus tradiderat, quamvis initio ratam, probatamque habuiſſe videretur nonnullis ab eo datis, viciſſimque receptis Epiſtolis; exinde tamen diſruptis induciis, non obſcura pœnitentiæ exhibuit argumenta, iiſque facile a Joſepha perſpectis, eum repente coram Ordinario provocavit, ut Apoſtolica obtenta diſpenſatione, promiſſam fidem impleret: Verum re mature penſata, tum Ordinarius in prima Inſtantia, tum Metropolitanus in ſecunda Sponſalia non eſſe exſequenda edixerunt, idemque hodie juſſit Sacrum Tribunal, ad quod Cauſsa conſcendit, interroganti enim Mihi, *An conſtet de validitate Sponſalium, & ſint exſequenda?* in contumaciam Joſephæ ſui mali Juris fortaſſis edoctæ, reſponſum fuit. *Pro Informante.*

2. Ut tamen ſponſalia valida ſint ingenio ſuo poſtulant mutuam ex libero, determinatoque animo promiſſionem ab iis, qui pleniſſimam ſpondendi habent facultatem, ut poſt *Text. in cap. Cum locum* 14., *& cap. Conſultationis* 28. *de Sponſal.* Sancivit *Concilium Tridentinum cap.* 5. *ſeſſ.* 24. *de reformat. Matrimonii*; quare cum ea, de quibus agitur, in utroque deficiant requiſita, nullius reputari debent validitatis, nec aliquam merentur exſecutionem, ut optime concludit *Rot. dec.* 603. *ſub. num. final. part.* 5. *tom.* 2. *rec.*

3. Porro non probatur liber conſentiendi animus; nam juxta facti hiſtoriam jure jurando in ſuo formali examine a Vincentio narratam, ipſe adhuc in tyrociniis exiſtens, & plus æquo miſerans Lacrymis Conſobrinæ, folium Sponſionis equidem obſignavit, ſed animo alieno ab inviſis Nuptiis, plenaque deficiente voluntate illas exequendi; Nullius itaque fuit firmitatis hujuſmodi conſenſus, quippe qui per extrinſecam demonſtrationem, & ſummam levitatem exhibitus, ac per fraudem, & dolum ereptus, certus, & liber non fuit, nec per conſequens, ut requiritur ad obligandum ſufficiens, *Sanchez de Matrim. lib. primo diſput.* 9. *num. primo, & ſeqq.*, *Paul. de Rubeis in addit. ad dec.* 2. *num.* 108. *part.* 3. *recent.*, *Panimoll. dec.* 23. *num.* 7., *&* 8.

4. Deficit quoque Legitima Contrahentium poteſtas, ipſi ſiquidem ſunt *in tertio Conſanguinitatis gradu* invicem obſtricti; adeo enim inter Conjunctos Sponſalia ex Jure improbantur, & nullam ex ſe conſtituunt obligationem, ut ſi ſcienter, & repetito concubitu perficiantur, adhuc irrita illa cenſentur, nulloque pacto poſſunt ex ſe convaleſcere, ut conſentanee ad *Concilium Lateranenſe*, de quo *in cap.* 8. *de conſanguinitat.* Sancivit *Concil. Tridentinum ſeſſ.* 24. *de reformat. Matrim.*, *Vaneſp. in Jus Eccleſ. part.* 2. *tit.* 13. *cap.* 5. *num.* 6., *Rot. in Hiſpalen. Matrimonii* 21. *Februarii* 1718. §. *Verum coram bon. mem. Foſcaro.*

5. Quin aliquam afferat amaritudinem, quod fuerit reſervata diſpenſatio Apoſtolica; ſufficeret enim pro objecti eliminatione ſola animadverſio, quod nulla hactenus obtenta fuit diſpenſatio, quæ licet ſine maxima difficultate poſſet fortaſſe impetrari, attamen ea non obſtante, hic, & nunc Sponſalia in ſtatu invaliditatis adhuc permanent, & impoſſibile non eſſet, quod Sancta Sedes Gratiam denegaret, tanquam a Summi Pontificis voluntate dependentem, per ea;

Digitized by Google

quæ tradit *Tiraquel. de retract. Lignag. §. 22. n. 59.*, & late *Rot. dict. dec. 603. num. 28. & 38. p. 5. tom. 2. recent.*

6. Præterea omnis tollitur difficultas ex eo, quod præsuppositа etiam Apostolica dispensatione facile assequenda, ad convalidanda tamen jam contracta Sponsalia, aut novus requiritur Contrahentium expressus consensus, aut saltem tacitus ex actibus illum præseferentibus elicitus, *Abb. in cap. super eo in fin. de condit. appos.*, *Panimoll. dec. 32. num. 5., & 6.*, *Rot. dec. 410. num. 5. coram Ludovis.*, *& dicta dec. 603. num. 17. part. 5. tom. 2. recen.* nec ex dispensatione aliqua oritur in Contrahentibus obligatio Sponsalia perficiendi, sed quisque potest ultro denegare, & pro suo arbitrio a Sponsalibus resilire, absque eo, quod ad ea implenda alter vel invitus valeat obstringi *Abb. in eodem cap. num. 28. Villalob. in verb. Matrimon. num. 40. Piton. discept. Eccleſiast. 52. nu. 32., & seqq., Rot. dec. 203. num. 7. coram Buratt., & in Hispalen. Matrimonii 18. Februarii 1718. §. Quæ si hujusmodi cor. bon. me. Foscaro.*

7. Cujus Sententiæ ratio est, quod sicuti ab actu nullo, & a Jure improbato nulla nascitur obligatio, ita nullus etiam actus tetrotrahi valet, qui nequit ab initio consistere *leg. Si is, qui pro Emptor. ff. de usu cap.*, & cum Sponsalia inter Conjunctos Jus perpetuo prohibeat, propterea nec sub conditione contrahi possunt, ut formiter discusso articulo firmavit *Rot. in dict. dec. 603. a num. 20. in fin. p. 1. tom. 2. recent.*; Hinc reservatio Apostolicæ Dispensationis ad honestandum actum per se illicitum duntaxat inservit, & ipsa superventa dispensatio nunquam ratas habet illicitas Nuptias, sed submoto impedimento, dat facultatem illas valide ineundi, *Rocc. disput. 72. n. 33. & seqq.*, & pluribus allegatis prosequitur *Rot. in dict. dec. 603. num. 4. part. 5. tom. 2. recen., & in citata Hispalen. Matrimonii 21. Februarii 1717. §. Porro præmissa coram bon. mem. Foscaro.*

8. Cumulatissime ex his demonstrata invaliditate Sponsalium, superfluum est agere de Cautis, quas Vincentius haberet a Sponsalibus, utcumque validissimis recedendi, inter quas plurimi considerari debent tum Paternus dissensus, tum gravis ipsius Vincentii exacerbatio, qui se videns consobrinæ delinimentis deceptum, & diuturno litigio agitatum, aperte asseruit nolle invisis Nuptiis amplius assentiri, & proinde ad eas perficiendas non esset efficaciter adigendus, ne Conjugium, quod est fœdus honestissimi Amoris, exitus subiret pernicioſissimos, & in odium converteretur, ut advertit *Piton. discept. Eccles. 52. sub num. 8. Panimoll. dec. 23. num. 18., & seqq., Adden. ad Buratt. dec. 311. num. 5., Rot. coram Durant. dec. 242. num. 13.*

Et ita altera &c.

RE-

Digitized by Google

RESPONSUM
PRO VERITATE
P. VIRGINII VALSECHII
MONACHI CASINENSIS
A pluribus Viris doctis approbatum.

Digitized by Google

In Opere, & sermone, & omni patientia honora Patrem tuum, ut superveniat tibi Benedictio ab eo, & Benedictio illius in novissimo maneat. Benedictio Patris firmat domos filiorum, Maledictio autem Matris eradicat fundamenta. Ecclesiastic. 3. v. 9. 10. 11.

Digitized by Google

DEUS PACIS ET DILECTIONIS NOBISCUM SIT.

TItius Sempronii Filius, ſub patria poteſtate adhuc conſtitutus, Juvenis genere, opibus, & æſtimatione nulli in Patria ſecundus, ejuſdem loci Primariis ſanguine conjunctus, Civis Florentinus, & Matre Nobili Florentina progenitus, ſuo ipſo Patre, aliiſque omnibus propinquis & affinibus inſciis, Sponſalia de futuro dicta, eaque juramento firmata, cum Berta Caii hominis Cerdonis artem profitentis, pauperrimique, necnon Matris Villicæ filia, ſine ulla dotis, ob ſummam hujus puellæ egeſtatem, promiſſione, aut ſpe, contraxit, poſtque ipſa ſponſalia, carnalem cum illa copulam habuiſſe aſſeritur. Sempronius, auditis Filii ſponſalibus, prævidens ex eo Titii cum Berta matrimonio magnum Familiæ ſuæ, totique agnationi dedecus conſecuturum: grave damnum undecim Nubilibus & Nobilibus Puellis ipſi Juveni arctiſſimo cognationis vinculo junctis, quæ proculdubio eo matrimonio ſecuto, viros ſuæ conditionis pares haudquaquam invenient, obventurum: ac tandem univerſos inter conſanguineos, & propinquos gravia odia, diſcordias, perturbationes exoriturasque, omni ſtudio conatur, Bertæ puellæ pluſquam etiam competente Dote oblata, qua damnum illi ex aſſerto ſtupro illatum ſatis ſuperque compenſetur, eorum Sponſalium impletionem impedire.

Quæritur itaque, an dicta Sponſalia eam ob cauſam poſſint diſſolvi, ac licite proinde a Patre Sponſi interpoſita Judicis Eccleſiaſtici auctoritate, illorum executio valeat impediri.

Digitized by Google

RESOLUTIO AFFIRMATIVA.

ETsi e Sponsalibus gravis ad conjugia ineunda, omni jure obligatio oriatur, cum validam omnem atque acceptatam promissionem impleri jura omnia exposulent; plures nihilominus adesse caussas, compertum est, quibus eadem rescindi sponsalia queant, eorumque exsecutio impediri. His porro percensendis caussis hoc loco haud immorandum. Siquidem ut satis proposito dubio faciamus, duo tantum expendamus necesse est, alterum nempe, num sponsalia inter duos conditione atque opibus impares inita, e quorum adimpletione grave scandalum, rixæ, inimicitiæ, damna inter sponsorum Parentes & consanguineos timeri possunt, sententia saltem Judicis Ecclesiastici valeant dissolvi; alterum vero, num admisso, quod solvi illa possint, verum id etiam sit quando post contracta sponsalia, copula inter sponsos sit subsecuta.

Quod priorem attinet difficultatem; communissime sentiunt Doctores vere posse sponsalia illa irritari. Etenim in *cap. cum in tua de sponsal.* diserte asseritur quod, *cum Persona gravis, cui fides sit adhibenda, Episcopo denunciat, quod hi, qui sunt matrimonio copulandi se propinquitate contingant, & de fama, vel scandalo doceat*, ipse Episcopus debeat *eos, qui sic contrahere nituntur, si monitis induci nequiverint, compellere, ut a tali contractu desistant*. Quo in loco etsi sermo sit de iis, qui se propinquitate contingere dicuntur, nihilominus ex verbo illo *scandalo* Glossa hæc notat: *Nota, quod propter scandalum impeditur matrimonium &c.* Et Panormitanus in illud caput sic inquit: *sed nota ipsum textum singulariter in eo, quod addit de scandalo. Ex quo potes inferre, quod ubi inter aliquas Parentelas scandalum vehementer timetur ex contractu matrimonii, potest & debet judex interdicere matrimonium &c.* Similia habet *eod. cap.* Alexander de Nevo *num. 6. Præpos. n. 2.* aliique. Expressius autem prædictam sententiam tuentur *Fel. consil. 26. num. 21. Navar. sum. cap. 17. n. 18. Menoch. cons. 69. num. 44. & 66. vol. 1. Cord. quæstionar. lib. primo quæst. 3. paulo post princip. vers. dixi regulariter, Gutier. lib. 1. quæst. Canonic. cap. 20. n. 20. & 23. Capua lib. primo dec. 78. num. 3. Ludovicus Lopez 1. par. instr. cap. 76. in 2. edit. fol. 189. col. 2.* quos citat & sequitur *Sanchez de matrim. lib. primo disputat. 14. num. 3. Texeda in Theol. moral. sum. 2. lib. 4. tract. 1. num. 79. Martinus Perez de matrim. disput. 5. sect. 3. num. 2. Diana par. 9. tract. 7. resol. 71. Boss. de matrim. cap. 11. §. 9. num. 94. Rebellus de oblig. just. & jur. p. 2. lib. 2. quæst. 14. sect. 1. num. 9. Emanuel Sa verbo restitutio num. 14. fol. 495. Bonac. tom. 1. tract. de Sacr. Matrim. quæst. 4. punct. 17. num. 26. versa Neque obstat tertio. Ægidius de Sacram. disp. 23. dub. 8. num. 68. Layman. tom. 1. lib. 5. tract. 10. p. 1. cap. 1. num. 14. vers. Enim vero, Basil. Pontius de Sacrum. Matrim. lib. 12. cap. 17. num. 7. Gonet. in clyp. Theol. Thom. tom. 5. tract. de Sacram. Matrim. disput. 3. art. 4. num. 74. Marbesius in summ. Christ. de Sacr. Matrim. diss. 7. quæst. 23. conclus. 4. vers. Ratio hujus, Tanuerus disp. 8. quæst. 1. dub. 4. num. 6. Enricus Pirinch. Jur. Can. meth. nov. titul. de sponsal. sect. 2. §. 4. n. 64. Ludov. Engel. colleg. univ. Jur. Can. tit. de desponsat. impub. §. 2. num. 11.* Favet *Riccius in prax. aur. resol. 418. num. primo, Rot. Rom. in Tullens. Matrimonii 13. Maii 1596. coram Penia, item cor. Cavaler. dec. 447. num. 3. & coram Seraph. dec. 1258. n. 2.*

Præcipua, cui hoc assertum nititur ratio, quaque passim laudati Auctores utuntur, est, quia Virtus justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine peccato impleri non potest. Matrimonium autem inire, e quo graves rixæ, dissensiones, inimicitiæ, scandala oriri possunt, gravissimum proculdubio peccatum est. Vir-

tus

tus itaque justitiæ, quæ fidem in sponsalibus præstitam matrimonio jubet impleri, illam minime impleri præcipiet, cum ex eo matrimonio prædicta mala possunt exoriri. Immo etsi admittatur malum de se esse illo etiam in casu præstitam sponsalium fidem violari, certum nihilominus est minus malum tolerandum esse, ut majus malum devitetur, *ut notat in specie nostra Abbas in cap. Requisivit de sponsal. num. 2.* & probat *cap. Privilegia in fin. 3. dist.* Majus porro malum est, magisque cum Reipublicæ, tum animarum saluti perniciosum, odia, inimicitias discordias inter familias serere, quam eandem sponsalium fidem violare.

Hinc Menochius *dict. consil. 69. num. 50.* id etiam duntaxat majus esse malum existimat, quod *filius contra Patris voluntatem uxorem ducat, quam quod Pater impediat eam ducere. Etsi enim* (inquit) *Matrimonium magnum sit* (*ut ait Apostolus ad Ephesi. cap. 5.*) *Sacramentum; attamen melius est Sacramentum hoc omittere, quam discordiam, & odium inter Patrem & filium excitare. Nam scriptum est Matth. cap. 5.* Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia Frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante Altare, & vade prius reconciliari fratri tuo, & tunc veniens offer munus tuum. „ Accedit (subdit) quod Deus odio non habet illum, qui uxorem „ non ducit, cum tamen illum habeat odio, qui inter fratres discordiam se„ minat ut legitur Proverb. cap. 6. Potest ergo (concludit) melius & omitti, „ impediri matrimonium, quam discordiam inter Patrem, & filium excitare. Hæc fere eadem habet Gutierez *loco supracit. n. 23.*

Ex illa præterea consanguineorum Sponsi & Sponsæ discordia, ac perenni Patris & filii animorum dissensione, gravissimum etiam inter ipsosmet Sponsos, cum prior scilicet ille amor deferbuerit, odium fore timendum est, ut bene notat *Menoch. dict. consil. 69. num. 44. Gutierez loco cit. num. 18. & seqq. Bertonius de neglig. & amiss. par. 2. art. 34. num. 38. vers. Timendus.* Plurimis enim exemplis compertum est maximum, & immoderatum Juvenum obcæcatorum amorem, post expleta perversæ mentis desideria, in maxima tandem odia erumpere. Sic Ammon, ut habetur *Reg. 2. cap. 13.* postquam cubasset cum Thamar, quam deperierat *exosam eam habuit odio magno nimis, itaut majus esset odium, quo oderat eam, amore, quo ante dilexerat.* Odium autem, quod inter sponsos probabiliter secuturum timetur, justam esse causam dissolvendorum sponsalium manifeste deducitur ex *cap. Requisivit de sponsal.* cum ejusmodi nuptiæ nonnisi difficiles siniistrosque exitus soleant habere.

Porro præfato inter ipsos conjuges odio ansam maxime præbere poterit sponsi Pater, qui in pœnam gravissimi sui in re tanti momenti contempus, ac injuriæ universæ familiæ illatæ filium exhæredem facere, seu bonis omnibus, legitima excepta, privare poterit, quod *passim* (inquit Menochius *dict. cons. num. 9.*) *legimus in leg. Nuptias de reg. jur. Fel. in consil. 26. num. 20. Calca consil. 13. num. 8. Paris cons. 29. nu. 3. & 46. lib. 3. & alibi sæpe.* Immo non desunt Auctores, qui sentiunt, Patrem hoc in casu bene posse filium, etiam ipsa legitima, spoliare, ut Menchaca *de succession. creat. par. 1. lib. 1. §. 10. n. 634.* & alii nonnulli, quos tacito nomine citat Bonac. *tom. 2. disputat. 2. quæst. un. pun. 6. num. 9.* & narrat *Joan. Baptist. Costa dist. 40. cent. 2. pag. 386. num. 72.* ita factum fuisse a quodam nobili Viro, qui in Testamento eos filios privarat, qui ad nuptias puellarum ignobilium aspiravissent. si itaque contingat, ut pater dictam ob causam filium exheredet, fieri certe non potest, quin idem filius capitali tandem odio conjugem suam prosequatur; eritque proinde pessimus nuptiarum ejusmodi exitus.

Et licet certum non sit, Patrem eam ob rem posse filium etiam legitima privare, cum communiter Auctores oppositum doceant, si tamen accidat, ut juxta su-

pra relatorum DD. opinionem ; eum exheredet , præterquamquod post mortem Patris inter ipsum filium exheredatum , & eum , qui heres institueretur , accerrima exarsura esset lis, valde præterea timendum est, ne idem filius ipsam etiam Patris memoriam immortali sit odio execraturus , horrendaque non in illum modo , sed vel in se, ac conjugem ipsam perpetuo maledicta intorturus . Neque enim sperare licet , amorem illum, quo spreto jam Parentis consilio , rejectis Consanguineorum & Amicorum suasionibus , posthabita familiæ ignominia , tam perdite puellam nunc deperit , diu esse duraturum . Ubi autem is æstus (quod fieri necesse est) elanguerit , præfatum jam iis nuptiis exitum , certissime contigisse , intellexeris .

Neque vero odia duntaxat, quæ e matrimonio consequi possunt, spectanda sunt , verum vel ipsa gravis injuria, quæ a Filio Patri , totique familiæ irrogatur , cum contra ejusdem Patris voluntatem ad indignas nuptias convolat , haud parvi est facienda .

Ipsi Gentiles solo , eoque valde infirmo rationis lumine ducti nefas putabant nuptias contra Parentum voluntatem contrahere. Etenim apud Apulejum lib. 6. Venus Cupidinis & Psiches nuptias sine consensu Parentum initas sic damnat : *Quamquam inepta ego frustra filium seu nepotem ducam , IMPARES ENIM NUPTIÆ , & præterea in villa sine testibus , & PARTE NON CONSENTIENTE factæ , legitimæ non possunt videri* . Et Quintilianus declam. 7. *Accipe* , inquit , *illam Virginem , quam Pater tradidit euntem die celebri , comitante populo* . S. Ambrosius lib. primo de Abrah. Patriarcha cap. ult. Christianis Virginibus exemplo Hermionem puellam proponit, quæ apud Euripidem *in Andromacha*, cum ab Oreste ad nuptias peteretur, respondit :

Sponsalium quidem meorum Pater meus Curam subibit : hoc enim non est meum .

Cardinalis etiam Carolus a Lotaringia , cum in Concilio Trident. de Matrimoniis , quæ invitis Parentibus fiunt irritandis ut videre est apud Card. Sfortiam Pallavicinum in Hist. ejus Concil. *lib. 22. cap.* 4. ageretur , suum de re illa suffragium in hunc modum ex eod. *Pallav. loc. cit. num. 6.* tulit : *Parmente doversi annullare i matrimonii contratti da figliuoli senza volontà de' Padri . Esser noto col lume della natura , ch' è ufficio del padre ammogliare il figliuolo , e però leggersi molte volte nelle Comedie antiche , le quali esprimono i sentimenti universali , e naturali ;* Io ti darò moglie &c.

Jure veteri Romanorum irrita declarantur filiorum familias conjugia , quæ citra paternum consensum inita fuerint *l. In sponsalibus §. In sponsalibus ff. De Sponsalibus l. Nuptiæ ff. de rit. nupt. l. Nec filium C. de nupt., inst. de nupt. in. princ. & §. Si adversus* etiamsi filius sit miles *l. Filius fam 35. de rit. nupt.* Fateor equidem a Pontificio jure id fuisse omnino correctum , & Sacrosanctam præsertim Tridentinam Synodum sess. 24. cap. primo de reform. matrim. jure illos damnasse anathemate *qui affirmant matrimonia a filiis familias sine consensu parentum contracta irrita esse , & parentes ea rata vel irrita facere posse* . Verum ex eo saltem colligere licet , quanti Patris consensus hac in re sit faciendus , quantique laudatæ illum leges putaverint .

In Franciæ Regno, vel nunc matrimonia a Filiisfamilias invitis Parentibus inita pro nullis , quoad actus Civiles , censentur ; itaut qui talia connubia contraxerint parentum hereditate spolientur , a successione excludantur , actionibus omnibus Civilis Fori , quæ ex vi contractus & conventionum connubialium nasci possunt , priventur , Filiique ipsi , qui ex illo nascuntur conjugio , perinde apud Tribunalia habentur , ac si illegitimi forent , tam quoad honores , quam quoad successiones .

Id autem primum statutum fuit Regio Henrici II. edicto mense Februario anno 1556. quo

1556. quo art. 4. sic dicitur: „ In quantum in nobis est, divinam voluntatem, & „ mandatum exequentes dicimus, statuimus & præcipimus; ut filiifamilias „ matrimonium ineuntes, aut deinceps inituri clandestina matrimonia con„ tra voluntatem, consensum, & insciis Parentibus, propter talem ingratitudi„ nem & contemptum parentum suorum, divinæ legis & præcepti transgressio„ nem, juris que & honestatis publicæ negligentiam ab utilitate publica insepa„ rabilem, a parentibus suis hæreditate privari, & a successione excludi, posi„ sint sine ulla spe deinceps litigandi, aut exheredationem ita factam in „ controversiam revocandi &c." Hoc Edictum habes in Collectione Fontanonis tom. primo lib. 4. pag. 749. Rationem autem, quare Henricus II. legem istiusmodi tulerit, affert Thuanus lib. 19. Histor. ut nimirum honori cujusdam primariæ nobilitatis viri, sibique in primis Cari consuleret, cujus alter filius propediem infimæ conditionis puellam in conjugem erat adsciturus. Idem Decretum confirmatum postea fuit ab Henrico III. in Comitiis Blesensibus ann. 1579. art. 40. nec non renovatum a Ludovico XIII. Parisiis anno 1629.

Præterea in Veteri Testamento Divinum de non contrahendis cum Chananeis matrimoniis Præceptum Patribus solis non Filiis latum fuisse conspicimus. *Nec uxores* (dicitur exodi *cap.* 34.) *de filiabus eorum accipies filiis tuis.* Et Deuteron. *cap.* 7. *Filiam tuam non dabis filio ejus, nec filiam illius accipies filio tuo.* Sic Abraham *Gen.* 24. Servum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus, quæ habebat, adjuravit „ ne de filiabus Chananeorum filio suo Isaac uxorem ac„ *ciperet*, sed ex terra & cognatione sua. *sic etiam Isaac* Gen. cap. 28. *Jacob.* „ *filio suo præcipit*: Noli accipere conjugem de genere Chanaam, sed vade, „ & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ ad domum Bathuel patrem matris „ tuæ, accipe tibi in uxorem de filiabus Laban avunculi tui. *Exodi* cap. 22. „ *dicitur*: Si seduxerit quis Virginem non desponsatam, dormieritque cum „ ea; Dotabit eam, & habebit uxorem; Si vero Virginis Pater dare noluerit, reddet pecuniam juxta modum dotis, quam Virgines accipere con„ sueverent". Adnotes porro illa verba: *Si Virginis Pater dare noluerit.* E quibus profecto colligitur Patrem potuisse impedimento esse filiæ, ne tale matrimonium contraheret. Sapientiæ cap. 7. Parentibus onus injungitur, ut liberis suis assignent, quibuscum possint matrimonium contrahere: *Da filiam tuam viro prudenti.* Et Jeremiæ cap. 29. *Date Filiis vestris uxores, & Filias vestras date viris.*

In Novo vero Testamento S. Paulus 1. *ad Cor. cap.* 7. sic habet: *Qui matrimonio jungit Virginem suam bene facit, & qui non jungit melius facit.*

In Epistola etiam ad Episcopus Africæ Evaristo Papæ tributa, e qua desumptus est sequens Canon *Aliter* 30. *qu.* 5. dicitur: *Aliter legitimum non fit conjugium, nisi ab iis, qui super ipsam feminam dominationem habere videntur, & a quibus custoditur uxor petatur, & a parentibus propinquioribus sponsetur.* E quo textu Mendoza *lib.* 1. *Conc. Illiber. cap.* 31. *Basil. Pont. lib.* 2. *de matrim. cap.* 1. *num.* 5. *& eqq. Dartis in* 30. *quæst.* 1. inferunt, matrimonium a filiis celebratum sine consensu Parentum juxta veteres Ecclesiæ Canones nullum fuisse. Quod adstruitur etiam a Theodoro Balsamone magnæ Ecclesiæ Constantinopolitanæ Diacono, Nomophylace, & Cartophylace, sive sigilli Patriarchalis, ejusque Archivorum Custode in Comment. ejusdem Epistolæ ad Canonem 38., ubi sic inquit: „ Puellas hic S. Pater eas, quæ sunt in potestate Parentum, appellat; „ Dicit ergo, quod si alicujus Puellæ tradant se ipsas suis amatoribus præ„ ter suorum Parentum sententiam, & ab illis vitium iis allatum sit; „ etiamsi matrimonio sibi conjunctæ videantur, matrimonium ejus, quæ est in

„ pa-

„ parentis potestate, non posse consistere sine Paterna voluntate. Sin autem „ Parentes ipsarum eis reconciliati fuerint, & eas cum amatoribus cohabitare „ voluerint, ei rei illa ratione videtur, remedium afferri. Quod enim ab ini„ tio male factum est, Parentum postea consensus reparare videtur ut fornica„ rio, in matrimonium deducatur.

Tertullianus lib. 2. ad uxorem cap. 9. sic inquit: „ Unde sufficiam ad enarrandam „ felicitatem ejus matrimonii, quod Ecclesia conciliat, & confirmat oblatio, „ & obsignatum Angeli renunciant, & Pater rato habet! Nam nec in terris, „ FILII SINE CONSENSU PATRUM RITE ET JURE NUBUNT.

S. Basilius in secunda trium ad Amphilochium Epistolarum Canonicarum, in quibus Disciplinae Ecclesiasticas, quae in Ecclesiis Ponti invaluerat, regulas tradit, Can. 23. & 25. servorum invitis Dominis, & Filiorum invitis Parentibus conjugia damnat, & irrita eadem declarat: *cum enim* (inquit) *qui sunt in alterius potestate pacta conventa firmi nihil habent.*

Sanctus Ambrosius *lib. 1. supracit.* de Abraham Patr. *cap. ult.* relatus in *Can. Honoratur 32. quaest. 2. Mulier*, inquit, *nubat tantum in Domino, ut electionem mariti Parentibus deferat.*

Idem S. Doctor Epist. 68. ad *Sisinniam* commendans illius pietatem, quod filio, qui eo inconsulto uxorem acceperat, tandem ignovisset sic scribit: „ Pulchre „ itaque gestum, ut te patrem recognosceres, simul quia justa indignatio fuit. „ Malo enim culpam fateri, ut plus laudetur paterna indulgentia; SED „ ET PATERNA OFFENSIO FUIT, QUONIAM VENTURAM IN „ LOCUM FILIAE TUAE DEBUISTI ELIGERE JUDICIO CUI FIE„ RES PATER. Namque aut natura filios suscepimus aut Electione. In na„ tura corpus est, in electione, judicium magisque in adoptatis offendimus, „ quam ingenitalibus filiis. Quia genitales filios esse degeneres ad naturam „ refertur, ascitos vel adoptione vel copula dedecores esse, nonnisi errori „ adscribitur „. FUIT ERGO QUOD SUCCENSERES FILIO. Leo, in Epist. ad Rusticum Episcop. Narbonensem relatus in *Can. Non omnis 32. quaest. 2.* Paterno *inquit* „ arbitrio viris junctae, carent culpa, cum ergo dici„ tur: Paterno arbitrio junctae viris, datur intelligi, quod paternus con„ sensus desideratur in nuptiis, nec sine eo legitimae nuptiae habeantur. Ju„ xta illud Evaristi Papae: Aliter non sit legitimum conjugium, nisi a Paren„ tibus tradatur.

Nicolaus I. ad Consulta Bulgarorum cap. 3. relatus in can. *Nostrates 36. d. qui 5.* inquit: „ Post Sponsalia, quae futurarum sunt nuptiarum promissa, foedera „ quoque consensu eorum, qui haec contrahunt, & eorum, in quorum pote„ state sunt, celebrantur.

Coelestinus tandem II. in Decreto Ecclesiae Florentinae missio, & relato in *Can. videtur nobis 35. qu. 7. & in cap. videtur nobis, qui matrim. accus.* ait: „ Quin enim „ melius recipi debent quam illi qui melius sciunt, & quorum est interesse, „ inaut si non intersint, & consensum non adhibuerint, secundum leges nul„ lum fiat matrimonium.

His pleraque accedunt Concilia. In Concilio Carthaginensi IV. celeb. an. 253. Can. 13. qui & refertur in *Can. Sponsus 30. d. qu. 5.* sic decernitur: *Sponsus & Sponsae cum benedicendi sunt a Sacerdote, a Parentibus suis, vel a Paranimphis offerantur.*

In Conc. Aurel. IV. cel. an. 541. cap. 21. praecipitur, ut nullus puellam in matrimonium ducere audeat *per imperium potestatis* invitis parentibus, *ne conjugium quod CONTRA VOLUNTATEM PARENTUM IMPIE COPULATUR, velut captivitas judicetur, sed sicut est prohibitum, non admittatur.* In eos vero qui

id

id perpetraverint, excomunicatio decernitur. Et Cap. 24. sic dicitur: „ quæ „ cumque mancipia sub specie conjugii ad Ecclesiæ septa confugerint, ut per „ hoc credant posse fieri conjugium, minime eis licentia tribuatur, nec „ talis conjunctio a Clericis defensetur ..... De qua re decernimus, ut Pa„ rentibus, aut Dominis, prout ratio poscit, reddantur. Postmodum tamen „ a Parentibus atque Dominis libertate concessa si voluerint, eos propria vo„ luntate conjungant.

In Concilio Parisiensi III. celebr. ann. circiter 557. can. 6. cavetur: „ Ne ullus „ viduam aut filiam alterius contra voluntatem Parentum, aut rapiat, Regis „ beneficio postulet, ducatque uxorem; quod si fecerit, a Communione remo„ vetur „. Atque id suo etiam Regio præcepto roboraverunt Childebertus, deindè Clotarius, ac postea Charibertus Reges tunc temporis Christianissimi.

In Concilio Toletano III. celebr. ann. 589. can. 10. cum nonnulla de Viduis statuta fuissent, subditur: „ Similis Conditio & de Virginibus habeatur: nec ci„ tra voluntatem Parentum vel suam maritos coguntur accipere.

In Concilio Coloniensi celebr. ann. 1537. par. 7. cap. 43. habetur: „ Optandum, „ ut Canon Evaristi Pontificis Concilio Generali renovetur, tollanturque illa „ Clandestina Matrimonia, quæ invitis Parentibus ac propinquis, Veneris po„ tius, quam Dei causa contrahuntur. Nam quanta ex his Clandestinis Ma„ trimoniis mala suboriantur, in aperto est .... Quantum fieri potest cavebit „ Parochus, ne liberos citra Parentum auctoritatem conjungat.

In Concilio Moguntino celebr. an. 1549. cap. 37. dicitur: Volumus tamen liberos „ sedulo admoneri, ut Divini Præcepti memores velint in Parentum esse pote„ state, nec illis insciis, aut invitis inire matrimonia, aut quicquam rei seriæ „ inchoare præsumant.

In Sacrosancta demum Oecumenica Tridentina Synodo sess. 24. de reform. matrim. cap. primo De Matrimoniis Clandestinis, ac sine Parentum consensu contractis diserte asseritur, quod *Sancta Dei Ecclesia ex justissimis caussis illa semper detestata est, atque prohibuit*. Et quibus verbis apparet, quam fœda Heterodoxorum calumnia sit, quod eo de matrimonii reformatione decreto Sacra Synodus conjugia haud reformarit, sed plane deformaverit, cum approbasset illas, inquiunt, nuptias a filiisfamilias invitis Parentibus initas, quas, ajunt, veteres leges improbarunt, abhorret publica honestas, dissuadent, ac damnant Jurisconsulti omnes. Ex laudatis etenim verbis Sanctam Synodum, vides, ejusmodi nuptias haud approbare, sed detestari, ac prohibere.

Quæ quidem omnia licet non probent ad validitatem matrimonii Parentum consensum requiri, ut optime ab eodem Concilio Trident. loc. cit. definitum fuit, ostendunt tamen quam maxime necessarium esse, ut rite illud honesteque contrahatur, ac Parentes bene posse ipsas suorum filiorum nuptias, justis de caussis, & præsertim cum seipsis invitis ac reluctantibus cum familiæ dedecore nubere volunt, impedire, ut recte sentiunt, *Menoch. d. cons. 69. num. 36. Cephalus lib. 3. cons. 421. Rebellus par. 2. de oblig. just. lib. 2. de matrim. quæst. 14. sect. 1. num. 9. Corduba summa quæst. 171. punct. 1. notab. 1. Ludovic. Lop. 1. par. instruct. cap. 44. §. Si aliquis, Vega lib. 5. summæ casu 558. Gutier. quæst. Canonic. lib. primo cap. 20. num. 27. Salon. 2. tract. de dominio, quem ponit. post quæst. 61. quæst. 5. fol. 523. Sanchez. lib. 4. de matrim. disp. 22. num. 7. Basil. Pons. lib. 2. de matrim. cap. primo §. 2. num. 27. Layman. l. 5. tract. 10. p. 1. c. 1. num. 14. vers. Enim vero, Marbesius in sum. Christ. tom. 2. diss. 7. quæst. 18. Berton. de neglig. & omiss. part. 2. artic. 4. num. 18. & seqq. Fragos de regim. Reip. Christ. tom. 3. l. 2. disp. 3. §. 3. num. 68. Pasqual. de viribus patr. potes. p. 2. cap. 5. num. 21. Del bene de immunit. Eccles. cap. 8. dub. 19. sect. 9. num. 43. & seqq. Capibl. de*

Baron

Digitized by Google

Baron. lib. 2. ſuper Pragmatica 9. c. 65. num. 9. Ricc. dec. Cur. Archiep. Nepol. 24. *in fin. & num. primo & ſeq. Zaulus ad Stat. Favent. rub.* 26. *l.* 4. *num.* 40. *&* 41. *Eſcobar de parit. & nob. part.* 1. *quæſt.* 4. §. 7. *num.* 9. *& ſeqq.* ubi monet Judices Eccleſiaſticos, ut in talibus caſibus aſſiſtant & indulgeant Parentibus. *Panimol. dec.* 45. *num.* 15. *&* 16. *Pignatel. conſult. can.* 11. *tom.* 4., ubi reſpondet, Judices poſſe tuta conſcientia ad inſtantiam Parentum ſimilia matrimonia impedire. *Tranchedin. conſult.* 33. *num.* 6. *& ſeqq.*

Et quidem ſi ex allatis tum Sac. Scripturæ tum SS. Patrum & Conciliorum auctoritatibus colligitur a Parentibus filiorum conjugia eſſe concilianda, aut ſaltem iis invitis ac juſte repugnantibus minime eſſe contrahenda, jam patet, quod ſi filii contra ipſorum Parentum voluntatem, immo cum eorum contemptu, ac univerſæ familiæ dedecore nubere velint, poſſint ab illis, ne ſic nubant impediri. In eo enim caſu injuriam parentibus fieri, ipſorumque jus violari ex dictis conſtat. *Parentum jus* (inquit etiam Magiſter ſententiarum in 4. diſt. 28. cap. primo)„ prohibet ne ipſis inſciis filii de nuptiis deliberent, „ & amoris nexus perpetuando matrimonio neceſſarius expoſtulat, ne leviter concilientur „. Et Dominicus Soto in *eundem librum eadem diſt. art. primo quæſt.* 1. *verſ. Sit ergo prima concluſio* aſſignans rationes, quare Eccleſia Matrimonia Clandeſtina prohibuerit, hanc primam eſſe inquit: „ Primum ſiquidem jus „ naturæ, quo Parentes in libros funguntur, ſub quorum ſunt poteſtate, exi„ git, ut citra eorum conſenſum nihil nati deliberent de re potiſſimum & vinculo, unde totum vitæ inſtitutum pendet, quale eſt conjugium „. Si ergo injuria Parentibus a filiis in eo caſu fit, licitum erit Parentibus jus ſibi ſuum vindicare, & injuriam propulſare juxta *l. Vim. ff. de inſtit. & jur.* ubi copioſe Doctores.

Imo Tranchedinus *Conſul.* 33. *verſ. Hinc cum Pater* non dubitat aſſerere, quod – *Cum Pater habeat jus impediendi nuptias filii, ſi filius non agnoſcit pietatem patri debitam, caſtigari jure patriæ poteſtatis non prohibetur l.* 1. *Cod. de emendat. propinquorum, & l. Si filius familias Cod. de patr. pot. atque ſi in pari contumacia filius perſeveret, acriori remedio licet patri, ut in d. l. Si filius familias; ideo Pater poteſt filium in certum locum tanquam carcerem relegare, vel cum certo conclavi per tempus includere, nedum eum tradere in Carcerem, Aſcan. clemen. de patr. poteſt. cap.* 6. *num.* 18. *Boer. dec.* 275. *num. primo Menoch. de præſumpt. lib.* 5. *præſumpt.* 14. *num.* 4. *Adden. ad Bertaz. in conſ.* 246. *Farinac. in quæſt.* 27. *n.* 25. *Harpprec. in* §. *Jus autem poteſtatis num.* 12. *inſt. de patr. pot. ibique retinere donec reſipiſcat Menoch. in d. præſumpt.* 14. *num.* 4. *Farinac. in dicta quæſt.* 27. *n.* 25. *Anton. Faber in defin.* 1. *Cod. de pat. pot. leg.* 8. *tit.* 23. *Capiblan. in d. cap.* 65. *num.* 9. *Boſ. in d. cap.* 11. §. 3. *num.* 13. – Hæc & alia eo loci Tranchedinus.

Porro ex iiſdem ſuperius laudatis Sac. Scripturæ & SS. Patrum auctoritatibus communiter etiam ſentiunt DD., graviter filios peccare, cum contra voluntatem parentum ſimilia matrimonia volunt contrahere *Navar. ſum. cap.* 14. *num.* 14. *num.* 15. *Henriquez lib.* 11. *de matrim. cap.* 6. *num.* 6. *Capua lib.* 2. *dec. c.* 55. *num.* 19. *Bellarm. lib.* 1. *de matrim. cap.* 19. *prop.* 3. *& in fin. Philiarcus de offic. Sacerdot. tom. primo part.* 2. *lib.* 4. *c.* 21. *Azebedo lib.* 5. *recop. tit.* 1. *lib.* 1. *num.* 49. *Petrus de Soto lect.* 3. *de matrim.* §. *Tertio etiam Molina lib.* 1. *ſum. cap.* 14. *num.* 15. *Veracr.* 3. *par. ſpeculi artic.* 20. *conſ.* 3. *Sayrus in clav. reg. lib.* 3. *cap.* 5. *num.* 12. *Baſil. Pontius lib.* 2. *de matrim. cap.* 1. §. 2. *num.* 27. *Layman. l.* 5. *tr.* 10. *part.* 1. *numer.* 14. *Marbeſius in ſum. Chriſt. tom.* 2. *de Sacr. Matrim. diſs.* 7 *quæſt.* 17. *& quæſt.* 18. *Pichard. Inſtit. tit. de inoffic. teſtam. nu.* 24. *Capon. diſcept. foren. tom.* 3. *diſcept.* 160. *num.* 17. *Capiblanc. de Baron. pragmat.* 9. *num.* 23. *Fontanell. de pact. nuptial.*

Digitized by Google

nuptial. clauſul. 4. gloſſ. 2. num. 6. & ſeq. Zaulus obſervat. ad ſtat. Favent. ad rubr. 26. numer. 7. lib. 4. Paſqual. de pat. pot. par. 2. cap. 5. num. 25. Mar. Ant. var. reſol. lib. 1. reſol. 2. num. 9. Cevalos quæſt. commun. in quæſt. 604. num. 23. & alii apud Sanchez *lib. 4. diſp. 23. num. 9.* Certe ex quarto Decalogi præcepto Exodi 20. filii Parentes honorare tenentur, iiſdemque juxta Apoſtolum ad Epheſ. 6. & ad Coloſſ. 3. per omnia in Domino obedire. Unde S. Ambroſius in dictam Epiſt. ad Coloſſ. in ea verba cap. 3. *Filii obedite parentibus* ſic ait: „ Tunc poſſunt filii Deum habere propitium, ſi debitam honorificentiam re„ pendant parentibus, circa obſequium illorum faciles, in contemptu difficiles: ſcientes filios nunquam adverſus Parentes protervire debere „. Parentibus præterea grave onus incumbit filios educandi, alendi, Chriſtianis inſtitutionibus imbuendi, cæteraque, quæ tum ad victum, tum ad æternæ ſalutis conſecutionem, ſunt neceſſaria, iis ſuppeditandi. Grati igitur animi ratio expoſtulat, ut Filii viciſſim Parentibus omne genus obſequii, honorem omnem, omnemque obedientiam rependant. Sic quippe Apoſtolus ad Hebr. cap. 13. obediendum Præpoſitis jubet, quod *ipſi pervigilent. quaſi rationem pro animabus* ſubditorum *reddituri*. Hic autem debitus honor, hæc obedientia, ac gratitudo nequaquam a filiis Parentibus exhiberetur, ſi his invitis, ac cum gravi eorumdem ſpretu & dedecore matrimonia vellent contrahere.

Licet vero Sanchez loco cit. num. 10. quem plures etiam DD. ſequuntur, ſubdat, ſe probabilius credere, teneri quidem filium ſub culpa lethalis conſilium Parentum circa matrimonium petere, non tamen illud ſequi, nihilominus num. 11. ſuam hanc, quoad poſteriorem partem, ſententiam cum Victoria & Ledeſma intelligendam eſſe fatetur ſecluſa ratione ſcandali: quando enim (inquit) „ probabiliter noſſet filius graviſſima inde ſcandala, & odia capitalia ſub„ oritura peccaret lethaliter ſic contrahendo contra Caritatem „. Quibus ſane adjici poteſt, niſi grave damnum & dedecus familiæ tali matrimonio inferatur, cum grave id etiam peccatum ſit atque ſcandalum. *Navarrus, Hazebedo, Henriquez, Capua, Philiarcus locis ſup. citat. Azorius l. 2. c. 2. quæſt. 6. Villalobos par. prima tr. 13. diff. 39. Boſſ. de matrim. cap. 11. §. 8. num. 87.* hancque ſententiam ipſe Sanchez *loc. cit. num. 9. in fin.* aſſerit eſſe probabiliſſimam.

Imo communis pariter ſententia eſt, teneri Filium ſub lethali culpa Parenti matrimonium quodpiam ſibi præcipienti obedire, cum multum Parentum intereſt, quod filius tale ineat matrimonium, ut ſi medium eſſet ad graves inimicitias componendas, quæ eſſent inter parentes & conſanguineos eorum, cum quibus eſt contrahendum matrimonium *Calderin. cap. primo de Deſponſ. impub. & ibidem Alexan. de Nevo num. 6. Propoſ. num. 5. Navar. ſum. cap. 14. n. 15. Henricus cap. 1. de Deſponſ. impub. nu. 6. Suar. lib. 2. tit. de los Caſamentos num. 17. lib. 3. fori*, & ex Theologis D. *Th. 29. quæſt. unica art. 4. in Corpore: D. Bonav. qu. 3. Scotus qu. concl. 4.* aliique quamplurimi quos citat, & ſequitur *Sanchez de Matrim. lib. 4. diſp. 22. num. 4.* qui eam affert rationem: „ Quia ex virtute, *inquit*, pietatis tenentur filii „ ſubvenire parentum neceſſitati, ergo quando parentes indigent tali matri„ monio, tenentur filii obedire „. Quanto autem magis tenebitur filius eidem Patri obtemperare, quando aliquod ſibi matrimonium prohibet, e quo magnum dedecus univerſæ familiæ infertur, graviaque inter affines, & conſanguineos odia timentur exoritura?

Si itaque graviter peccant filii talia conjugia invitis, ac juſte reluctantibus Parentibus, ineundo, jam vides, quo immani ſacrilegio polluantur, cum Magnum illud

Digitized by Google

lud in Christo & Ecclesia Sacramentum, cujus ipsi Contrahentes Ministri sunt, tam fœda animi dispositione perficiunt. Sacramentum Matrimonii (inquit Concilium Colon. I. celeb. ann. 1536. part. 7. can. 40.) „ Si quis sicut decet „ acceperit, accedente Sacerdotali precatione, confert donum Spiritus, quo vir „ diligat uxorem amore casto, sicut Christus dilexit Ecclesiam: mulier vicissim „ propter Christum amet, reveretaturque virum suum uti Dominum: uterque „ liberos, si dentur, summa cura instituant ad Christianam pietatem „. His autem Sancti Spiritus donis, minime sperare possunt, fore nuptias suas perfundendas, si in statu peccati mortalis illas contraxerint. Sancta Synodus, (inquit etiam Concilium Trid. *decr. de refor. matrim. cap.* 1.) „ conjuges hortatur, ut antequam contrahant, vel saltem triduo ante matrimonii consumationem sua peccata diligenter confiteantur, & ad Sanctissimum Eucharistiæ „ Sacramentum pie accedant „. Si autem hæc etiam Pœnitentiæ & SS. Eucharistiæ Sacramenta in eo statu suscipiant, peccata certe peccatis, & sacrilegia sacrilegiis cumulasse, deprehendentur.

Hinc Rebellus *cit. p.* 2. *de oblig. just. lib.* 2. *quæst.* 14. *sect.* 1. *num.* 9. contendit, nullo pacto debere Prælatos eos matrimonio, etiam post inita sponsalia, jungere, quos eo matrimonio constat injuriam aliis facere, *cujusmodi*, inquit, *sunt ii, qui cum novæ injuria Parentum contrahunt*. Atque id consequi dicit ex quinta quam posuerat Conclusione, qua nempe asseruerat, filium, cum decernit contrahere, non posse sine aliqua culpa Paternum præceptum, vel consensum in conjuge sibi eligenda præterire. Probat vero præfatum suum assertum primo ex eo, quia alioqui, inquit „ dabitur bellum justum ex utraque parte inter „ Prælatos talia conjugia conciliantes, ac inter Patres ad eadem dissolvenda „ contendentes, habent enim Patres jus impediendi nuptias filiorum ob causam justam. *Secundo deinde probat* quia si Prælati cujusmodi nuptias Parentibus injuriosas concilient cooperabuntur peccato contrahentium, & in inferenda parentibus injuria socii erunt, & multo magis quando ipsi Parentes „ jure suo talia connubia dissolvere contenderint.

Cum autem sibi objecisset, quod „ sponsalia contracta a Filiis familias etiam cum „ injuria Parentum quantumvis repugnantium fuerunt ab initio valida & firma simpliciter, ergo de justitia obligantur ad promissionem implendam, ac „ proinde non valebit Pater in præjudicium Tertii justa etiam interveniente „ causa illa impedire: *Huic difficultati* n. 11. *respondet* negando antecedens „ quia, *inquit*, non valet nuda promissio de re sive opere præstando, quod „ sine peccato impleri nequit, cujusmodi est nuptiarum conciliatio.... quando est injuriosa parentibus.

Bonacina etiam *tom. primo quæst.* 4. *de sacram. matrim. punct.* 17. *num.* 26. *vers. si sumptis legitimis* aperte docet Judices Ecclesiasticos non solum posse, verum etiam teneri matrimonium filiisfamilias, quamvis jam sponsalia contraxerint, interdicere, quando periculum est, ut grave inde scandalum enascatur. *Ratio*, autem inquit *est, tum quia ipsi* (Judici scilicet Ecclesiastico) „ incumbit „ saluti subditorum consulere, rixas tollere, & scandalum impedire: tum „ quia filius peccat ineundo matrimonium in tali eventu.... Prælatus autem „ debet peccata impedire: tum quia Parentes in proposito eventu possunt „ impedire matrimonium & licite possunt implorare Superioris auxilium; „ ergo superior potest, ac debet suam interponere auctoritatem &c. „ Paulo autem inferius addit: „ Neque obstat tertio vinculum sponsaliorum „ præcedentium jam celebratorum, tum quia sponsus non tenetur perficere „ sponsalia; quando ex eorum adimpletione grave imminet malum, seu scandalum „. Hæc porro sententia colligitur etiam ex *cap. Cum in tua de sponsal.*

ibi-

Digitized by Google

ibi Gloſſa *verbo ſcandalo*, *Panor.* aliique interpretes a nobis in principio allegati, & traditur præterea ab *Hippol. Maja in obſerv. ſelect. obſ. 14. n. 31. & ſeqq. Baſil. Pont. cit. l. 2. c. 2. §. 2. num. 28. Joan. Capeavillie de modo miniſt. ſac. c. 6. qu. 18. Layman. d. l. 5. tr. 10. p. 1. c. 1. verſ. Enim vero Tranched. conſ. 33. n. 27. & ſeqq. Antonio a Spiritu Sancto in direct. confeſſ. tit. de matrim. tract. 11. diſp. 5. ſect. 6. n. 252. Octav. a S. Joſeph. op. mor. tit. 96. n. 955. aliiſque.*

Quæ de puris putis ſponſalibus dicta hactenus ſunt, eadem de ſponſalibus juramento firmatis dicenda. Si enim promiſſio, cum ſine peccato ſervari non poteſt, ad ſui impletionem minime obligat, imo ne impleantur, ab iis qui peccata impedire tenentur, curandum eſt; ita neque juramentum in eo caſu obligare cenſendum. Juramentum enim, ut dicitur *in can. inter. cætera 22. qu. 4., non ob hoc fuiſſe inſtitutum invenitur, ut eſſet vinculum iniquitatis*. Unde Rebellus loco ſupracit. bene addit. „ Nec obſtat, quod ſponſalia etiam jurata præceſſerint, quoties enim ea ſine peccato impleri nequeunt, ad ſui „ impletionem non obligant juxta doctrinam communiter receptam, cum pro „ nulla re ullo in eventu peccare liceat; alioquin jam quod illicitum eſt, „ erit licitum, in quo aperta invenitur contradictionis impoſſibilitas, nec „ talia ſponſalia, ut poſt alios docet Menoch. ubi ſupra (ſcilicet conſ. 69.) „ a num. 23. ex ſuper addito juramento confirmantur, cum juramentum non „ ſit vinculum iniquitatis. Ad vitandum tamen ſcandalum (ſubdit) & majorem conſcientiæ ſecuritatem expediet obtinere a Prælato juramenti relaxationem; jam vero ſi res dubia eſſet, ejus ſententia erit omnino expectanda „. Faciunt præterea in hanc rem *can. Eſt etiam, can. In malis, can. Unuſquiſque, can. Qui Sacramento, can. Non eſt obſervandum, can. Non pejerabis, can. Si aliquid forte, can. Si ad peccatum 22. qu. 4.* S. Thomas Archiepiſc. Cantuarienſis apud Baron. tom. 12. anno 1170. in Epiſtola ad quoſdam Epiſcopos Angliæ & alios Viros Eccleſiaſticos, & quos Enricus II. Angliæ Rex adegerat ut jurarent, ne Decretis Alexandri Papæ III. atque ipſius S. Thomæ Angliæ Primatis parerent, ſcrupulum, quo ii vexabantur, num revera juramentum ſervare tenerentur, ſic diſpulit: „ Admonentes omnes, Vos nequaquam tali juramento eſſe obnoxios, nec ut pareatis obligari; ne inſtar „ Herodis ſub prætextu pietatis efficiamini impii & juramento excuſetis ſcelus „ ipſo deterius, juxta quod quidam ait: Non eſt obſervandum juramentum, „ quo malum incaute promittitur „. His addas ſi lubet, id quod dicitur in *can. Si quis præventus 22. dic. qu. 4.* „ Tribus modis juramenta contracta „ ſolvuntur. Primo cum quis male jurat. Secundo cum quis incaute jurat, „ non putans hoc eſſe peccatum. Tertio ſi pueri, vel puellæ in domo parentum ſe juramento conſtrinxerint, Patribus, poſtquam audierint, contradicentibus.

Cæterum ut magis eluceat, quam a Prælatis ac Parochis, cum de filiisfamilias matrimonio jungendis res agitur, Parentes maxime audiendi ſint, eorum honeſtati conſulendum, cavendumque, ne a Filiis Patribus totique familiæ ea in re ulla injuria inferatur, non abs re erit præter ſuperius laudatorum Conciliorum auctoritates hic nonnullarum etiam noſtri ævi Synodorum ſtatuta attexere, quibus Parochis præcipitur, ut valde caveant, ne ipſos filiosfamilias invitis Parentibus ad Sacramentum Matrimonii admittant, niſi illos prius ad Epiſcopos remiſerint, ut cauſam diſſenſus Parentum ipſi rite poſſint inquirere, & quid demum agendum ſit, judicare.

S. Carolus Borromæus in Concilio Mediolanenſi VI. celebr. anno 1582. *tit. quæ ad matrim. ſacr. pertinent*, ſic inquit: „ Si vero Filiifamilias ſint, hos Parochus

„ chus valde cohortetur; ut Parentibus in quorum potestate sunt, eum ho-
„ norem tribuant, ut illis ne insciis quidem, nedum invitis rem tanti mo-
„ menti ineant.

Cardinalis Antonius Maria Gallus in Synodo Auximana celeb. anno 1593. *de matrim. cap. 9.* hæc habet. „ Quamvis pro validitate matrimonii consensus Paren-
„ tum non requiratur: cum tamen ex hujusmodi matrimoniis, quæ invitis
„ Parentibus fiunt, multa scandala exoriri soleant mandamus, ut nullus Pa-
„ rochus eos quos sciverit invitis Parentibus matrimonium velle contrahere,
„ matrimonio conjungat, sed de re nos reddat certiores, ut quid sit agen-
„ dum mature possimus deliberare.

Cardinalis Franciscus Maria Taurusius in Concilio Provinc. Senensi celebr. anno 1599. *de matrim. cap. 4.* mandat Parochis, ut ab iis qui volunt contrahere expresse quærant: „ Utrum consciis & permittentibus, an insciis & invitis
„ Parentibus jungi Matrimonio velint. Ac si contra (subdit) eorum volun-
„ tatem, id fieri appareat, interrogentur de causa, eaque cognita, paterne
„ & graviter moneantur, ne Parentum in quorum potestate sunt, ita aut
„ negligere, aut parvi facere auctoritatem velint, ut eos de re tanta, sibi
„ esse celandos putent, nisi forte constet sponsalia de futuro inter eos vere
„ esse contracta, maligneque futurum matrimonium a Parentibus impediri,
„ ante cujus celebrationem Episcopus, vel ejus Vicarius Generalis certior erit
„ de tota re facienda „. Hic autem adnotes velim verba illa: „ Nisi forte
„ constet sponsalia de futuro inter eos esse contracta, maligneque futurum
„ matrimonium a Parentibus impediri „. E quibus apparet tunc solum spon-
„ salia impleri omnino debere, etiam contra voluntatem Parentum, cum con-
tra *maligne* tantum illos ejusmodi matrimonia impedire; non vero cum justis de causis, nimirum quia iis matrimoniis injuria Patri totique familiæ irroga-
tur, Paxque & concordia inter consanguineos turbatur, & similia conantur eadem conjugia impedire.

Cardinalis Carolus Roscettus in Synodo Faventina ann. 1647. *tit.* 10. *cap.* 10. *num.* 6. statuit: „ Ut Parochi non solum sponsorum consensus, sed etiam eorum
„ parentum, si filii fiamilias fuerint, diligenter inquirant, quod si difficulta-
„ tes comperient, nobis inconsultis ad denunciationes non deveniatur.

Cardinalis Franciscus Barberinus in Synodo Veliterna anno 1673. cap. 17. cum rationi (inquit) „ & honestati apprime consonum sit, etiam si ad Sacra-
„ menti validitatem minime necessarium, quod Filii familias in re tanti
„ ponderis & momenti, parentum, vel eorum quorum fidei & potestati
„ subjecti sunt, voluntatem & consilia sequantur: Parochi antequam Matri-
„ monio illorum assistant, de illorum consensu requirant, & si quid dif-
„ ficultatis occurrerit, nos consulant, ut quod in ea re congruum visum fue-
„ rit decernamus.

In Synodo tandem Vestana celebr. anno 1699. cap. 15. sic dicitur: Quorum fi-
„ liorum inobservantia erga Parentes hucusque perveniet, ut facile sibi per-
„ suadeant licite posse absque respectu ad illorum voluntatem ad quæcum-
„ que matrimonia convolare, quæ sibi sint placita, contra reverentiam
„ filialem Parentibus debitam, & in lege præceptam, unde & dissensio-
„ nes & scandala inter familias exoriri solent. Ideo volentes malo occur-
„ rere, præcipimus nostræ Episcopali Curiæ, quatenus imposterum per
„ illam non recipiantur instantiæ de celebratione futuri matrimonii,
„ quin prius extra judicialiter constet de consensu Parentum. Quod si
„ dissentiant, cognoscatur causa dissensus, & ad nos referatur, qui pen-
„ satis causæ momentis in jure, mandabimus opportune promoven-

dum

Digitized by Google

„ dum vel impediendum matrimonium, ut juris erit, & in Domino ju-
„ dicabimus.

Ex his autem Synodorum ſtatutis perſpicuum fit, Epiſcopos, ac Parochos, minime Parentum inſtantias debere negligere, cum matrimonia quæpiam filiorum ſuorum vetare contendunt, ſed teneri potius illas paterne excipere, ſerioque expendere, num juſtis de cauſſis ii dicta matrimonia impediri depoſcant. Juſtam autem eorum impediendorum eſſe cauſſam ſuperius probatum eſt, cum Filius puellæ valde genere, ac divitiis impari nubere vult, ac ex iis nuptiis magna ipſius filli Parentibus & conſanguineis labes aſpergitur, diuturna odia, & inimicitiæ, inter ſponſorum propinquos, creantur, nec non perpetua inter patrem ipſum, & Filium, inter quos ſumma pax & caritas habenda eſſet, diſcordia excitatur. Quæ ſane graviſſima ſcandala a prudentibus & Chriſtianis viris cenſentur, ac ſufficientia proinde, ut prædicta matrimonia impediantur.

Quia vero iis, quæ dicta ſunt vulgo creditur matrimonii libertas obſtare, quam quidem *libertatem violare* recte a Concilio Trident. ſeſs. 24. de reformat. matrim. cap. 6. *maxime nefarium* eſſe aſſeritur, ideo ad errorem hunc revellendum, haud erit inutile, nonnulla hic de iſtiuſmodi libertate, deque iis, quæ in re noſtra Concilium Tridentinum decrevit, delibare.

S. Thomas *in 2. ſent. diſt. 25. qu. 1. art. 2. ad 2.* „ Ad rationem, inquit, liberi ar-
„ bitrii non pertinet ut indeterminate ſe habeat ad bonum vel ad malum,
„ quia liberum arbitrium per ſe in bonum ordinatum eſt, cum bonum ſit
„ objectum voluntatis .... & ideo ubi perfectiſſimum eſt liberum arbitrium,
„ ibi in malum tendere non poteſt, quia imperfectum eſſe non poteſt". His conſonant quæ habet S. Bernardus in *lib. de gratia & lib. arb.* laudatus etiam in rem noſtram a Rebello atque illis ſupracitatis: „ Nemo proinde
„ putet, ideo dictum liberum, quod æque inter bonum & malum poteſtate, aut
„ facilitate verſetur.... Alioquin nec Deus, nec Angeli Sancti, cum ita ſint bo-
„ ni, ut non poſſint eſſe mali .... liberi arbitrii eſſe dicuntur." Et S. Auguſtinus *lib. primo operis imperf. contra Julianum* Pelagianos refellens contendentes ad libertatem pertinere, ut bonum & malum agere poſſit, ſic arguit: *Liberum non eſt, niſi quod duo poteſt velle, ideſt bonum & malum. Liber ergo Deus non eſt, qui malum non poteſt velle ..... ſiccine Deum laudas, ut ei auferas libertatem?* Si itaque de ratione libertatis non eſt, ut malum agere valeat, ſed id potius eſt ipſius libertatis defectus, atque imperfectio, libertatem profecto nemo ex eo violari dixerit, quod illa, ne in malum ruat, impediatur. Caritas erga proximum, ac ſalutis animarum Zelus expoſtulat, ut fratrum peccata, quoad fieri poteſt impediamus; neque proinde cum eadem reipſa peccata impedimus, violatæ libertatis rei traducimus. Paſtoralis ſollicitudinis ratio expoſcit, ut Parochi, ipſique Præſules oves ſibi concreditas ab interitus, & peccatorum ſemita abducant; neque vero gregis ſui libertatem violare Paſtores Sanctiſſimi ſentiunt, cum juxta Apoſtoli præſcriptum 2. *ad Timotheum* 4. inſtant opportune, importune, arguunt, obſecrant, increpant in omni patientia, & doctrina, ut ſubditos ſuos, quorum unice ſalutem diligunt, a peccando deterreant; imo potius eorum libertatem ſe ea ratione perficere, cumulare, ac ab ſuis defectibus cuſtodire intendunt; ut ii nimirum poſtquam recte ſua libertate hac in vita fuerint uſi, ea tandem perfecta caſtiſſimaque in cælis libertate donentur, qua (ut inquit S. Auguſtinus lib. 12. de Civ. Dei cap. 3.) *Ab delectatione peccandi, uſque ad delectationem non peccandi indeclinabilem, liberabimur.* Sic igitur, cum matrimonium contrahere, e quo graves rixæ, atque odia inter conſanguineos poſſunt fieri, quoque gra-

Digitized by Google

vis injuria parentibus, totique familiæ irrogatur, graviſſimum peccatum ſit, haud violabitur libertas filiorum reſpectu ejuſce matrimonii ineundi, ſi ne illud ipſum matrimonium contrahant, impediantur.

Duplici quidem, reſpectu matrimonii, libertate gaudent filiifamilias: altera, ut ſtatum ſive conjugii, ſive cælibatus ſponte iis liceat amplecti; altera vero, ut cum ſtatui conjugali ſe jam mancipare ſtatuerint, puellam etiam caſtis, chriſtianiſque moribus præditam, conſilio ſaltem cum parentibus inito, ſibi libere queant adſciſcere. De priori libertate ſic inquit S. Thom. 2. 2. *quæſt.* 104. *art.* 5. *in corp.*: *Non tenentur nec Servi Dominis, nec Filii Parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel virginitate ſervanda aut aliquo alio hujuſmodi.* Quod ſane quam rationi conſonum ſit, apparet ex eo, quod cum ad æternam ſalutem ſummopere vitæ ſtatus Electio conferat, in ea proculdubio peragenda, non caro & ſanguis, ſed ſola Dei vocatio audienda eſt, eaque jugibus precibus flagitanda. De poſteriori vero libertate ſic decernit Concilium Trid. ſeſs. 24. de reform. matrim. cap. 9. „ Ita plerumque temporalium Dominorum ac magi„ ſtratuum mentis oculos terreni effectus, atque cupiditates excæcant, ut „ viros, & mulieres ſub eorum juriſdictione degentes maxime divites, vel „ ſpem magnæ hereditatis habentes minis, & pœnis adigant cum iis matri„ monium invitos contrahere, quod ipſi Domini, vel magiſtratus illis præ„ ſcripſerint; quare cum maxime nefarium ſit, matrimonii libertatem vio„ lare, & ab eis injurias naſci, a quibus jura expectantur; præcipit Sancta „ Synodus omnibus cujuſcumque gradus, dignitatis, & conditionis exiſtant, „ ſub anathematis pœna, quam ipſo facto incurrant, ne quovis modo dire„ cte, vel indirecte ſubditos ſuos, vel quoſcumque alios cogant, quo minus „ libere matrimonia contrahant.

Hic vides Concilium Trident. eos tanquam libertatis revera violatores damnare, qui viros, aut mulieres cum aliqua, aut aliquo determinate contrahere adegerint. Cæterum ſi contingat, ut filii cum parentum contemptu, ac familiæ, & conſanguineorum dedecore nubere velint, nihil Concilium decernit, quo minus tale conjugium impediatur. *Menoch. d. conſ. 69. num. 6. Rebell. loc. ſup. cit. verſ. Unde caute Molin. de juſt. & jur. tract. 2. diſp. 176. verſ. Ad ſecundam partem, Bonac. cie. tom. primo quæſt. 4. de matrim. punct. 17. num. 26. verſ. Neque obſtat, Barboſa ad d. Concilium ad d. cap. 9. num. 9. Tranched. dict. conſul. 33. num. 7. aliique paſſim.* In priori enim caſu libertatem violari conſtat, ſecus vero in poſteriori quandoquidem, cum ea matrimonia, non niſi cum peccato contrahi poſſint, quemadmodum impediendum peccatum eſt, ita, ne ea conjugia fiant, prohibendum. Epiſcopi (inquit idem Concilium Trid. eodem loc. cap. ſeq.)„ nuptias, ut ea qua decet modeſtia, & honeſtate fiant, „ curabunt. Sancta enim res eſt matrimonium, & ſancte tractandum“. Quæ autem cura, ut debita cum modeſtia, honeſtate, & ſanctitate nuptiæ fiant, ſi cum gravi ſcandalo, gravique Parentum injuria fieri permittantur? Ex iiſdem etiam laudati capitis noni verbis apparet, Concilium Tridentinum loqui de Dominis temporalibus, non vero de Parentibus. *Sanchez de matrim. lib. 4. diſp. 22. num. 9. verſu Sed dicendum* ubi in hac re alios congerit auctores *Molfeſius in ſum. tract. 4. cap. 7. num. 14. Boſſ. de matrim. cap. 11. §. 3. num. 21. Tranched. loc. cit. num. 8.* ac tandem non loqui, niſi de vi injuſta, ſeu ubi non exiſtit juſta cauſſa. *Coninchus de matrim. diſp. 28. dub. 5. num. 48. Molfeſius loc. cit. num. 33. & ſeqq. Rebellus loc. ſup. citat. Boſſ. loc. cit. §. 3. num. 28. & 29. Tranched. loc. cit. nu. 9. aliique.*

Poſſunt itaque filii uti ſua libertate in contrahendo matrimonio; at non debent ſua eadem libertate abuti, indigne alicui, invitis & juſte reluctantibus Parentibus,

tibus, nubendo. Non tenentur (inquit S. Thomas loco ſupracit.)„ nec Servi „ Dominis, nec Filii Parentibus obedire de matrimonio contrahendo, vel „ virginitate ſervanda, aut aliquo alio hujuſmodi. Sed in his, quæ pertinen„ ad diſpoſitionem actuum & rerum humanarum, tenetur ſubditus ſuo „ ſuperiori obedire ſecundum rationem ſuperioritatis: ſicut miles Duci „ exercitus in his, quæ pertinent ad bellum: Servus Domino in his, „ quæ pertinent ad ſervilia opera exſequenda: Filius Patri in his, quæ „ pertinent ad diſciplinam vitæ, & curam domeſticam". Porro verti „ in dubium non poteſt connubia ad domeſticam curam, & diſciplinam ſpectare, multumque domi ipſius diſpenſationi prodeſſe illa poſſe aut obeſſe. Si igitur unquam ea in re Parentibus a Filiis obediendum, nonne tum maxime obediendum, cum matrimonium quodpiam, quod non niſi magno cum familiæ dedecore, & detrimento iniri poteſt, fieri iidem Parentes detrectant?

Verum quidem eſt, poſtquam ea matrimonia etiam invitis Parentibus contracta ſunt, vera eſſe matrimonia, neque Parentes illa rata, vel irrita facere poſſe, ut optime ſtatuit idem *Concil. Trident. eod. decr. de reform. cap. primo* (quidquid ſit de veteri Eccleſiæ diſciplina) at antequam contrahantur, quidni Parentes ad propulſandum ſuæ familiæ impendens dedecus & detrimentum, jure ſuo uti poterunt, quo, illa ne fiant, impediant; cum præſertim (ut inquit ibidem idem Concil. Trid.) ejuſmodi nuptiarum genera ſemper Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſſis deteſtata ſit, atque prohibuerit. Eodem capite eadem S. Synodus præcipit: „ ut antequam matrimonium contrahatur, tribus „ continuis diebus feſtivis in Eccleſia publice denuncietur, inter quos ma„ trimonium ſit contrahendum" Non aliud profecto eorum Patrum, in tribus ejuſmodi præcipiendis denunciationibus, conſilium fuit, quam ut antequam matrimonium contraheretur a Parochis, aut ab Epiſcopis, ſi quæ forte forent legitima ejus matrimonii impediendi argumenta retegerentur. Juſtam autem rationem alicujus connubii impediendi eſſe, cum illud citra peccatum contrahi non poteſt, patet, tum ex præcepto, quod cuique, & Epiſcopis præſertim, ac Parochis incumbit, peccata proximorum vetandi; tum ex ipſa Sacramenti hujus dignitate, quæ exigit, ut illud *Sancte & debita cum modeſtia & honeſtate*, ut inquit idem Concilium, tractetur. Decernit præterea S. Synodus eodem capite: *Quod ſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio matrimonium malitioſe impediri poſſe, ſi tot præceſſerint denunciationes; tunc vel una tantum denunciatio fiat, vel ſaltem Parocho, & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur.* Unde intelligis, quod ſi non *malitioſe*, ſed juſtis de cauſſis matrimonium impediri contingat, haudquaquam eæ denunciationes ſint omittendæ, ſed potius impedientes audiendi, eorumque inſtantiæ excipiendæ. Cum autem Pater matrimonium a Filio cum gravi tum ſui, tum Conſanguineorum dedecore contrahendum perturbare contendit, non *malitioſe*, ſed juſte omnino illud impedit, ut oſtenſum ſuperius, lateque probat *Menochius toties laudat. conſil. 69. n. 30. & ſeqq. Gutierez ſæpe pariter citat. lib. 1. can. quæſtion. cap. 20. n. 12. & ſeqq. aliique plures ſupracitati.*

His probe conſtitutis, jam ad aliam ſuperius propoſitam quæſtionem progrediamur: Ante Concilium Tridentinum certum eſt, Sponſalia de futuro, poſt copulam inter ſponſos maritali animo habitam, nullo pacto reſcindi potuiſſe, juxta *cap. Is quidem fidem, de ſponſal.* quia nimirum ſponſalia ejuſmodi de futuro ea ratione in matrimonium de præſenti tranſire cenſebantur. Poſt Concilium autem Tridentinum, a quo ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim. ſtatutum eſt, ut ad matrimonii validitatem Parochi deinceps præſentia requireretur, ac copulæ proinde

Digitized by Google

robur illud ſublatum eſt, quo ſponſalia de futuro in matrimonium de præſenti tranſeant; nulla potior ratio apparet, cur eadem ſponſalia, copula etiam ſecuta, nequeant iiſdem de cauſſis reſcindi; dummodo tamen ſufficienter ad judicium prudentum virorum damnum puellæ illatum compenſetur. Si enim, ut jam ſupra oſtenſum eſt, ſponſalia inter eos, qui diſparis conditionis ſunt, quique ſi matrimonio jungantur, gravis Parentibus injuria fit, ac diſcordiæ, rixæ, perturbationes inter conſanguineos dignoſcantur, diſſolvi poſſunt; cumque poſt Concilium Tridentinum copula ſubſecuta nullam vim habeat, quo ſponſalia de futuro in matrimonium de præſenti faceſſant, proindeque illa adhuc pura ſponſalia, licet magis carnali copula confirmata, remaneant, plane conſequitur, eadem ſponſalia etiam poſt ſubſecutam copulam, eandem ob cauſſam poſſe irritari.

Non ſolum autem poſt Concilii Tridentini decretum copula carnalis nullam vim habet, qua ſponſalia de futuro in matrimonium de præſenti tranſeant; verum neque efficere poteſt, ut matrimonium ipſum coram teſtibus, ſed ſine Parocho, per verba de præſenti contractum ſponſalibus de futuro æquivaleat. Id enim patet ex peculiari declaratione Eminentiſs. Cardinalium Concilii Tridentini Interpretum, quæ habetur in ejus Conc. editione Lugdunenſi an. 1640. ad ſeſs. 24. cap. de matrim. ſicque vallet: „ Matrimonium contractum non „ ſervata forma Concilii Tridentini (licet contrahentes certam inter ſe de „ contrahendo matrimonio fidem dederint, & poſtea coram teſtibus, ſine Pa„ rocho de preſenti contraxerint, carnali etiam copula inter eos ſubſecuta) „ non in ſponſalia de futuro reſolvitur, itaut cogi poſſint contrahere ſervata „ forma Concilii “. Si itaque copula poſt Concilii Trident. decretum reſpectu matrimoni ineundi, tam parvi (ut ſic dicam) fit, ut addita contractui matrimoniali coram teſtibus, ſed ſine Parocho inito, etiamſi contrahentes antea certam fidem de matrimonio contrahendo invicem dederint, præſtare nequit, ut ille contractus vim ſponſalium de futuro obtineat, manifeſtum fit, quod ſi eadem ſponſalia jam inita ſubſequatur, illa in ſuo eſſe ſponſaliam omnino relinquat. Sponſalia autem in ſuo eſſe ſpectata præfatis de cauſſis ſolvi poſſe, iam ſupra probatum eſt. Itaque eadem ſponſalia etiam poſt copulam ſubſecutam iiſdem de cauſſis poterunt reſcindi. Accedit, quod ſi Matrimonia Clandeſtina, quæ ante Concilium Trident. vera, ac rata matrimonia fuerant, ob ſcandala, & gravia peccata, quæ ex iis, ut inquit idem Concilium decr. de reform. matrim. cap. primo oriebantur, factum eſt, ut irrita omnino forent, etiamſi carnalis copula poſtea ſubſecuta fuiſſet, potiori jure, ratione eorumdem ſcandalorum, reſcindi & irritari poſſe videntur ſponſalia, quæ non ſunt niſi præludia futuri matrimonii, etiamſi copula poſtea ſecuta fuerit. Et ita quidem ſentiunt *Navarrus in ſum. cap. 16. num. 18. Gutier. lib. primo Canonic. quæſt. 3. paulo poſt princip. verſ. Dixi regulariter Capua lib. 1. deciſion. cap. 78. nu. 3. Ludovicus Lop. 1. par. inſtruct. cap. 76. in 2. edit. fol. 189. col. 2.* Quos citat, & ſequitur *Sanchez de matrimon. diſp. 14. de ſponſalib. num. 3.* ubi poſtquam allegaſſet Auctores, qui docent ſponſalia in genere inter impares conditione, cum grave aliquod ſcandalum ex eorum impletione timeri poteſt, poſſe diſſolvi, ſubdit: *& loquuntur Navarrus, Gutier., Cord., Capua, Ludovicus Lopez, quamvis ſecuta ſit Virginis defloratio ſub ea ſpe matrimonii futuri, quod quidem veriſſimum eſt propter rationem dictam. Et idem dicendum eſt, licet nulla ſit inter contrahentes diſparitas, ut bene Ludovicus Lopez ibidem.* Adnotanda ſunt verba illa Sanchez: *quod quidem veriſſimum eſt propter rationem dictam*, nimirum propter eam, quam paulo ante attulerat rationem, ut probaret ſponſalia in genere recenſitis de cauſſis poſſe reſcindi, quia

Digitized by Google

quia ſcilicet *Virtus juſtitiæ obligare nequit ad actum, qui ſine peccato impleri non poteſt, ſed contrahere matrimonium cum magno illo ſcandalo, eſt aperte lethalis culpa, cum notabiliter caritas proximi lædatur, diſſolvatur parentum pietas, & cognatorum amicitia.* Idem docent etiam *S. Antoninus, Bonac., Rebell. locis infra citandis. Joan. Bapt. Coſta de fact. & jur. ign. & ſcien. diſt. 40. centur. 2. pagin. 368. numer. 76. Henriq. ſumma Theol. lib. 11. de matrim. cap. 6. num. 5. Berton. de negligen. & omiſs. par. 2. art. 34. num. 31. Lud. Engell. Colleg. univ. jur. Canon. lib. 4. tit. de ſponſal. §. 2. dub. 7. num. 14. circ. med. Marbeſius ſumm. Chriſt. par. 1. qu. 177. concl. 3. verſ. Prima eſt. Sylveſ. in ſum. verbo Luxuria num. 5. Eman. Sà verbo Reſtitutio num. 14. Tolet. lib. 5. cap. 11. num. 1. Octavius a S. Joſeph oper. moral. tit. 96. num. 956. in fine, & alii.*

Certe ſcandali vitandi gratia nedum inconſueta tolerantur, & juris præcepta relaxantur, ut dicitur *in cap. Pervenit diſt. 23. 2. de deſponſ. impub.* verum alia multa contra ipſas juris regulas permittuntur, quæ alioqui non admitterentur, ut ait *Abb. in cap. Quia circa extrav. ac conſang. & affinit.* & late obſervat *Hippol. Maja in obſerv. ſelec. obſerv. 14. num. 12. & ſeqq.* Hinc idem Maja peculiares caſus recenſens, in quibus nonnulla contra regulas juris inducta ſunt, cum *num. 30. ex cap. Super eo de cogn. ſpir.* docuiſſet, propter ſcandalum proſtiberi matrimonium contrahere illos, inter quos nullum eſt impedimentum, & in hanc rem laudaviſſet Bonacinæ Doctrinam a nobis etiam ſuperius relatam, ac num. deinde *36.* tradidiſſet, ob timorem ſcandali Eccleſiam abſtinere a cenſuris, nec cogere ſponſos ad contrahendum matrimonium, quod forte abhorrent, ne illud in perniciem contrahentium convertatur *cap. 2. in fin. cap. Requiſivit, & cap. Cum locum deſponſal.* ſubdit n. 37. hoc poſtremum intelligendum eſſe „ niſi inter ipſos ſequuta fuerit copula carnalis, ob quam rixæ, ini„ micitiæ, & ſcandala inter conſangnineos orta eſſent". Tunc enim inquit, magis arctandos eſſe ſponſos ad contrahendum, cum veriſimile ſit, & certum, conjunctos, inter quos, ob copulam ſecutam, rixæ, & inimicitiæ ſubortæ fuerant, ſecuto poſtea matrimonio, pacem eſſe habituros; atque in hanc eandem rem citat ex *Alex. Riccio par. 4. prax. reſol. 417.* Deciſionem Clementis VIII. tempore, quo Auditor Sacri Palat. Apoſt. fuerat *in una Valent. Matr. die 6. Febr. 1579.* Si itaque ad ſedanda ſcandala, quæ ob copulam ſecutam, inter conſanguineos exorta ſunt, quæquæ, niſi matrimonium contrahatur, augeri poſſe metuuntur, cogendi ſunt ſponſi etiam inviti, ut matrimonium contrahant contra id, quod dicitur *in ſupracitatis cap. 2. Requiſivit, & cap. Cum locum de ſponſal.*, viceverſa ad eadem ſedanda ſcandala, quæ ob ſponſalia inter conſanguineos ſunt excitata, quæque, ſi matrimonium ſequatur, magis, & diutius curatura timetur, prohibendi omnino erunt ſponſi, ne contrahant, ipſaque proinde ſponſalia irritanda.

Huc revocari poſſunt ea omnia, que in priori parte protulimus pro Parentum Jure adſtruendo, filiorum nuptias ſibi, totique familiæ injurioſas prohibendi. In Canone *aliter*, ex Epiſtola Evariſto Papæ tributa, *30. qu. 5.* de ipſis matrimoniis citra Paternum conſenſum contractis, ac copula etiam carnali conſumatis, diſerte dicitur, quod ea „ Præſumpta non conjugia, ſed adulteria, „ vel contubernia, aut ſtupra, aut fornicationes potius, quam legitima con„ jugia eſſe, non dubitatur, etiamſi voluntas propria ſuffragaverit". Et licet loco horum poſtremorum verborum *etiamſi voluntas propria ſuffragaverit* a Gratiano in ſua Decretorum collectione, & in Decretalibus Pontificiis excuſis, inſertum ſit: *niſi voluntas propria ſuffragata fuerit*; attamen Antonius Contius, ex vetuſto Codice, legit priori modo, ſcilicet *etiamſi voluntas propria ſuffragaverit*; eamque lectionem probandam, & retinendam con-

Digitized by Google

tendit Basilius Pontius *lib. 2. de matr. cap. primo §. 1. num. 5. circa finem.* S. Basilius etiam in 2. Epist. ad Amphilochium Can. 38. & Can. 42. eadem matrimonia fornicationes appellat. *Puellis*, inquit Can. 38. *quæ præter Patris sententiam fornicatores secutæ sunt, reconciliatis Parentibus, videtur res remedium accipere.* Et Clarius Can. 42. *Quæ sine his, quæ habent potestatem, fiunt matrimonia, sunt fornicationes.* Duos istos Canones retuleram in priori resolutionis parte, cum dictam ejusdem S. Basilii epistolam laudavissem; sed quia incuria Typographi, omissi fuere, ideo hic, cum correctioni adhuc sit locus, afferre eos duxi. Post eosdem Canones, e quibus Basilium Pontium deduxisse adnotaveram, apud Græcos, ipsius S. Basilii tempore, matrimonium, citra Parentum voluntatem, contractum nullum fuisse, subdideram etiam auctoritatem Theodori Balsamonis in commentario ejusdem S. Basilii epistolæ; quæ tamen, Typographi quoque oscitantia, post Epistolam Evaristo Papæ tributam, inserta fuit. Ex iis autem inferre licet, quod si primis Ecclesiæ temporibus, Matrimonia sine Parentum consensu contracta, adeo odio & abominationi habebantur, ut Contubernia, adulteria, & fornicationes reputarentur; (quidquid sit, an ea vere irrita essent) inferre, inquam, licet, quod sponsalia saltem impræsens, copula etiam carnali magis firmata, ad ipsorum Parentum instantiam, possint dissolvi, eaque matrimonia, antequam contrahantur, si justa præsertim existat causa, impediri.

Et quidem, si ante habitam copulam possunt Parentes talia matrimonia, ut in priori parte ostensum est, impedire, cur illa etiam impedire non poterunt post copulam secutam? An filii fructum ex malitia capere debent, ut nimirum Parentum potestati, in re tanti momenti, subjecti amplius non sint, justæ possint illorum voluntati resistere: iisdemque, fœdissima illa ratione, tandem illudere, cum potius, ob gravissimum scelus admissum, gravissimis pœnis sint coercendi? S. Carolus Borromæus in Conc. Prov. III. decreto 27. tit. 1.: „ „ Qui sponsalia, inquit, contraxerint, si una ante cojerint, quam matrimo- „ nium inter eos celebratum sit, illius peccati, quoniam in eo fœde delin- „ quitur, absolutionem Episcopo reservatam esse volumus, gravemque illis „ pœnitentiam imponi". Et Card. Carolus Barberinus in Synodo Farfensi *cap. 14. num. 10. Si, quod*, inquit „ damnabilius est, sponsi ante matrimonii cele- „ brationem rem simul habuerint, sciant, hoc suum peccatum utpote reserva- „ tum nobis, per neminem alium, nisi facultate a nobis concessa posse absol- „ vi, ac insuper se gravissimis etiam corporis afflictivis pœnis coercendos „ esse". An ergo ex tam immani, tamque graviter plectendo Filii crimine, potior Filii ipsius, contra Patris voluntatem, & cum familiæ detrimento, nubere volentis, Patris vero juste injuriam propulsantis deterior fiet conditio?

Defienda sane (liceat zelo quidpiam hoc loco indulgere) temporum nostrorum conditio, quibus non desunt Matres (si Sancto Matrum nomine vocandæ eæ sunt) quæ loco, summa cura, & vigilantia, nubilium filiarum pudicitiæ custodiendæ, illas, juxta Apostoli *ad Eph. 6.* præceptum, *in disciplina, & correptione Domini* educandi, probis, sanctisque moribus, cum exemplo, tum Christianis præceptionibus, instituendi, ab sæculi vanitatibus, & terrenarum rerum amore, animum earum avocandi, illas dedita opera cum procacibus solas interdum versari sinunt, familiari eorum consuetudine uti, ac in horrenda tandem flagitia cum illis prolabi, ut eo scilicet laqueo incautos adolescentes devinciant, eosque, ad nuptias cum ipsis suis filiabus demum contrahendas, compellant. Væ perditissimis istis Matribus! Væ infelicibus his Filiabus! Et, ut cum Habacuc Paopheta *cap. 2.* loquar: „ Væ qui congregat avaritiam ma- „ lam domui suæ, ut sit in excelso nidus ejus, & liberari se putat de ma-

„ nu

„ nu mali! Cogitasti confusionem domui tuæ". De Parentibus, qui negligenter se gerunt in liberis suis educandis, ita inquit Apostolus 1. *ad Tim.* 5. *si quis suorum, maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, & est infideli deterior*, & S. Joan. Chrysostomus *adu. vitup. vit. mon.* parentes hujusmodi incuriosos parricidis asserit immaniores, & sceleratiores: Illi enim (inquit) „ corpus ab anima revellunt, isti animam, & corpus in æternos ignes „ conjiciunt; atque is quidem, qui corpore occiditur, necessario naturali le„ ge, etiam si non esset necatus moreretur. Hic vero sempiternam mortem „ vitare potuisset, nisi hanc illi paterna negligentia conseivisset". Quid vero de iis matribus dixisset Apostolus, & quid Chrysostomus, quæ filias suas, ad peccandum, ut eas commodius locent, impellunt? Adversus has certe easdem filias in die judicii erupturas quodammodo puto, quod S. Cyprianus *lib. de lapsis* infantes Sacro Baptismate prius delibutos, ac parentum postea manibus ad idolorum epulas pertractos, dicturos facit: *Nos nihil fecimus, nec derelicto cibo, & populo Domini, ad profana contagia sponte properavimus: perdidit nos aliena perfidia, Parentes sensimus parricidas*. His ergone pessimis vafrarum mulierc ularum astubus, his, ab antiquo pacis & pudicitiæ hoste inspiratis fraudibus, his humano omni divinoque jure damnatis lenociniis favendum? An ex tam detestabili matrum, & filiarum improbitate commodum aliquod ab iis reportandum?

Verum, quia non semper earundem Matrum aut puellarum execrabili adeo culpa contingit, ut juvenes Virgines ipsas corrumpant, neque temere id accidisse in re nostra credendum sit; ideo non negamus in posteriori hoc casu ob copulam post Sponsalia secutam, majorem sponso obligationem oriri, ut fidem de Matrimonio ineundo puellæ præstitam impleat. Præter enim obligationem sponsalium adest etiam alia obligatio orta e stupro, seu ex damno puellæ defloratæ illato. Verum etsi ex hoc capite ea sponsi obligatio augeatur, non aufertur tamen a Parentibus jus filiorum matrimonia sibi, totique familiæ injuriosa, ac e quibus odia, inimicitiæ, discordiæ inter consanguineos oriri possunt impediendi. Sponsus itaque quantum est de se tenebitur quidem stare promissis; at Parentes etiam jure suo uti poterunt, quo illorum promissorum adimpletionem utpote sibi probrosam, implorata Judicis Ecclesiastici auctoritate omnino arceant, impediantque. Quod enim puella (recte inquit Gutierez loco sæpe citato num. 23.) *honorem & pudicitiam suam indiscrete profunderit, sibi imputet, cum præfatus Pater jure suo contradicere valeat*.

At expendamus, quæ sit major illa obligatio, quæ a copula in sponsum derivata est. Ea profecto alia non est, nisi obligatio prior sponsalium, & obligatio præterea profecta e stupro. Obligatio e sponsalibus orta, ut superius probatum est, solvi potest. Supereſt ergo obligatio orta e stupro.

De hac posteriori obligatione, quoad forum quidem interius ita loquitur S. Anto„ ninus *part.* 2. *tit.* 5. *cap.* 6. *de stupr. perag.*: „ In foro autem Conscientiæ sic „ agendum videtur secundum Guillelmum. Si defloratam voluntariam, non „ tenetur ei, Patri autem tenetur, quia injuriatus est ei: unde in aliquo satisfa„ ciat, vel saltem eum placet. Si autem seduxit, puta promissionibus, & men„ daciis, non videtur fuisse voluntarium: invitam ergo & seductam si constupra„ vit, injungendum est ei, quod satisfaciat ad arbitrium boni viri, vel eum ea „ componat; etsi promisisset eam ducere in uxorem, ut copulam ab ea ex„ torqueret, servet promissum, & multo magis juramento firmatum. Et hoc „ NISI NIMIS DISTANS ESSET EORUM CONDITIO, puta mulier ple„ beja, vir nobilis & potens; non enim mulier plebeja, præsumitur, fran„ dem ignorasse; VEL ETIAM SI MAGNUM ALIQUOD SCANDALUM

Digitized by Google

„ INDE CREDITUR PROVENTURUM, & tunc petat remissionem „ promissi, & aliter faciat secundum suam facultatem, & mulieris in„ digentiam.

Quod forum autem Externum, verum quidem est *in cap. primo tit. de adult. & stup.* huic delicto pœnam hanc ex cap. 22. Exodi infligi: *Si seduxerit quis virginem nondum desponsatam dormierintque cum ea, dotabit eam, & habebit eam uxorem.* Verum etsi id de jure ita fieri debere videatur, nihilominus juxta recentiores omnes Doctores in praxi stuprator non cogitur puellam defloratam præcise ducere, sed alternative vel ducere, vel condecenter dotare. *Anton. Gomez in l. Tauri num. 7. Papo lib. 22. tit. 9. Aresto 9. Cassanus consult. 40. Clarus in pract. crimin. §. Stuprum num. 3. vers. Sed quæro, quæ sit pœna stupri, Fagnanus tit. de adult. & stupr. cap. 2. num. 3. Barbosa ibidem & Gonzalez qui cod. tit. & cap. in comment.* sic habet: *Ex his duobus textibus communiter DD. sequentem deducunt assertionem: Stuprans virginem tenetur eam in uxorem ducere, vel dotare.* Quod autem ex Divino Præcepto ea lex Exodi 22. in veteri Testamento servaretur; id nihil refert. Nam præter quam quod, ea lex esset duntaxat judicialis, ac proinde ex adventu Christi Domini desierit per se obligare, non desunt etiam juris Interpretes, qui conjunctivam illam pro disjunctiva accipiant juxta *l. sæpe 53. ff. de V. S.* ut notat Gonzalez *loc. cit. num. 8. circa medium*, ubi præterea suam is subdit interpretationem, quod nimirum ex veteri lege stuprator virginem seductam ducere, & dotare teneretur eo modo, quo Viri dotem constituebant uxoribus, in Dotis scilicet augumentum aliquid iis assignando, non vero dotem omnino constituendo. Quare cum hæc dos uxoris a marito assignanda, hodie non ita necessaria sit, ideo, inquit, usu receptum est, ut stuprator tantum virginem seductam ducere teneatur, non vero donationem propter nuptias in eam conferre; & recte potuit (concludit) usus disjungere, quæ lex divina conjunxerat. In Capite etiam 2. *eod. tit. de adult. & stupr.* decernitur, ut defloretor „ aut eam, quam stupravit, uxorem habeat, aut si renuen„ dum putaverit, districtius ac corporaliter castigatus, excommunicatusque, „ in Monasterium, ubi pœnitentiam peragat, retrudatur". Verum hæ etiam pœnæ (inquit Ludov. Engel. *so. tit. §. 2. vers. Quamvis in fine*) „ ex„ communi interpretatione tunc demum infliguntur, si ob inopiam deflorator dotem præstare nequeat, ut locum habeat quod dicitur: Qui non ha„ bet in ære, luat in corpore". Si itaque obligatio orta e stupro, tam in foro interiori, quam exteriori, non est, neque determinate ad ducendam puellam stupratam, neque copulative ad illam ducendam simul & dotandam, sed duntaxat alternative, ad illam vel ducendam vel dotandam; & cum in alternativis electio pertineat ad debitorem, satisque sit, ut alterum impleat *cap. In alternativis 70. de reg. jur. in 6. l. Plerumque 20. in fin. ff. de jure dotium*; Iam patet, quod si stuprator condecenter puellam seductam dotet, liber erit omnino ab illa ducenda. En ergo ut tolli optime potest etiam major illa obligatio, quæ in sponso, ob copulam cum sponsa habitam, ad fidem illi servandam extorta est.

Quare Bonacina loco superius laudato *num. 27.* bene inquit: „ Ex dictis, sequi„ tur, Prælatum posse impedire matrimonium contrahendum a filiofamilias „ cum aliqua indigna, quando ex ejus celebratione prævidet grave scandalum, „ ac rixas inter parentes vel consanguineos secuturas. Et hoc verum est, „ inquit Sanchez, etiamsi secuta sit copula sub ea spe matrimonii. Hoc tamen (subdit ipse Bonac.) Ego non facile admiserim, nisi Filius alia ratio„ ne valeat occurrere damno sponsæ defloratæ, cum ex justitia teneatur „ da-

Digitized by Google

„ damnum ſponſæ evitare, aut niſi tam grave ſit ſcandali periculum, ut præponderet damno ſponſæ„. Concedit itaque hic Auctor ſponſum tunc de obligari poſſe a ducenda puella, quam defloravit, ſi alia ratione damno ipſius puellæ poſſit occurrere.

Rebellus equidem *cit. 2 part. de oblig. juſt. lib. 2. de matrim. quæſt. 14. ſect. 1. num. 9.* poſtquam ſequentem, quæ ſexta eſt, Concluſionem poſuerat: „ Prælati non debent conjungere eos, quos conſtat in contrahendo injuriam aliis facere, atque adeo ſine peccato tale matrimonium inire non poſſe, cujuſmodi ſunt, „ qui cum nova injuria parentum contrahunt; hæc ſubdit: Dixi nova injuria, quia contingere poteſt, ut matrimonium ſit quidem Parentibus injurioſum; ex obligatione tamen conſcientiæ neceſſario ineundum propter præcedentia ſponſalia per copulam confirmata, in qua primum peccatum fuit, „ & injuria illata eſt, non tamen jam injuria fit in adimpletione obligationis „ naturalis inde conſequentis„. E quibus verbis videtur Auctor ſentire impletionem Sponſaliorum, quæ copula confirmata ſint, non eſſe impediendam, ut obſervat etiam Boſſius *de matrim. cap. 11. §. 9. n. 90.* ubi totam Rebelli de hac re Doctrinam recenſet. Verum ipſemet Rebellus ſatis mentem ſuam explicat eadem *quæſt. num. 13.* ubi hæc habet: „ Dixi poſt novam promiſſionem, quia „ ſi non nuda promiſſio fieret, ſed ſub conditione copulæ, quod ad contractum do ut facias, jam pertinet, (datur enim uſus Corporis, ut fiant poſtea nuptiæ adimpleta conditione ex parte feminæ, major jam cerneretur „ obligatio adimplendi ſponſalia ex parte viri intendentis ſe de juſtitia obligare, ut initio Concluſionis ſextæ diximus, de qua tamen obligatione copioſius dicemus in libro de ſponſalibus, & libr. de reſtit. ſtupri jam ſupra „ diximus„. Hic ergo vides Rebellum loqui de ſponſalibus ſub copulæ conditione contractis, de quibus alia eſt Diſputatio, non vero de ſponſalibus abſolute initis, poſtque tamen copula inter ſponſos ſecuta eſt. Immo idem Rebellus loc. a ſe laudato, nimirum *in lib. 4. de ſponſalibus quæſt. 1. num. 12.* loquens de illo etiam, qui ſub conditione copulæ promiſit ducere puellam genere & opibus inferiorem, licet affirmet, eum ſub mortali debere promiſſis ſtare, id tamen non aſſerit abſolute, ſed circumſtantias excipit, in quibus ea promiſſorum adimpletio licita non ſit. „ Ex dictis, *inquit*, colliges eum ſub „ mortali debere ſtare promiſſis, qui animo ſe obligandi promiſit ducere in „ uxorem Virginem, vel corruptam, etiam genere & opibus multo inferiorem, ſi modo in copulam conſentiret, & conditio adimpleta fuit: „ DUMMODO OMNIBUS CIRCUMSTANTIIS CONSIDERATIS ADIMPLETIO SIT LICITA. Patet autem ex ſuperius dictis, tunc licite ſponſalia adimpleri non poſſe, cum ex eorum adimpletione gravis Parentibus injuria irrogatur, graviaque inter ſponſorum propinquos diſſidia, inimicitiæ, rixæ procreantur. Libro vero de *reſt. ſtupri*, a ſe pariter allegato expreſſius idem Rebellus mentem ſuam declarat. Siquidem cum *part. prima de obligat. juſtit. lib. 3. qu. 8. num. 10.* agens de eo qui ficte promitteret ſe aliquam ducturum, docuiſſet, quod „ „ ſi vitiator promittendo ſe puellam ducturum, obtineret ſtuprum, teneretur „ in foro Conſcientiæ ſtare promiſſis, etiamſi animo decipiendi, & non adimplendi promiſerit..... niſi forte aliquid puellæ evidens eſſet, unde probabiliter præſumi poſſit, eam non fuiſſe omnino deceptam, ſed deceptam ſe eſſe „ finxiſſe, vel per nimiam ſtultitiam, ac temeritatem ſpem contrahendi concepiſſe, ut plerumque contingere videtur, cum eſt magna inter eos diſparitas: „ ac inſtituta poſtea quæſtione, quid dicendum eſſet, ſi puella illam tam notabilem diſparitatem invincibiliter ignoraret, reſpondiſſet *num. 12. & 13.* ſtupratorem teneri illam ducere, „ ſi dolus dediſſe cauſſam copulæ præſu-

„ ma-

„ matur; quod videlicet pro nullo alio emolumento consensura in stuprum cre-
„ deretur, quam pro nuptiis cum violatore contrahendis, *non teneri autem*, si
„ dolus sit incidens in copulam, ut si præsumatur, quod pro minori etiam e-
„ molumento consentiret, posito saltem quod vitiator animum se obligandi non
„ habuit, *sed videri tunc*, ad arbitrium prudentis alia ratione talis emolumen-
„ ti, cæterorumque damnorum compensationem fieri posse, „ addit: IDQUE ETIAM PROCEDERET QUO AD EUM, QUI ANIMUM SE OBLIGANDI HABERET, QUANDO SINE NOTABILI INJURIA TERTII V. G. PARENTUM, AUT ALIO PACTO PROMISSIONEM NUPTIARUM IMPLERE NON POSSET. Vides hic a Rebello expresse asseri, sponsum ab sponsalibus, etiam post subsecutam copulam, implendis dispensari posse, quando ea sponsalia, sine notabili injuria Tertii, ac præsertim Parentum, nequeant impleri. Hæc omnia placuit distincte adnotare, ne Cl. V. Rebellum, quem pro priori assertione late retulimus, a nobis, quoad posteriorem dissentire, fortasse existimaveris.

His itaque ductus rationibus Sponsalia in exposito casu a Titio cum Berta contracta, optime a Judice Ecclesiastico posse dissolvi, ac a Parentibus Sponsi, interposita ejusdem Judicis Ecclesiastici auctoritate, illorum adimpletionem posse impediri, salvo semper meliori judicio, censeo.

„ Licet cum prioribus, iisque valde mendosis typis, nostra hæc resolotio excusa
„ fuit, nomen illi minime adjicere duxerim, attamen cum multum diuque,
„ cum de ea iterum imprimenda ageretur, rogatus sim, ut illud, quod pluri-
„ bus cæteroquin jam innotuerat, adponerem, tandem pareo. Si quæ vero la-
„ to nimium fortassis calamo, pertractata, ac prioribus, quæ sat proculdubio
„ erant, hic addita a me videantur; id omnino petentibus tribuas, ipsique et-
„ iam Theologicæ resolutioni, quæ ab ejusmodi scribendi ratione minime ab-
„ horret.

IN MONASTERIO ABBATIÆ FLORENTINÆ.

D. Virginius Valsechius a Brixia Monachus Casinensis Sac. Theol. Lector.

SUB

SUBSCRIPTIONES, ET VOTA Excellentiſſimorum Patrum Univerſitatis Florentinæ, & aliorum Theologorum.

EGo infraſcriptus Sacræ Theologiæ D. Canonicus Florentinus, & Sacræ Scripturæ Lector teneo juxta ſententiam affirmativam a Conſulente ut ſupra expoſitam, prædicta Sponſalia poſſe, adhibita ſuperioris Eccleſiaſtici auctoritate, diſſolvi & matrimonium impediri.

Ferdinandus Biliotti.

Ego D. Angelus M. Quirinus Monachus Caſinenſis Sententiæ, quam aperte & docte ſuperioris Scripturæ Auctor adſtruxit, de ſponſalibus, Judicis Eccleſiaſtici auctoritate in expoſito caſu ſolvendis, aſſentior, ac ſubſcribo.

Cum Juri, & Æquitati, nec non Reipublicæ Chriſtianæ bono expoſiti caſus affirmativa deciſione magis conſultum videatur, hoc clare admodum demonſtrantibus rationibus atque auctoritatibus optime, & erudite a Conſulente expoſitis, eidem deciſioni firmiter me adhærere profiteor.

D. Stephanus Joſeph Trenta Monachus Caſinenſis Philoſophiæ Lector & Sacr. Theolog. Profeſſor.

Ego Infraſcriptus Sacræ Theologiæ Magiſter & Almæ Univerſitatis Florentinæ Decanus ſententiam affirmativam, nempe poſſe, immo debere illos, ad quos ſpectat, tale matrimonium ut pote injurioſum, & præjudiciale familiæ Titii omnino impedire, maxime ad evitandas diſcordias, & rixas, tutiſſimam credo. In quorum &c.

F. Aurelius Fioravanti Decanus.

Ego Andreas a S. Sebaſtiano Scholarum Piarum Theologiæ Profeſſor affirmativæ ſententiæ, quam libenter adhæreo, & Judico quod Eccleſiaſticus ſuperior poſſit auctoritate ſua juſtam Patris reſiſtentiam in hoc caſu corroborare, & ita affirmo manu propria.

Mea ſententia, & opinio eſt quod hujuſmodi matrimonia nullo modo admitti debeant, & in confirmationem rationum a doctiſſimo Conſulente expoſitarum, hoc unum practicum, & veriſſimum adducam; quod puellæ, ſive virgines, & earum matres commodum referunt ex ſuis iniquitatibus, quod cuilibet juri valde repugnat.

Nam matres talium puellarum nihil omnino omittunt, & omnia tentant, ut tandem aliquando incauti juvenes in laqueum illis paratum cadant. Et his vaferrimis mulieribus favendum eſt, patrocinandum eſt? Videamus quæſo. Concludo, quod non ſolum non favendum, ſed valde puniendæ forent: nam voluerunt decipere, licet fimulent ſe deceptas eſſe: ſic opinor.

Ego Andreas Barducci.

Ego Presbyter Antonius Philippus Vergelli I. V. D. exiſtimo, ut docte & elaborate demonſtrat eruditiſſimus ſcribens, in propoſita hypotheſi Patrem juſtiſſime adire poſſe Judicem Eccleſiaſticum pro obtinenda per filium contractorum ſponſalium diſſolutione, juridiciſque modis eidem Matrimonio, ne ſequatur, obſtare, ideoque requiſitus manu propria ſubſcripſi.

Ego infraſcriptus Societatis Jeſu Presbyter doctrinæ in pereleganti & erudita reſolutione allatæ tanquam veriſſimæ, & in praxi tutiſſimæ ſubſcribo.

Ego Franciſcus Antonius Biagiucci Societatis Jeſu.

Ego Franciſcus Saracinellus Soc. Jeſu Doctrinam allatam in hac ſapientiſſima reſolutione, tamquam ſinceram, & doctiſſimorum Auctorum ſuffragiis munitam utpote veriſſimam amplector, & libenter veritati ejus ſubſcribo manu propria.

Ego

Digitized by Google

Ego Seraphinus de Massa Ordinis Minorum actualis Minister Provincialis puto posse supradicta Sponsalia per Illmum Ordinarium rescindi, & proinde propria manu subscripsi.

Ego Fr. Leopoldus Valenzi Augustinianæ Religionis Professus & actualis Minister Provincialis, nec non Sacræ Theologiæ Magister, & Lector, indignus Universitatis Florentinæ Doctor. Fateor, & censeo sponsalia facta invitis Parentibus posse irritari, & esse solvenda, quando scandala, odia lethalia inducere videntur inter consanguineos & affines & hoc aperte deducitur ex D. P. Augustino dicente de verb. Domini. *Pax est serenitas mentis, tranquillitas animi, simplicitas cordis, vinculum amoris, consortium Caritatis.*

Ratio est, Virtus Justitiæ nequit obligare ad actum, qui non potest impleri sine peccato, sed matrimonium, ex quo oriantur graves rixæ, dissensiones, & scandala, peccatum importat, ergo &c., quia majus malum est, magisque tum Reipublicæ, tum animarum saluti pernicioſum, odia, inimicitias, & discordias inter consanguineos, affines, familiasque serere, quam eamdem sponsalium fidem violare.

Et licet major sit obligatio a stupro orta, quam ex sponsalibus contracta; nihilominus tamen hæc major obligatio non inducit ad ducendam puellam, sed tantum ad dotandam, cum sit hujusmodi sponsalia Parentibus, totique familiæ injuriosa, & ex quibus timentur inimicitiæ, & discordiæ inter consanguineos, & affines. Ex his, & aliis rationibus adducendis ita teneo, & propria manu subscribo.

Ego Fr. Joan. Thomas Pupilli Ord. Minimorum actualis min. Provincialis Sacræ Theologiæ Lector, ex rationibus doctissime supradictis, & elaborato calamo extensis, censeo Episcopum posse tuta conscientia talia sponsalia dissolvere, & ad instantiam Parentum matrimonium impedire.

Ego Fr. Hyacinthus Maria Maffai Mag. Ord. Prædicatorum dictæ sententiæ tanquam veridicæ, & fere ab omnibus Doctoribus approbatæ me subscribo.

Ego F. Elias a S. Joseph Carmelita disc. in Colleg. nostro Sancti Pauli Florentiæ Theologiæ Moralis, & Sacrorum Canonum Lector affirmativam sententiam amplector, posse Judicem Ecclesiasticum ad Instantiam Parentum, impedire Matrimonium filii proprii, cum Puella longe disparis conditionis, ne scandala, & discordiæ sequantur inter familias, sicut omnia Jura clamant.

Ego Leopoldus Tonolli S. T. D. affirmativam sententiam tutissimam, & amplectendam in praxi censeo, & affirmo manu propria.

Ex adductis motivis, in favorem affirmativæ sententiæ hoc genus matrimoniorum, quo frequentius, eo detestabilius, ex quibus infinita propemodum mala innocentibus hominibus eruuntur, perditissimis juvenibus, ac puellis, nec non sæpissime earum Parentibus omnino impediendum, ac tollendum censeo Salvo &c.

Thomas Rossis S. T. D. & Metrop. Ecclesiæ Curatus.

Sententiam affirmantem, tam validis rationibus innixam reperio, ut tute ad praxim reduci posse non dubitem.

Ego Bartholomeus Piallacci,

Ad impudentium Mulierculatum procacitatem coercendam, quæ *lætantur cum male fecerint, & exultant in rebus pessimis*, ad earum Parentum (*quorum viæ perversæ sunt, & infames gressus*) frænandam stultitiam, qui summum dedecus non solum non impedientes, verum etiam sæpenumero procurantes proprii honoris (si quem habent) jacturam hilari animo aspiciunt, ad perditissimorum juvenum temeritatem reprimendam, qui malitiose ignorare fingentes Sacramentum hoc magno esse in Christo, & Ecclesia, *tollentes membra Christi, faciunt*

Digitized by Google

ciunt membra meretricis Matrimonium hoc absolute ab Judice impediendum censeo. Ita ego.

Hypolitus Maria Rosselli in Alma Florentina Universitate S. T. D.

Pro affirmativa parte validissimis ut apparet rationibus stabilita standum esse censeo, eique ut tali libentissime subscribo.

Ego D. Silvanus Ciapetti Monac. Camald. S. T. M. & in Monasterio Angelorum Florentiæ publicus S. T. Lector.

scribentis opinionem diserte non minus, quam docte firmatam in supposita facti specie, ne dum probabilem, & in praxi tutam, sed (ni fallor) etiam pro bono Reipublicæ utiliorem arbitror.

Et, quamvis solidissimis fundamentis in ea allatis, nihil addendum superfit; attamen ut petentibus morem geram, considerandum propono.

Primo quod vera *Conc. Trid. sess. 24. cap. 1. de ref.* loquuntur de Matrimoniis contractis, quæ a Parentibus irritari utique non possunt, non de contrahendis, ideft de sponsalibus, circa quæ tota materia disputabilis remanet.

Secundo, quod sicuti prudentissime D. Carolus, quem & alii sapientissimi Præsules subsecuti sunt, Parochis inhibuit, ne invitis Parentibus filios Matrimonio conjungant, nisi prius Episcopum consulant, ea quidem rationem, ne peccato filiorum, contra debitum honorem Parentum cooperari videantur; ita aliquo exemplo exterreri debeant Genitrices puellarum, ne dando operam sponsalibus eorum, quos ex magna imparitate status, vel sciunt vel scire debent, eadem sponsalia contrahere, contra expressam seu virtualem voluntatem suorum Parentum, manifesto peccato gravissimo filiorum inobedientiæ ansam præbeant, & sic peccatum mortale sit impius proxeneta matrimoniorum, & a peccato incipiant Sacramenta, quo nihil deterius Christianæ Reipublicæ accidere poterit.

Tertio, quod subsecuta copula sub spe Matrimonii, ne dum sponsalibus robur aliquod non addit; immo eademmet sponsalia detestabiliora, & invalidiora demonstrat; quis enim non videat dolose id fieri in contemptum obedientiæ, in execrabile patrocinium culpæ, quasi quod ad confirmandum primum peccatum lethale in contrahendis contra Parentum voluntatem sponsalibus, optimum remedium sit aliud infame peccatum stupri? Et (quod est sanguineis lacrymis deplorandum), impius hic mos, adeo inter Christianos invaluit, ut data opera Parentes, magis vero genetrices puellarum amatores filiarum suarum ailiciant, familiarissima, & solitaria colloquia juvenum cum iisdem filiabus admittant, immo de iis (quamvis de rebus pessimis) glorientur, ac maxima facilitate, & absque scrupulo, vel filias subjugent, vel sponte clausis oculis earundem defiorationem se non videre dissimulent, hac sibi spe proposita vel lucrandi dotem, vel cum propriæ domus exaltatione, filias eisdem in illud matrimonium locandi, ad quod (excluso peccato) aspirare nunquam potuissent.

Quare, si vera sunt exposita, crederem ad impedienda peccata, ad refrænandos familiares puellarum amores, ad coercendam supinam earum Parentum negligentiam, ad eliminanda scandala, & odia inter familias, ad avertendam infectionem sanguinis ingenui in maximum Reipublicæ præjudicium, cum filii matrizent, & orta ex rustica, & vili femina soboles rusticos, ut plurimum, ac viles mores induat, denique ad manutentionem totius politicæ Hierarchiæ maxime nobilium personarum, prævia absolutione ab juramento ad cau-

te

Digitized by Google

telam obtinenda, & data pro ſtupro abundanti dote, diſſolvenda ſponſalia & matrimonium impediendi.

Fr. Placidus M. Buonfrizieri O. S. B. M. V. S. Theolog. in Univerſitate Florentina Doctor, quamvis extemporanee firmiter ita teneo, ac manu propria ſubſcribo.

Ego D. Raymundus de Matha Congregationis Olivetanæ Sac. Theol. Lector, ſtudiorum Præfectus, ſententiæ a Doctiſſimo Conſulente traditæ lubens ſubſcribo.

Ad caſus de ſolubilitate ſponſalium cum imparis conditionis Puella initorum contra voluntatem Parentum, Doctiſſimum Conſulentem ſequutus affirmativam ſententiam juxta præmiſſa libentiſſime ſubſcribo.

Fr. Alexius a S. Antonio Carmelita Excalceatus, ac Sac. Theol. Lector.

Eandem reſolutionem approbo, & eodem modo, quo ſupra me ſubſcribens, confirmo.

Fr. Angelus a S. Maria Carmelitæ Excalceatus Sac. Theol. Lector.

Validiſſimis hiſce rationibus, & argumentis devictus, tantorumque virorum authoritatibus nixus, non ſolum hujuſmodi ſponſalia in narratis circumſtantiis licite diſſolvi poſſe ſentio; ſed etiam hujuſmodi matrimonium totis viribus impediendum neceſſarium cenſeo, ne plurima illa mala, & incommoda, quæ parere ſolent matrimonia conſanguineis, & parentibus invitis contracta oriantur. In cujus &c.

Ego Jo. Baptiſta de Cenis S. Theologiæ Lector, & inſignis Collegiatæ S. Laurentii de Florentiæ Canonicus.

Ego infraſcriptus eorum ſententiam, qui in data hypotheſi affirmative judicant, magnum apud me pondus habere fateor, in eamque, utpote optimorum Doctorum rationibus innixam, eorumque Dominorum auctoritate firmatam, votis omnibus ire mihi propoſui, in quorum &c.

Petrus Bologneſi S. T. D., & Eug. Coll. Mag.

Ego infraſcriptus, tamquam unus ex Collegio Doctorum Sacræ Theol., quamvis minimus, firmiter adhæreo doctiſſimis aſſertionibus ſuprad. PP. Theologorum, iiſque libentiſſime ſubſcribo, addens cum *Tannero tom. 4. diſp. 8. quæſt. unic. dub. 4. num. 72. Anacleto tract. 14. de Sacram. diſt. 14. num. 48.* quod poſſunt, immo debent in propoſito caſu diſſolvi aſſerta ſponſalia per Judicem Eccleſiaſticum ad evitanda ſcandala, lites, & diſſenſiones.

Alexander Thei.

Affirmativæ, & practicabili opinioni ab aliis DD. noſtræ Univerſitatis ſubſcriptæ, & aliorum Theologorum rationibus confirmatæ me libentiſſime ſubſcribo.

Ego Franciſcus Vanni S. T. D.

Cum meo judicio vera ſit ſententia ſupradicta, placet addere, quod ajunt *Hypol. Maja obſ. 12. num. 3. Pignat. conſult. 11. tom. 4. & præcipue Layman lib. 5. tract. 10. p. 1. in c. 1. art. 14.* Parentes non ſolum poſſe, ſed debere filiis impedire hujuſmodi matrimonium, utpote illicitum, cum ſine lethali contrahere non poſſint: & uti repugnans Caritati, & pietati, cum oriunda ſint gravia odia inter parentes, etiam implorata Judicis auctoritate, qui (ut aſſerit *Joan. Chapeaville de modo miniſtrand. Sac. cap. 69.*) debet omnino interdicere matrimonium quando vehementer timetur ex eo ſcandalum, idque non ſtatim ceſſaturum inter conſanguineos; & licet data ſit fides, hic habet locum *regul. Juris 69. in 6. in malis promiſſis fidem non expedit ſervari. & Gloſ. in verb. ſcandalum* ait,

Digitized by Google

ait, quod propter ſcandalum ſecuturum, matrimonium impediendum eſt, & ex modernis P. Felix Panormitanus Ord. Min. de obſerv. num. 3939. aſſignando octo cauſſas, quibus poſſunt diſſolvi Sponſalia, in *quinta ait, ſi ſupervenit notabilis mutatio, ſcilicet periculum valde probabile, quod ex matrimonio ſint oriunda ſcandala, aut gravia odia inter parentes, aut alios amicos.*

Ita Jo: Gregorius Alexius Tonelli Ord. Ser. S. T. D. Magiſter.

Si vera ſunt expoſita, dico cum *Lyman. lib. 5. tract. 10. par. 1. cap. 1. num. 14. de ſponſal., cum Bonac. tit. 1. qu. de Sacr. Matr. punct. 18. num. 26., cum Hoſt. in ſumm. verbo ſponſalia Navar. cap. 16. num. 18., Gloſs. verſ. ſcand., Gutierez. lib. 1. canon. qu. 20. num. 23., cum Sanchez de Matrim. diſp. 14. de ſponſal. num. 3., cum S. Thom. in 4. diſt. 27. qu. 2. ad 3.* quod quamquam ſponſus, quantum eſt de ſe, teneatur ſtare promiſſis ob ſponſalia, & ſecutam copulam, majorem ſponſo obligationem præbentem, tamen per Judicem Eccleſiaſticum valeat impediri exſecutio ſponſalium hujuſmodi, ſed cum onere reſarciendi damnum Bertæ illatum a Sponſo, ſalvo ſemper meliori Judicio.

Fr. Hyeronimus M. Allegri Ord. Servorum Beatæ Mariæ Virginis.

Conſultis Doctorum opinionibus, reque optime, pro tenuitate ingenii mei, matureque perpenſa, cenſeo impedienda hujuſmodi matrimonia ab Judice, ut majora vitentur ſcandala, & ut inter Chriſti fideles pax & unio, non rixæ, ac diſcordiæ ſuſcitentur; in quorum fidem manu propria ſubſcribo.

P. Philippus M. Valloni in Univerſitate Florentina S. T. D.

Ego Fr. Leopoldus Maſi Servita Sac. Theol. Profeſſor, & Univerſitatis Florentinæ Doctor cenſeo ſponſalia facta invitis parentibus eſſe ſolvenda, & irritanda ab Judice Eccleſiaſtico non ſolum pro bono Reipublicæ, verum etiam ad evitanda ſcandala, & odia inter parentes.

Ego Fr. Bernardinus M. Ducci Ord. Servorum B. M. Virginis Annunciatæ cenſeo, reſolutionem affirmativam ſe eſſe tenendam pro ſolutione ſponſalium, & pro impediendo Matrimonio ſupradicto.

Ita ego ut ſupra S. T. D. & Magiſter.

Ego Fr. Philippus M. Hommezzali Lector Caſuum Conſcientiæ in Conventu SS. Virginis Annunciatæ dico, ſponſum ſupradictum non teneri d. Puellam ducere in uxorem, ſed ſufficere, ut eam dotet ob vitandum dedecus familiæ, & odia Parentum, in quorum fidem.

Fr. Philippus M. Homezzali Servita.

Item addo, Judicem Eccleſiaſticum etiam invitis ipſis ſponſis poſſe dictum Matrimonium impedire maxime ad inſtantiam Parentum.

Idem qui ſupra.

Ego D. Alphonſus Foggini S. T. D. Abbas Sanctæ Mariæ de Galloro aſſero, ſupradictam opinionem veram, probabiliſſimamque eſſe, & tutiſſimam; adeoque manu propria ſubſcripſi.

Ego Antonius M. Biſcioni S. T. D. affirmo, nequaquam eſſe dubitandum, hanc affirmativam ſententiam, tot tantorumque virorum auctoritate firmatam, probabiliſſimam, ac forte indubitabilem eſſe in quorum &c. man. propr.

Ego Petrus Franciſcus Biſcioni S. T. D. ſequor opinionem aſſerentem poſſe Patrem impedire nuptias filii ſibi injurioſas, producturas ſcandala, & damna, ob rationes ſupra a tot Theologis adductas. In quorum fidem manu propria.

Ego Mag. Fr. Michael Baſtremi Auguſt. Florentinæ Univerſitatis Theologorum D. vera exiſtente propoſitione prædicta, conſtanter, & abſque dubio affirmativam

par-

Digitized by Google

partem teneo, & ſine ulla hæſitatione defendo. In quorum fidem propria manu ſcripſi.

Ego F. Fortunatus Corteſius Regens & Lector S. T. in Conventu Carmelitarum Florentiæ, ſupradictæ reſolutioni ſubſcribo.

Ego Fr. Cherubinus de Florentia Ord. Min. Obſer. S. Franc. in Conventu Omnium Sanctorum S. T. L. Generalis ſuprad. reſolutioni ſubſcribo.

Ego Fr. Thomas Riccardus in Conventu Sancti Marci de Florentia Ord. Præd. S. T. Lector ſuprad. reſolutioni ſubſcribo.

Ego F. Cæſar Antonius Ruina de Lugo Minorita Conventualis S. Franciſci in Conventu S. Crucis Florentiæ ac Reg. S. T. ſubſcribo.

Ego Fr. Petrus Zaccherelli de Meldula Ord. Min. Con. S. Crucis Florentiæ Reg. S. T. Profeſſor præd. reſolutioni ſubſcribo.

Ego Fr. Petrus della Rena in Conven. S. Marci de Flor. S. T. L. præd. reſolutioni ſubſcribo.

Affirmativam ſententiam ineluctabilibus rationibus roboratam in praxi tutiſſimam eſſe, & pro bono Reipublicæ ad evitandas inimicitias, & alia quam plurima mala, & abſurda, omnino amplectandam judico.

Fr. Joan. Andreas Saccardi Carmelita S. T. in alma Univerſitate Florentina Doctor.

Sententiam, qua aſſeritur, poſſe Patrem impedire nuptias filii ſibi injurioſas, & ſcandala, & damna producturas, tanquam optimis rationibus fulcitam, & communi calculo Doctorum receptam, amplectendam in præſenti caſu omnino cenſeo.

D. Joannes Baptiſta Cianfius Barnabita, & S. T. Profeſſor manu propria.

Sententiæ affirmativæ ita firmiſſime adhæreo, non ſolum ob abſurda, quæ ut plurimum ſequi ſolent, & ob inveteratam malitiam talium feminarum, & præcipue ipſarum Matrum, qua utuntur, ut ipſos juvenes decipiant, & Matrimonia extorqueant, verum etiam ob graves rationes, quæ afferuntur ad probandam affirmativam aſſertionem, atque ob præſtantiſſimos hujuſmodi ſententiæ Auctores; ita cenſeo.

Antonius Philippus del Soglia Prior Sancti Florenti, & S. T. D., atque Profeſſor.

Tot Patrum, Doctorumque ſententiæ favendum cenſeo, ne ex talibus ſponſalibus peſſimi ſequantur exitus matrimonii, & ut Parentes puellarum abſtineant in futurum a talibus contractibus injuriam afferentibus legi divinæ, damnum Reipublicæ, & probrum familiis.

Salvator Roſſius Sac. Moralis Theologiæ Publicus Profeſſor manu propria.

Ego Fr. Petrus Franciſcus de Cecchis Carmelita S. T. Magiſter, & Univerſitatis Florentinæ Doctor, affirmativam ſententiam firmiter defendo, ſcilicet Epiſcopum poſſe tuta conſcientia ſupradicta ſponſalia diſſolvere, & matrimonium impedire, etiam invitis ipſis ſponſis. Ita pro veritate cenſeo.

Ego Fr. Stephanus Tortorini Auguſt. S. T. D. in Floren. Univerſ. ſententiam affirmantem probabiliter ſuſtineri poſſe confiteor. In quorum fidem manu propria ſubſcripſi.

Ego Joan. Bapt. Comparini S. D. affirmativam ſententiem utpote veram, & in praxi omnino amplectendam conſtanter defendo, atque libentiſſime ſubſcribo manu propria.

Ego Franciſcus Maria Briſſoni S. T. D. in Florentina Univerſitate affirmativam ſententiam veriſimam judico, & in praxi omnino ſervandam. In quorum fidem propria manu ſubſcripſi.

Ego

Digitized by Google

Ego Fr. Joannes Baptiſta Biſcardi O. S. B. M. V. S. Theol. humilis Profeſſor., & in Univerſitate Florentina Doctor affirmativam ſententiam, judicio veriſſimam, & in praxi tutiſſimam, in quorum fidem propria manu ſuſcripſi.

Sentio, & ego cum Doctiſſimo Conſulente manu propria.

Ludovicus Maleſpina Cler. Regul. S. T. Profeſſor.

Inhærendo ſententiæ affirmativæ ob allatas rationes, ego infraſcriptus aſſero, poſſe Judicem Eccleſiaſticum ſupradicta ſponſalia irritare, & dictum matrimonium attentatum impedire. In quorum fidem.

Antonius Michael Tanfani S. T. Doctor man propria.

Ego Cajetanus Sandrini S. T. D. & Plebanus Sanctæ Mariæ a Carraja, judico, Epiſcopum poſſe, & debere, proculdubio prædicta ſponſalia reſcindere, & ad inſtantiam Parentum Matrimonium impedire, manu propria.

Ego F. Ferdinandus Chelli Carm. S. T. Mag., ac Doctor firmativam ſententiam tutiſſimam, & communiter receptam affirmo manu propria.

Ego infraſcriptus S. T. D. ſententiam affirmativam teneo, ſuſtineo, ac defendo in expoſito caſu, ſcilicet poſſe diſſolvi ſponſalia a filio familias inita cum imparis conditionis puella contra Parentum voluntatem.

P. Antonius Ricci manu propria.

EGo infraſcriptus Abbas Tit. Sanctiſſimæ Trinitatis in Alpibus Congregationis Valliſumbroſæ, in Alma Florentina Univerſitate S. T. D., & in eadem Diœceſi Synodalis Examinator, attente legi ſupradictam Scripturam pro Sponſalium a filio familias contra Parentum voluntatem cum imparis conditionis puella initorum ſolubilitate, ſtudioſiſſime elaboratam, & ſicut illam Scripturarum Oraculis, Patrum auctoritatibus, Synodorum ſtatutis, Principum Sæcularium edictis, utriuſque juris textibus, ac denique Doctorum ratiociniis conſonam adinveni; ſic ejus doctrinam magna probabilitate præditam adjudico, & pro eorumdem Sponſalium, vel nullitate, vel ſolubilitate, hæc (qualiſcumque ſint valoris) addo expoſtulatus Motiva.

Primum Motivum; quia juxta communiſſimum, & vulgatiſſimum Moralium omnium, immo cunctorum hominum Prologium, *nemo de ſua iniquitate debet commodum reportare*; ſed ſi dicta ſponſalia eſſent indiſſolubilia, & non irritanda, ſequeretur quod Puella illa imparis conditionis, maximum de ſua iniquitate, ſtupro videlicet, commodum reportaret, ut de ſe patet, & ſic latiſſima aperiretur via hujuſmodi impudentibus Puellis viliſſimis, ut prævia ſponſione de Matrimonio facillime exigibili a Juvenibus amentibus potius, quam Amantibus, ſe ab eis deflorandas exponerent. Quod commodum non reportaret de ſua itidem iniquitate filius familias, qui cogi poteſt, & ad dotandam de ſuis bonis patrimonialibus Virginem a ſe corruptam, & ad ſubeundas alias pœnas temporales, ſibi a Judice, ſecundum criminis gravitatem, infligibiles. Ergo dicta ſponſalia non ſunt indiſſolubilia, ſed irritanda.

Secundum Motivum; Si quis prodige ſpondeat Meretrici pro ſui corporis uſu, non tenetur implere ita prodige, quia eſt peccatum, ut docent apud *Sanchez diſp. 14. Medeſma Merenub, Salon, Sotus, Placios, Bannes, & Emmanuel*, quorum ultimi quatuor aſſerunt, id eſſe verum, etiam ſi promiſſio Juramento firmetur; ſed filius familias in noſtro caſu, puellæ ſibi longiſſime diſpari, ut fortaſſis hic, & nunc ſuo corpore utatur, ſpondet prodige, nedum propriæ Domus opes, facultates, & commoda, ſed etiam ſuæ familiæ, immo, & omnium Conſanguineorum decus, ſplendorem, & nobilitatem; ergo non te-

netur

netur implere ita prodige per subsequens Matrimonium, sed per dotem statui Puellæ defloratæ competentem : Consequentia probatur : Valde minor prodigalitas est promittere Meretrici summam aliquam notabilem v. g. pecuniarum pro sui corporis usu, ac sit promissio facta Puellæ vilissimæ conditionis, eamdem ob caussam a filiosamilias genere, opibus, & æstimatione nulli in Patria secundo (ut exponunt) de futuro matrimonio ; Ergo si prima non tenet, quia peccaminosa, multo minus tenet secunda, cum sit magis peccaminosa juxta illud Axioma, *sicut se habet simpliciter ad simpliciter, ita magis ad magis*.

Tertium motivum, a quo hujus sententiæ ducuntur omnes fautores, & Adversariorum expugnatur Achilles, est hujusmodi ; si præfata sponsalia essent indissolubilia, essent, quia virtus Justitiæ obligat promittentem ad fidem servandam ; sed virtus Justitiæ obligare nequit in casu nostro filium familias ad servandam fidem datam Puellæ imparis conditionis de futuro Matrimonio ; ergo talia sponsalia non sunt indissolubilia. Minor probatur : Virtus Justitiæ obligare nequit ad actum, qui sine magno peccato impleri non potest ; sed celebratio Matrimonii inter nostrum filium familias genere, opibus, & æstimatione nulli in patria secundum, & Puellam Cerdonis, ac Villicæ mulieris filiam, invitis Parentibus, & Consanguineis, quibus in damnum, injuriam, & dedecus cederet, non potest impleri sine scandalo, cum notabiliter lædatur Caritas Proximi, dissolvatur Parentum Pietas, Cognatorumque subvertatur Concordia, & consequenter sine peccato ita magno, ut contra ipsum zelo accensus exclamaverit Christus Dominus apud Matth. cap. 18. *Væ homini illi, per quem scandalum venit. Expedit ei, ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum Maris* ; Quæ verba minitatoria terrere debent, nedum caussam physicam scandali, verum etiam moralem, debentem scilicet, ac potentem illud impedire, & non impedientem. Ergo virtus Justitiæ obligare nequit in casu nostro filium familias ad servandam fidem datam Puellæ imparis conditionis de futuro Matrimonio.

Confirmatur idem Motivum *ex cap. cum in tua de sponsi. ibi de fama, vel scandalo ex glos. ibi verb. scandalo ex Panorm. ibi num. 4. Alex. de de Nævo num. 6. Præpos. num. 2.*, ubi docent, quod quando vehementer scandalum timetur ex contractu Matrimonii inter contrahentium Consanguineos, potest, & debet Judex interdicere Matrimonium. Et colligitur ex eodem *Panorm. in cap. requisivit 17. de sponsalib.* quia dicitur tunc sponsos non esse cogendos ad implenda sponsalia, quando mali exitus inde timentur, & tamen loquitur de sponsalibus juratis. Melius autem id expresse docent apud *Sanchez loco cit. Navarr. Gutier. Curdub. Lop. Felin. Menoch.*, quorum primi quinque loquuntur, *etiamsi sit secuta virginis defloratio sub spe futuri Matrimonii*. Et idem dicendum esset, licet nulla foret inter Contrahentes disparitas, ut bene asserit *Ludovicus Lopez ibidem* propter dictam rationem laudatissime adductam ab aliis ferre cunctis Auctoribus, & præcipue Antiquis, brevitatis gratia hic omissis ; quorum doctrinam tanquam lucernam investigare debet Theologus per caliginosam Moralitatis, & salutis viam incedens, juxta illud Ecclesiastici cap. 39. *Sapientiam omnium antiquorum exquiret sapiens*. Et præsertim, cum eorum quilibet ad nos recentiores conversus, apud eumdem Ecclesiasticum cap. 24. dicat *Videte quoniam non soli mihi laboravi, sed omnibus exquirentibus veritatem*.

His igitur, aliisque præfatæ scripturæ ductus motivis, censeo, & existimo (salvo semper meliori Judicio) sponsalia inter filium familias, & puellam conditionis notabiliter disparis inita, invitis Parentibus, & circumstantiis expositis, dato etiam, quod valida fuerint, dissolvenda esse, etiam secuta sit copula. Pro quorum Motivorum coronide adjungam eximium illud Politicæ vere

Chri-

Digitized by Google

Chriſtianæ Præceptum traditum *a Carolo Moscheni Vernacula Lingua in obſerv. ſuper lit.* 50. *num.* 6. *L' Uomo nel maritarſi deve ſopra ogni coſa procurare, che la Donna ſia di condizione a lui uguale, in quanto ſia poſſibile, perchè l' uguaglianza è madre della concordia, e dell' amicizia, e la diſuguaglianza genera odio, e diſſenſione*: che perciò corre il Proverbio: *Si Vis nubere nube pari.*

D. Epiphanius Davanzati.

Votum RR. PP. S. Franciſci ad Montem.

IN prædicto caſu duæ ſe offerunt difficultates. Prima, an dicta ſponſalia ob præfatam cauſſam valeant impediri, non ſecuta copula. Secunda, an valeant impediri, ea ſecuta.

Quoad primam difficultatem, Doctores communiter tenent partem affirmativam: Ita *Navar. Guttierez. Sanchex*, quos citat, & ſequitur *Layman. qui lib.* 5. *tract.* 10. *par.* 1. *cap.* 1. *num.* 14. ſic habet: „ Enim vero ſi ex matrimonio quod „ filius, aut filia, contrahere cogitat, ob diſparitatem ſponſorum, vel ſimilem „ cauſſam timeatur familiæ dedecus, ſcandala, diſcordiæ, ideoque tale Ma„ trimonium, tanquam caritati, ac pietati repugnans, ſine peccato contrahi „ non poſſit, tunc Parentes illud impedire poſſunt, ac debent, implorata „ etiam Judicis auctoritate, ad cujus officium pertinebit cavere, ne talia „ matrimonia ineantur, ex quibus ſcandala, vel infelices exitus ſequi ſolent: „ idque non tantum locum habet, antequam ſponſalia celebrata ſunt, ſed „ etiam poſtea „. Idem, & quidem in terminis quaſi omnibus docet *Baſſæus tom.* 2. *V. ſponſalia* 11. *num.* 8. his adde *Covarr. Hurtad. Coninck.* alioſque, quos citat, & ſequitur, *Gobat. tract.* 10. *caſu* 3. *qui num.* 106. ſic ait. „ Ex „ quibus infero, eſſe quidem valida ſponſalia, quæ ineuntur parentibus ſeu „ prudenter, ſeu imprudenter, invitis, eſto timeatur offenſa Parentum, „ quæ brevi defitura ſit, at vero ſi timeantur graves rixæ inter Parentes „ contrahentium, ſi gravis, & diuturna horum offenſa, ſi denique grave „ ſcandalum, irrita ſunt ſponſalia; poteſtque, ac debet Magiſtratus Eccleſiaſticus impedire meditatum Matrimonium „. Similiter aſſerit *Leſſius loc. cit. apud Gobat.* qui ad quædam ſponſalia cujuſdam Barbaræ Nobilis inita cum Blaſio nobili, ſed inferioris fortunæ, ſic dicit: „ non valuiſſe ſponſalia illius „ Barbaræ cum Blaſio, eo quod non ſubſiſtant illa, ex quibus timentur gravia „ incommoda, & odia, rixæ, inimicitia inter conſanguineos ſponſorum, vel „ odia Parentum in liberos; tum quia Juſtitia non poteſt obſtringere ad id, „ quod ſine peccato fieri nequit, quale eſt, contrahere matrimonium cum „ ſcandalo proximi, & parentum gravi, & juſta indignatione „; concordat cum prædictis *Tambur. lib.* 8. *tract.* 3. *de ſponſalibus cap.* 5. §. 8. *num.* 7. & vel maxime apud ipſum *Averſa, qui loc. cit.* §. 9. *num.* 5. ad noſtrum propoſitum caſum, ſic aperte inquit: „ Et quidem niſi forte promiſſio valde fuerit im„ prudens, & indiſcreta, v. g. eſſet promiſſio Juvenis nobilis, & divitis facta „ viliſſimæ puellæ, tunc enim non teneretur quis ſervare promiſſum, „ nempe ex eo, quod faceret rem illicitam, & indiſcretam „. Hæc Auctores citati.

Quorum inter alias, ratio prima eſt, quia promiſſio non obligat, quæ verſatur circa rem illicitam, videlicet matrimonium cum ſcandalo, & peccato contrahendum. Unde hic locum habet regula Juris 69. *in* 6. quæ ſic loquitur: *In malis*

Digitized by Google

lis promiſſis fidem non expedit ſervari, quia fides data non debet eſſe vinculum iniquitatis.

Secunda ratio, eſt quia ita clare, & manifeſte urget pietas erga parentes, caritas erga propinquos, ut prædictorum ſponſalium ob præfatam cauſſam exſecatio impediatur.

Tertia ratio eſt quia, ut experientia conſtat, ex prædictis ſponſalibus ob relatam cauſſam, etiam inter ipſos ſponſos odium diuturnum probabiliter ſecuturum timetur.

Ex quibus rationibus evidenter concluditur, non ſolum Judicem Eccleſiaſticum poſſe, ac debere effectum dictorum ſponſalium impedire, verum etiam ipſos ſponſos poſſe, & teneri contractum eorum, ne dictus effectus ſubſequantur, reſcindere.

His ergo ſufficienter quoad primam difficultatem diſcuſſis, ad aliam difficultatem ſuperius propoſitam tranſeamus.

Quod autem prædicta ſponſalia, etiam ſubſecuta copula carnali, ob præfatam cauſſam a Judice Eccleſiaſtico valeant impediri, immo & diſſolvi, ita tenet *Sanchez* quem citat, & approbat *Gobat. loco ſupracitato*, quibus adde *Averſam ſuperius allegatum*, qui etiam ſubſecuta copula carnali, quoad dicta ſponſalia ſic „ ait Et quidem niſi forte promiſſio valde fuerit imprudens, & indiſcreta, qua„ lis V. G. eſſet promiſſio Juvenis nobilis, & divitis facta viliſſimæ puellæ; tunc „ enim ex alio capite non teneretur quis ſervare promiſſum, nempe ex eo, quod „ faceret rem illicitam, & indiſcretam, *ad quod dictum confirmandum loco ſu„ perius citato, ſic ſubdit* Tamburinus: adverte, id dici ex vi promiſſionis ſpon„ ſalium, non ex vi damni illati, illud enim eſſe omnino reſarciendum certum eſt.

Ex quorum Doctorum dicto ſatis clare conſtat, ullam eſſe differentiam (excepta ſatisfactione damni illati) inter utramque difficultatem; unde ob quam cauſſam prædicta ſponſalia, quoad primam difficultatem, ideſt non ſecuta copula, poſſunt impediri, & diſſolvi, ob eandem cauſſam poſſunt impediri, & diſſolvi, quo ad ſecundam difficulratem, ideſt ſubſecuta copula carnali. Quod probatur evidenter.

Prædicta ſponſalia ſubſecuta copula carnali, non tranſiverunt in matrimonium de præſenti, ut expreſſe conſtat *ex Conc. Trident. ſeſſ. 24. cap. 1. de matrim.* ſed remanſerunt pura ſponſalia, licet per copulam magis roborata; ergo ob quam cauſſam prædicta ſponſalia, non ſubſecuta copula carnali, poſſunt impediri, & diſſolvi, ob eandem cauſſam poſſunt impediri, & diſſolvi ea ſubſecuta, dummodo ſufficienter injuria puellæ ad arbitrium Prudentum compenſetur.

Jam autem in prima difficultate ſatis probatum eſt, prædicta pura ſponſalia, ob præfatam cauſſam poſſe impediri, & diſſolvi, ergo etiam in ſecunda difficultate (ex quo etiam non obſtante copula carnali juxta *Conc. Trid. decre.* ſunt pura ſponſalia) ob præfatam cauſsam poſſunt impediri, & diſſolvi, nam eædem rationes militant pro una, & altera difficultate, dummodo, ut dictum eſt, excipias ſatisfactionem damni illati, quod arbitrio peritorum compenſandum eſt.

His itaque ductus rationibus extrinſecis, & intrinſecis ſponſalia inpropoſito caſu a Titio cum Berta celebrata, rectiſſime a Judice Eccleſiaſtico poſſe diſſolvi, ac a Parentibus ſponſi implorata ejusdem Judicis Eccleſiaſtici auctoritate, illorum exſecutionem licite poſſe impediri; ſalvo aliorum ſaniori Judicio, ſentio, cenſeo, ſubſcribo.

Florentiæ in Cœnobio S. Franciſci ad Montem Fr. Urbanus a Gayar Caſuum Conſcientiæ Lector, qui dictum caſum propoſitum, & modo dicto diſcuſſum aliis Re-

ligio-

Digitized by Google

ligioſis communicaſſem, ſinguli ſuum Votum in hanc meam reſolutionem contulerunt.

Votum RR. PP. S. Petri de Alcantara, ad Ambroſianam.

DIſſolubilitatis ſponſalium Titii Civis Florentini, contra voluntatem ſui Patris, cum Berta Cerdonis filia, & pauperrima, attente defenſionem perlegimus, eamque valde munitam eſſe, ratione, & auctoritate profitemur: Et præter DD. in ea adductos in ſimilibus, vel ut melius dicam non ita urgentibus circumſtantiis ſponſalium ſolubilitatem poſſe fieri invenimus, propugnare Villalobos: in prima *par. ſumm. tract.* 12. *de ſponſ. defect.* 12. *de cauſ. ſponſ. num.* 21. cujus verba hiſpano idiomate exarata, ſic latine verti poſſunt „ Decimus caſus „ eſt quando juſte timetur grave ſcandalum naſciturum eſſe, quia virtus Ju„ ſtitiæ obligare non poteſt ad actum qui ſine ſcandalo haberi non poteſt, ut „ colligitur ex C. cum in tua de deſponſ. & dicit hoc una Gloſſ. Panor. Alex. „ de Nevo, unde Eccleſia compellere non debet ſponſos ad contrahendum, „ quando probabiliter timentur magnæ rixæ inter Parentes, quod quidem „ intelligi debet, etiam ſi interveniſſet defloratio virginis ſub ſpe matrimonii „ ut tenet *Felin. conſ.* 26. *numer.* 21. *Gutierez*, & *Sanchez* qui addit poſſe, „ optime Patrem ſponſalia impedire filii, quando timetur ſcandalum, ſi „ tamen ſcandalum, non timetur, non poſſe; idem dicendum eſt propter „ eaſdem rationes, ſi malus matrimonii exitus timetur.

Georgius Gobat. in Experientiis Theologicis Tract. X. caſ. 171. *num.* 106. *idem ſentit ac Villalob.* verba ejus ſunt. *Ex quibus infero eſſe quidem valida ſponſalia, quæ ineuntur, Parentibus, ſeu prudenter, ſeu imprudenter invitis, eſto timeatur offenſa Parentum, quæ brevi deſitura ſit; at vero ſi timeantur graves rixæ inter Parentes contrahentium, ſi gravis, & diuturna offenſa, ſi denique grave ſcandalum, irrita ſunt ſponſalia Menoch. cit. conſ.* 69. *Sanch. lib.* 1. *diſp.* 14. *cum multis; poteſtque, ac debet Magiſtratus Eccleſiaſticus impedire meditatum matrimonium Layman. cit. c.* 1. *num.* 14. *poſt Navarr. Gutierez alioſve, quos ſecutus in conſulendo, adeoque in contingentia facti Leſſius reſpondit ad caſum, quem ex eo deſcripſi ſupra n.* 85. *non valuiſſe ſponſalia illius Barbaræ cum Elaſio, eo quod non ſubſiſtant illa, ex quibus timentur gravia incommoda; ut odia, rixæ, inimicitiæ inter conſanguineos ſponſorum, vel odia parentum in liberos, & extendit Sanchez loc. cit. num.* 3. *etiam ad caſum, quo aut virgo eſt deflorata ſpe matrimonii, aut matrimonium illud eſt inter æquales, ſeu non diſparis conditionis; ſed ego tum has duas extenſiones, tum doctrinam Leſſii, Layman, & ejuſdem Sanchez, paulo ante relatam approbo in ſolo caſu, quo pietas, caritas, juſtitia, aut alia ſimilis virtus, clare, ac manifeſte prohibet cum tali nuptias.*

Multo magis eſt dignum conſideratione; quod dicit *Magiſter Sierra* 22. *qu.* 62. *art.* 2. *dub.* 2. §. *ſi corrupt. & cum illo D. Franciſcus Verde in ſelect. qu.* 4. *num.* 208. *citati a R. P. Forreçilla in ſum. tract. vii. de conſ.* ſcilicet non teneri defloratorem ducere virginem defloratam ſub promiſsione Matrimonii, ſi magna intereſt diſparitas in nobilitate; ſeu in divitiis inter defloratam, ideſt ſi vir ſit nobilior, aut ditior virgine; quia adimpletio talis promiſsionis eſſet prodigalitas, & vitium; fundanturque prædicti Auctores in auctoritate *D. Thomæ in* 4.

dist. 28. *art.* 2. *ad* 4. qui inter sponsos requirit æqualitatem conditionis, idem sentit *Nav. c.* 16. *num.* 18.

Ex præcitatis Auctoribus liquido apparet, sponsalia a Titio cum Berta contracta, non solum posse dissolvi a judice Ecclesiastico, & a Patre Titii interposita ejusdem Judicis Ecclesiastici auctoritate impediri; sed quod Titius, Sempronio suo Patre satis compensante damnum e stupro illatum Bertæ dotando eam, non tenetur ad contrahendum matrimonium cum illa.

Sed quamvis totum hoc sit verum, tamen quia veritas, quæ ex se, & ex sola explicatione terminorum non est manifesta, ut est præsens, & quælibet alia illata, tunc innotescit, quando resolvitur in sua principia, idest quando per syllogismum manifestatur causa talis veritatis; ideo in forma syllogistica alias rationes præter assignatas adducens, probabo prædictam veritatem. Adverto ergo probari, & inferri Sempronium Titii Patrem posse impedire prædictum matrimonium, eo ipso quod Titius non teneatur ad ducendam Bertam, & si hoc non probetur, existimo nec illud, ut postea videbimus; His notatis.

Probatur assumptum; si Titius teneretur ad contrahendum matrimonium cum Berta, maxime esset, vel ex vi, & ratione promissionis, hoc est sponsalium, vel ex vi, & ratione stupri, vel ex vi, & ratione utriusque: non videtur esse, præter assignatas, alia ratio obligandi Titium ad ineundum conjugium cum Berta; sed sic est, quod Titius ex nulla ex prædictis rationibus tenetur nubere Bertæ, ergo &c. Probatur minor. In primis non tenetur ratione promissionis, quia quando sponsalia sunt injuriosa Parentibus, & causæ rixarum diuturnorum odiorum, & inter sponsorum consanguineos inimicitiarum, non est obligatio ad minus actualis adimplendi promissionem contrahendi matrimonium, quia nemo tenetur ad promissionis impletionem, quæ sine peccato non potest subsistere, etiam si talis promissio sit jurata, ut constat *ex cap. contingat extra de Jur. Jurand.* Immo non potest illam implere, nam ut ait Papinianus *l. si filius* 16. *de cond. inst.* „ quæ facta lædunt pietatem, existimationem, vere„ cundiam nostram, & ut generaliter dixerim, quæ contra bonos mores fiunt, „ nec facere nos posse credendum est: Hinc oritur illa Regula 69. juris in „ malis promissis fidem non expedit observare „. Quam illustrant verba Isidori, quæ citat *Bartholomæus a S. Faust. Thesaur. lib.* 1. *qu.* 37. *num.* 3. & habentur, *in cap. in malis* 22. *qu.* 4. nimirum „ in malis rescinde fidem in turpi vo„ to muta decretum, quod incaute vovisti, ne facias, impia enim erit pro„ missio, quæ scelere adimpletur „. Atqui Titius non potest adimplere promissionem matrimonii factam Bertæ absque injuria sui Patris, & absque rixis, odiis, & inimicitiis inter propinquos, ergo Titius non tenetur nubere Bertæ, ob promissionem Matrimonii illi factam. Consequentia est legitima, minor supponitur, & major ex jure patet.

Deinde probatur secunda pars, idest, quod ex vi stupri, non teneatur Titius ducere Bertam; Justitia commutativa solum petit, ut reddatur, & restituatur ad æqualitatem ablati, vel damnificati, quapropter dicitur in rebus facere æquabilitatem: sed sic est, quon stuprum potest sufficienter compensari cum pecuniis, ut tenet *D. Anton.* 3. *p. c.* 19. *c.* 19. *Gab.* 4. *dist.* 28. *qu.* 1. *artic.* 2. *conc.* 5. *Barth. de Ledesm. de Matr. dub.* 19. *Bon. qu.* 1. *num.* 9. *Perez. de Mat. disp.* 2. *sect.* 3. *per totam*. Ergo eo ipso, quod Titius tribuat Bertæ dotem competentem ob damnum e stupro illatum, ei non tenebitur ad aliud: idest ad illam in Uxorem ducendam. Consequentia præterquamquod infertur necessario ex promissis, constat etiam ex jure *c.* 1. *&* 2. *de Adult. & stup. ex cap.* 1. *in alternativis* 70. *de reg. juris in* 6., *l. Plerumque* 10. *in fin. ff. de jure dotium*, e quibus argunt DD., stupratorem teneri vel dotare oppressam, vel eam ducere.

Ex

Ex prædictis jam infertur necessario tertia pars nostræ assertionis, idest; quod Titius non teneatur nubere Bertæ, nec ex ratione promissionis, & stupri simul; quia secundum præcitatum *R. P. Forrexillam. 1. part. de prop. damn.* stuprator cum promissione matrimonii solum obligatur, vel stupratam ducere, vel eam dotare, asseritque prædictus Forr. *text. in supracitato cap. 1. & 2. de adult. & stupr.* loqui de stupratore cum promissione Matrimonii, & citat Julium Clarum. Quod licet non esset verum, tamen constat, Titium non posse appellari stupratorem sub conditione promissionis Matrimonii, quia promissio absoluta Matrimonii, idest sponsalia præcesserunt, & postea secuta est copula: Ergo Titius nec etiam, ex vi copulæ, & promissionis simul tenetur nubere Bertæ: patet conseq. quia, si stuprator sub conditione nubendi non ad aliud obligatur, nisi ad ducendam stupratam puellam vel illatam dotandam, potiori ratione id procedit quando stuprator sine dolo, & sine promissione matrimonii puellam cognovit: ut est in nostro casu; in quo promissio solum concomitanter, & non ut extorquens se habet respectu copulæ:

Probatur postremo ratione ista ultima pars: sicut non ens additum non enti, non facit ens; ita non vis obligandi addita cui non habet vim obligandi, obligandi vim parere non potest; sed si est, quod promissio matrimonii idest sponsalia, quando ex illis timentur gravia incommoda, ut odia, rixæ inter consanguineos sponsorum, vel odia parentum in liberos, & maxime si sponsi sint inæquales in nobilitate, & divitiis, ut remanet probatum, non obligant, nec habent vim obligandi ad contrahendum, quia impia est promissio, quæ sine peccato adimpleri non potest, & stuprum eo ipso, quod recompensetur pecuniis, ut constat ex dictis & expressum in jure, nullam etiam vim habet obligandi ad contrahendum; ergo quando stuprum advenit promissioni ineundi conjugium, quæ ob caussas supra assignatas non habet obligandi vim ad complendum matrimonium, si tale stuprum compensetur, dotando stupratam, nullam vim obligandi dabit tali promissioni; sed in promissione non reperitur ulla vis, ut dictum est obligandi ad nubendum: ergo de primo ad ultimum concluditur per legitimam conseq. quod stuprum cum promissione non conditionata, sed absoluta nubendi, non potest obligare ad contrahendum, sed tantum ad resarciendum damnum ex illo illatum: atqui tale est stuprum commissum a Titio cum Berta, & promisio facta ab ipso Titio nubendi illi etiam est talis, ergo nullo modo obligatur ad Bertam ducendam sed tantum ad compensandum pecuniis damnum illi e stupro illatum.

Jam vero hoc præsuppositio, immo plenissime probato, prædictum Titium non obligari ex ullo capite ab Bertam ducendam, plusquam manifeste deducitur, Patrem ipsius Titii impedire posse impletionem, seu exsequutionem assertorum sponsalium, implorata tamen superioris Ecclesiastici auctoritate. Certum quippe est pietatem, honorem, & reverentiam Parentibus debitam tanti roboris plerumque esse, ut filios familias deobliget ab his etiam implendis, & exsecutioni mandandis, quæ alioqui, & secluso jure patriæ potestatis, ipsimet filii tenerentur exsequi, & implere. Exemplum est potissimum in votis editis a filio impubere, quæ Pater rescindere, & directe irritare potest etiam post filii pubertatem (nisi tamen pubes factus ea filius expresse confirmaverit) ut infertur ex *cap. ult. de sentent. excom.* & docet *Cajet. 2. 2. quæst. 99. art. 5. Lopez part. prima instruct. cap. 74. §. Sed oppositum Suarez lib. 6. Less. lib. 2. c. 40. num. 8.* & alii communiter; cum tamen idem filius per se, & silente Patre talia vota teneretur servare.

Quanto ergo magis tenebitur filius familias obedire Patri ea præcipienti, quæ licita, honesta sunt, & omnino justa, quæve nec per se, & secluſa patria po-

Digitized by Google

teſtate ſacere teneretur? Veniamus itaque ad rem noſtram. Valde probabile eſt, ac fere ab omnibus DD. receptum, quod etiamſi Titius teneretur, quantum eſt de ſe, in caſu noſtro fidem ſervare, & ſponſalia perficere, nihilominus ad inſtantiam Patris id impedire volentis, propter damnum ſibi, totique familiæ obveniens, licite poſsit præfatus Titius, immo debeat, ac teneatur omnino a contractis ſponſalibus recedere, & Patri obtemperare. Ergo multo magis id procedit, & veriſimum eſt, dum latiſſime probatum fuit, eundem Titium neque per ſe teneri ad nubendum Bertæ, ſed ſolummodo ad reſarciendum cum competenti dote damanum illi e ſtupro illatum. Ita cenſemus, autumamus, judicium ferimus &c.

Pro ſingulis noſtri Conventus Theologis.
Fr. Alphonſus a S. Maria Guardianus.

Votum N. N.

Licet ſupradictæ Conſultationi rationum pondere, ac DD. Auctoribus D. Conſulente plenæ eruditionis viro allatis munitæ nihil addendum ſuperſit; attamen tot doctiſſimorum ſubſcribentium veſtigiis inhærendo, liceat in veritatis obſequium hæc pauca attexere.

Nemo tenetur promiſſa etiam Juramento firmata ſervare, ſi ea adimplere ſine peccato non valeat; ſed in caſu propoſito filius non poteſt promiſſa juramento firmata ſine peccato adimplere; ergo & ſervare non tenetur.

Major patet, quia promiſſio, & juramentum non obligant ad actum peccaminoſum; cum ex *cap. Quando de Jur. jurand.* non debeant eſſe vinculum iniquitatis, & docet *ex Tamburrino Eruditiſſimus Joannes Clericatus Patavinus Præpoſitus in ſuis Exotemat. Eccleſiaſticis cap. 37.* ubi ſic ait *ſecundum communem Doctorum obligatio promiſſionis & juramenti ceſſat quando promiſſum, & juratum non poteſt ſine peccato adimpleri.*

Minor probatur quia filius contrahendo cum illa, de qua in noſtro caſu, dedecus familiæ afferret (cum ſponſa ultra paupertatem, & vilem artem a ſuo Patre exercitam, longe inferioris ſit conditionis in ſanguinis puritate) propter quod cauſſa eſſet rixarum, & odii inter conſanguineos, ac denique injuſte Parentes ſuos vehementiſsime contriſtaret; ſed hæc omnia ſunt peccata; ergo filius non poteſt promiſſa ſine peccato implere, ergo non tenetur.

Quod autem non ſolum filius non teneatur in hoc caſu promiſſa implere, ſed etiam Pater poſsit, ac debeat per Epiſcopum, contradicente filio, dictum matrimonium impedire, ex eo patet; quia cum Patri ſuorum filiorum, ac Epiſcopis ſuarum ovium cura a Deo ſit commiſſa, ad ipſos utique ſpectat ab illis patrata delicta corrigere, ac perpetranda impedire; quod aperte docet P. Anacletus Reiffeſtuel Ordinis Minorum S. Franciſci Reformat. modernus Theologus *tract. 14. d. 14. n. 47.*

Et quamquam prima fronte vera ſolummodo videatur ſupradicta, quando non fuerit ſequuta defloratio, cum in hoc caſu propter juris alterius læſionem ceſſare videantur prædictæ rationes, utpote quod, cum vinculum juſtitiæ ſit omnium ſtrictius; conſequenter in concurſu aliarum obligationum prævalet; attamen etiam in hoc caſu omnino tenendum eſt, debere Patrem per Epiſcopum matrimonium impedire, aſsignata puellæ dote ſufficiente, qua mediante poſsit alteri ſimilis conditionis nubere, æque ac ſi corrupta non eſſet; cum etenim eodem vis, cur non militare videantur eædem rationes, in hoc conſiſtat, quod

quod in tali casu; urgeat Justitiæ obligatio propter damnum puellæ illatum; sequitur, quod si hoc damnum dotis competentis assignatione recompensetur; eandem vim supradictæ rationes omnino retineant.

Quod autem damnum, aut corpori, aut famæ illatum, pecunia possit recompensari, experientia docet, cum quotidie in matrimoniis, sponsorum inæqualitatem augmento, vel diminutione dotis compensatam videamus; quod signum est in communi hominum æstimatione pecuniam posse in corporis, ac famæ bonis excessum æquare.

Probatur etiam ulterius sequenti argumento: quando in aliquo casu potest averti utriusque partis damnum, tenetur Judex hoc facere; at in hoc casu, si filio permitteretur ducere defloratam, solum puella servaretur indemnis, familiæ vero sponsi dedecus inferretur; si vero filius puellam dotare cogatur, &, puellæ damno, & familiæ sponsi decori, ac consanguineorum paci consulitur, & consequenter utriusque partis damnum cavetur: Ergo judex tenetur hoc facere, ut docent ultra citatos a Domino Consulente, & aliis Excellen. subscribentibus *Joan. de la Crux p. 2. de Matrim. quæst. 2. dub. 3.*, *Bartholomeus Mastrius disp. 20. num. 86.* loquentes in terminis juramenti, *Andreas Mendo in Epitome opin. moral. verb. sponsi. pag. 679. num. 10. in terminis matrim. cessuri in probrum, & injuriam Parentum*, *Angel. Possent. in Compend. verit. de Sacram. Matrim. n. 14.* in terminis defllorationis.

SUB-

SUBSCRIPTIONES

Excellentiſs. DD. PP. Sacram Theologiam, & Sacros Canones in Piſana Univerſitate, ac Sacram Scripturam, & Controverſias in Studio Florentino Publice Profitentium.

EGo *Fr. Petrus Ant. de Rubeis Ordinis Serv. Beat. Mariæ Virg. in Piſanæ Univerſitate Sacrorum Canonum Profeſſor*, ex juribus clare deductis in ſupradicta ſcriptura cenſeo, Epiſcopum poſſe tuta Conſcientia, hujuſmodi ſponſalia diſſolvere, & Matrimonium impedire.

Ego Fr. Carolus Gucci Ord. Prædicat. S. Theologiæ Mag. ac ſuæ Regiæ Celſitudinis Theologus, in Piſano Lycæo publicus Theologiæ Moralis Profeſſor, libenter aſſertionibus ſupradictorum PP. Theolog., & eorum opinioni propria manu ſubſcribo.

Secundum ea, quæ proponuntur in caſu ſponſaliorum cum copula, inter Titium filium familias, ex primariis patriæ ſuæ, & Bertam filiam cujuſdam Cedronis: conſtito de magno ſcandalo, diſcordiis, & rixis inter ſponſorum conſanguineos imminentibus, exiſtimo, jus eſſe patri ejuſdem ſponſi Matrimonium contractum impediendi, & teneri Prælatum, ad quem fuerit recurſum, hujuſmodi ſponſalia reſcindere, & Matrimonium prohibere, & ſic locum fieri doctrinæ, quam ſimul juncti tradunt *Sanch. de Matrim. qu. 4. punct. 17. num. 26., & 27. Layman. lib. 5. tract. 10. part. 1. cap. 1. num. 14. verf. Enimvero &c. ſalvo &c.*

Andreas Tanuccius I. V. D. & in Piſana Univerſitate Juris Canonici Profeſſor Ordin. &c.

Cum ex facto Jus oriatur, dummodo conſtet talem eſſe diſparitatem inter ſponſos, quam Canoniſtæ junctam variis circumſtantiis ſupponunt, quam diſcutere præſentis non eſt inſtituti: ſentio Epiſcopi partes eſſe Matrimonium impedire, quemadmodum tradit *Pax Jord. diverſ. lucubr. lib. 3. tit. 7. ſub n. 61. §. Imo ſi filius pag. 220.*

Ego Lazarus Benedictus Migliorucci Jur. Canonici Lect. Ordinar. in Piſana Univerſ.

Ego Fr. Franciſcus Orlendi Ord. Prædicatorum Sacr. Theolog. Magiſter, & in Piſano Lyceo publicus Theol. Dogmaticæ Profeſſor, libenti animo aſſentior prædictis aſſertionibus DD. Theologorum, ac ſuppoſita maxima illa natalium diſparitate inter adoleſcentem, & puellam præfatam, affirmo licere Patri ipſius Adoleſcentis ad evitandam familiæ ignominiam, & conſanguineorum diſcordias Matrimonium impedire, obtenta a Judice Eccleſiaſtico ſponſalium diſſolutione; quorum in fidem prop. manu ſubſcribo.

Ego Fr. Aloyſius Maria Garbi Servita Sac. Theol. Magiſter, & ejuſdem publicus Profeſſor in Univerſitate Piſana firmiter ſentio, quod liceat Patri ipſius ſponſi, interpoſita Judicis Eccleſiaſtici ſententia, ſupradictum Matrimonium impedire, & ſponſalia diſſolvere, ad propoſita ſcandala evitanda, & ad nimiam licentiam coercendam, & majus Reipublicæ bonum promovendum.

Ego D. Guido Grandus Monachus Camaldulenſis Sac. Theolog. Mag. ac ſuæ Regiæ Celſitudinis Theologus in Piſano Lycæo publ. Phil. Prof. cenſeo licere Patri ipſius ſponſi ad evitandam familiæ ignominiam, & conſanguineorum diſcordias, Matrimonium impedire, obtenta per Judicem Eccleſiaſticum ſponſalium diſſolutione.

Ego Fr. Bonaventura Baccioni Ord. Min. Convent. Sancti Franciſci Sac. Theolog. Mag. & in Piſano Lycæo Theolog. Profeſſor, ad grave ſcandalum, rixas, inimicitias, aſſertaque damna removenda, ſi tamen vera ſint, & rationabiliter timeri poſſint

Digitized by Google

sint inter Parentes, & consanguineos sponsorum; censeo memorata superius sponsalia dissolvi posse per sententiam Judicis Ecclesiastici, & futuras eorumdem sponsorum nuptias impediri.

Ob notabilem inter sponsos disparitatem, irritanda esse sponsalia, ac teneri Judicem Ecclesiasticum aures præbere Parentibus reclamantibus ob dedecus, aut ignominiam, aut discordias sequuturas, aliaque scandala, deducitur haud obscure ex pluribus Juris nostri Canonici locis, & præcipue ex *Text. in cap. cum in tua 27. de sponsalib., & Matrim. & in Can. non omnis 23. quæst. 2.*, quare huic sententiæ, utpote veritati magis consonæ, & inter Doctores communi, ego quoque adstipulor, libenterque subscribo.

Ego Joannes Paulus Gualtierius Institutionum Juris Can. in Pisan. Universit. Lector.

Parentes, & Consanguineos in proposito casu posse impedire Nuptias Filii, volentis contrahere cum indigna, potissimum propter scandala, simultates, & damna, quæ probabiliter timerentur sequuto Matrimonio, constanter ego infrascriptus affirmo; Vidi enim hanc esse omnium fere Theologorum primi nominis, & de hac re ex professo tractantium communem, & unanimem sententiam, Sacris Canonibus, Sacrosanctæ Tridentinæ Synodo, & optimo Reipublicæ regimini maxime consonam, ut ex resolutione ab eruditissimo Consulente superius exarata constat: Quare existimo suprad. Parentes licite, & juste implorare posse Judicem Ecclesiasticum, *ad cujus officium* (sunt præcisa verba doctissimi *Layman. lib. 5. tract. 10. p. 1. cap. 1. num. 14. vers. Enim vero*) *pertinebit cavere, ne tale Matrimonium ineatur*. Ex quibus etiam verbis, utpote absolute relatis, non ad contrahentes, sed ad ipsum Matrimonii exitum, manifeste deprehenditur, non solum suasionibus, hortationibus, dilationibus superiorem Ecclesiasticum debere impedire, sed aliis omnibus juris, & facti remediis, quæ ad id sufficere possint, *ne tale Matrimonium ineatur*.

Quinimo, quum etiam ad Principem sæcularem pertineat in locis dominio suo subjectis, tumultus, rixasve tollere, ac paci, & tranquillitati suorum subditorum consulere, tutissima sententia est, eum quoque posse his casibus suam interponere auctoritatem, prohibendo, ne tales sponsi Matrimonio jungantur, etiam per exilium, & carcerationem unius ex ipsis sponsis, donec alter resipuerit, vel statum elegerit. Atque ita in simili quodam casu (in quo etiam agebatur de longe minori imparitate, nobilis quippe supponebatur uterque sponsus) pro veritate respondisse vidi duas Hispaniæ celeberrimas Universitates, Complutensium scilicet, ac Salmanticensium, quarum sapientissimas consultationes manuscriptas, & editas, Compluti, alteram usque sub die 16. Augusti 1699., & alteram ex Collegio Salmanticensi die 26. Augusti 1699. Ego ipse accurate, & maxima cum delectatione perlegi, confirmatas subscriptionibus PP. in iisdem Universitatibus Sacram Theologiam, ac Sacros Canones publice profitentium; nec non munitas sigillis, & Notariorum publicis Testimoniis solemniter recognitas.

Nec dicatur in nostra hypothesi inter Titium, & Bertam, quorum neuter asseritur esse nobilis, modicam intercedere, disparitatem, non vero magnam, ac notabilem, ob quam Parentes, & Consanguinei juste possint irasci, & propterea matrimonium impedire. Hanc enim difficultatem prorsus tollunt, evertunt, ac destruunt, quæ inferius leguntur nobilissimorum Equitum, & clarissimorum Virorum Judicia, quorum auctoritati in similibus cassis standum, & omnino acquiescendum, quum præsertim ea sint roborata validissimis rationibus, & egregiis allegationibus præclaro ordine, & singulari doctrina congestis, ab eximio Viro hujusmodi rerum peritissimo. Quod si libeat etiam DD. nostros consule-

Digitized by Google

fulere; videantur quæso *Menoch. de præsumpt. lib. 4. præsump. 189. Fontanell. de pact. Nuptial. clausul. 5. glos. 1. p. 1. n. 97. Merlin de Legit. lib. 4. tit. 1. qu. 6. num. 19. Thomas Sanchez de Matrim. lib. 4. disp. 26. num. 23. Dicastill. disput. 4. num. 304. relatus ab Antonio a Spiritu Sancto in Direct. Confessar. tit. de Matrim. tract. 11. disp. 5. sect. 6. num. 252.* qui omnes in eo conveniunt, certum gradum imparitatis constitui non posse, intra quem duntaxat dicatur quispiam contrahere cum indigna, sed judicandam esse imparitatem, & indignitatem juxta mores Civitatis, & loci consuetudinem, ut præcise *Merlin. loquitur in Summario cit. num. 19.* ita ut is Conjux dicatur indignus, cui alter Matrimonio copulari nequit absque dedocore juxta Civitatis mores, ut expresse docent *Bart. in l. Cum ita la prima ff. de condit., & demonstr. Bald. in l. Si pater C. de sponsal. & l. Nec filium C. de nupt. Alex. cons. 209. numer. 2. lib. 6. Card. Mantic. de conject. lib. 11. tit. 18. num. 4. aliiq. quos sequitur Merlin. loc. citato*: dixi, *absque dedecore*, hoc est absque diminutione illius existimationis, qua quis in Patria fruitur ob illustres, & splendidas in tali loco consanguinitates, & affinitates; *Dedecus* enim in præsenti materia, non importat aliquam turpem notam, vel infamiam, ut colligitur ex pulcherrima doctrina *Card. de Luca de Dot. disc. 142. num. 21.*, ubi rejiciens quorumdam sententiam putantium, eum tantum indignum dici, qui infamia est affectus, subdit pro resolutione, constituendam esse regulam, ut indignus dicatur ille, cui mulier attenta progenie, divitiis, moribus, aliisque circumstantiis absque dedecore copulari non potest; & in iisdem fere terminis *Sanchez loc. cit. juncto tamen n. 22.* Quum ergo in casu exposito Titius dicatur esse Civis Florentinus ex Matre nobili natus, genere, & opibus nulli in Patria secundus, & primariis, atque illustrioribus illius loci familiis sanguine conjunctus; Berta e contrario, ex obscuris, & vilibus orta Parentibus, pauperrimis, & vilem, ac mechanicam Cerdonis artem ad victum sibi quærendum exercentibus; quis dubitet, secundum morem, & consuetudinem illius loci hanc esse magnam, notabilem, immo summam imparitatem? Quæ proinde ad justissimum furorem, graves rixas, & scandala Parentes, ae consangnineos Titii excitare, & compellere possit, nisi attentatum Matrimonium impediatur.

Quare ex his omnibus concludo, asserta sponsalia insciis Parentibus a Titio inita, vel irrita esse, aut saltem a Judice Ecclesiastico dissolvenda, & Matrimonium omnino interpicendum. Ita &c. salvo &c.

Antonius Oliverius Sac. Theol. & I. V. D. nec non in Pisano Lycæo Primar. Instit.

Ego Fr. Anton. Maria Roborede Ord. Serv. B. M. Virginis, in Florent. Universitate Sacræ Scripturæ, & Controversiarum Professor me subscribo opinioni Excellentiss. Doctorum, qui judicant, suprad. sponsalia posse dissolvi. In quorum fidem man. prop.

Ego infrascriptus S. Theol. Doct., & Sacri Textus in Lycæo Florent. Interpr. publ. affirmo, tale Matrimonium impediendum, tum ratione disparitatis, tum rixarum, & scandalorum juxta communem Doctorum Sententiam, quam uti verissimam procul dubio, tam in consulendo, quam in judicando amplectendam firmiter censeo, atque profiteor. In quorum &c.

Ego Paulus Medici.

Ego Petrus Fabbri Societatis Jesu Presbyter, & Sacræ Theol. in Studio Florentino Lector Superiori sapientissimæ resolutioni subscribo.

Sem-

SEmpronius ſingulis conſultis Patribus, votum quoque ipſius Univerſitatis Florentinæ debito poſtulavit obſequio: a cujus Exccell. Patre Decano (ut res maturius ageretur) Commiſſionem directam Excell. PP., admodum R. P. Julio Antonio Roboredo Ord. S. B. M. V., Reverendiſſ. Patri Abbati Don Epiphanio Davanzati Vallumb. Relig., & admodum Rev. Dom. Thomæ Roſſi Metropolitanæ Eccleſiæ Curato obtinuit tenoris &c.

LITTERÆ COMMISSIONIS.

QUum Excell. P. M. Decano preces porrectæ fuerint de exquirendo Univerſitatis noſtræ pro veritate Judicio ſuper caſu expoſito; Idem Excell. P. M. Decanus petentium votis benigne annuens, & aliarum Univerſitatum veſtigiis laudabiliter inhærens, quæ ſic poſtulantibus propriam ſententiam aperire non dedignantur, dedit mihi in mandatis, ut has literas ad DD. veſtras Exc. dirigam, quibus injugam (ſi vobis libeat) ut inter vos communicato conſilio, quid de hac re pro veritate, ſentiatis, quibuſve rationibus moveamini, cœtui noſtro referre dignemini, quo tutius, atque facilius collatis inde omnium Excellen. DD. Confratrum ſuffragiis, in re tanti ponderis, ad Sacroſancti Concilii Trident. lancem appenſa, unanimis noſtra valeat promanare ſententia. Rogo igitur, ut hoc munus ſuſcipiatis libenter, & pro veſtra eximia integritate, & doctrina feliciter impleatis. Valete.

Datum Florentiæ in Cœnobio S. Spiritus Kalendis Julii 1710.

Fr. Domin. Antonius Simoni Auguſt. S. T. D., & Floren. Univ. Cancell.

RELATIO.

NOs infraſcripti habito inter nos maturo colloquio, atque communicatis conſiliis ad formam Commiſſionis nobis factæ ab Excellen. P. M. Aurelio Fioravanti Ord. Eremitarum S. Auguſtini, noſtræ Univerſitatis Decano, & attente conſideratis facti circumſtantiis, atque viſis ſubſcriptionibus ſingulorum Excellent. PP. ejuſdem noſtræ Univerſitatis; referimus judicandum fore, & eſſe, prout infra.

Attenta relatione facta ab Excell. PP. Mag. P. Julio Antonio Roboredo Ord. S. B. M. V., & Sacræ Scripturæ, ac Controverſiarum publico Profeſſore in Univerſ. Florent. Reverendiſſ. P. D. Epiphanio Davanzati Abbate Vallumbroſano: & Admodum Reverendo D. Thoma Roſſi Metropolitanæ Florentinæ Eccleſiæ Curato.

Alma Florentina Theologorum Univerſitas cenſuit, Sponſalia in propoſito caſu eſſe diſſolvenda, & Matrimonium inter prædictos Sponſos omnino impediendum. Florentiæ ex Ædibus S. Laurentii die 14. Julii 1710.

Fr. Julius M. Roboredo O. S. B. M. V. man. prop. D. Epiphanius Davanzati Vallumbr. manu prop. Thomas Roſſi Metrop. Flor. Eccl. Curatus, & Sac. T. D. man. prop.

Digitized by Google

FLORENT. THEOLOG. UNIVERSIT. SENTENTIA

Die trigesima Julii 1710.

ALma Florentina Theologorum Universitas in sufficienti numero Collegialiter congregata in consueto loco, in Ecclesia scilicet Sancti Salvatoris, sita in Palatio Archiepiscopali Civitatis Florentiæ, supradictam relationem, scrutinio de more facto per suffragia secreta in forma legitima; solemniter approbavit, & confirmavit in omnibus suis partibus, & pro approbata, & confirmata haberi voluit. In quorum &c.

Ego Aurelius Fioravanti S. T. M. & Decanus. Loc. ✠ Sig.
Paulus Medici S. T. D. Procancell. de mandato.

Universis, & singulis has præsentes literas inspecturis, in vim publicæ, qua fungor, Auctoritatis; Ego Notarius infrascriptus fidem facio, ac attestor, qualiter anno 1710. die vero 4. Augusti coram me constituti Adm. Rev. & Exc. Fr. Aurelius Fioravanti Aug. S. T. M. & Alm. Flor. Theol. Univ. Decanus, nec non Adm. Rev. & Exc. D. Paulus Medici S. T. D., ac ejusdem Univers. Procancell. oretenus, ut moris est, ab eodem Exc. P. Decano pro hac vice (ut ipsi asseruerunt) deputatus: caussa quilibet eorum, & occasione propriam recognoscendi subscriptionem in calce suprad. Theol. resol. existentem, qua per me eorum cuilibet lecta, simul cum omnibus supra contentis, & ad ipsam spectantibus, de verbo ad verbum, ad plenam, & claram intelligentiam: Uterque medio juramento, tacto pectore more Sacerdotali, ad mei delationem in forma suscepto, asseruit subscriptionem sub nomine cujuslibet eorum cantantem, propia manu exarasse, & consueto præd. univ. sigillo munivisse. In quorum &c.

Ego Joannes Petrus q. D. Franc. de Menchi., de Republica Civis, & Not. publ. Flor. præd. recoga. suscepi rogatus; ideo subscripsi.

PARERE DEGL' ILLUSTRISSIMI SIG. CAVALIERI SOPRA LA DISPARITA' DI TIZIO, E BERTA.

SI domanda agl' Illustrissimi Signori Cavalieri intendenti le materie d' onore, se vi sia disuguaglianza notabile fra un figlio di un Cittadino Fiorentino, nato di Madre nobile Fiorentina, che vive con tutto decoro, e di pure entrate, imparentato colle primarie Famiglie, e Case del suo Paese, e con tutti Parenti civilissimi, e che similmente vivano d' entrate; e la Figlia d' uno, che per vivere esercita attualmente il Mestiero del Ciabbattino, e di sonar le Campane nell' istesso Paese, nata di Madre Contadina, e che ha due fratelli Calzolai, e che tutti i suoi Parenti, o esercitano mestieri vili per campare, o sono lavoratori di Beni altrui; & essendovi disuguaglianza, si domanda, se ella sia tale, che seguendo matrimonio fra di loro apporti appresso le persone di onore danno, e pregiudizio alla Famiglia, e al Parentado del Giovane.

Io Senator Giulio Mozzi sono di parere (mentre sia vero, quanto in questa vien rappresentato) che il matrimonio da farsi apporta gran pregiudizio al Parentando del Giova-

Digitized by Google

Giovane, per la gran disparità, che è fra esso, e la suddetta femina; mano propria.

Io Gio: Battista Carcherelli concorro coll' istesso parere; & in fede mano prop.
Io March. Filippo Maria Strozza sono dell' istesso parere; mano prop.
Io Ferdinando Capponi sono dell' istesso parere; mano prop.
Io Alberto Cepperelli sono dell' istesso parere, secondo l' accennato fatto; in fede mano prop.
Io Flamminio Bardi di Vernio sono del soprascritto parere; & in fede mano propria.
Io Priore Vincenzo Usimbardi sono del soprascritto parere; & in fede mano propria.
Io Filippo degli Alessandri sono del medesimo sentimento; & in fede mano propria.
In Paolo Ferdinando Mniati sono dell' istesso parere; & in fede mano propr.
Io Giuseppe Maria del Benino sono dell' istesso parere, stante il suddetto fatto; mano propria.

CONSULTO SOPRA L'ISTESSA DISPARITA'.

PRima di rispondere al suddetto dubio. Parmi che si debbano considerare, come vengono considerati *dal Conte Valmarana trat. del Farpace in via Cavaller., e Cristian. pag.* 111. i proprj luoghi de' Soggetti, che compongono le Città, le Terre, e i Castelli, con assegnare prima l' ordine de' Contadini, poi de' Plebei, o vogliamo dire delle Persone, che esercitano Arti meccaniche, o offizi abietti, e dopo de' Mercanti di piccoli negozi, dipoi de' Cittadini, e per giungere all' estremo, dopo de' Gentiluomini di privata qualità rispetto agli altri Superiori; colla quale considerazione scorgendosi chiaramente, che il Figliuola del Cittadino, rispetto alla Figliuola del Plebeo è differente di condizione, di differenza di più gradi (la quale differenza *dal detto Valmarana nel luogo citato* è chiamata differenza remota), non può negarsi, che tra essi non sia una notabile disuguaglianza, e che seguendo Matrimonio fra di loro, rechi il Figliuolo del Cittadino grave pregiudizio, & ingiuria, non solo a suoi Genitori, come anco a tutto il suo parentado; così raccogliendo, *e dall' istesso Valmarana luog. cit. pag.* 111., *e pag.* 113., dove discorre (se bene in altri termini) quando non dee il Maggiore ridursi presenzialmente insieme col minore *e da Gio: Pietro de' Crescenzi Romani trattato della Nobiltà lib. 2. cap. 28. num. 6.* il quale dice, che chi piglia per Moglie una Donna non sua pari, oscura la sua Casa. Del qual sentimento apparisce, che sia ancora *il Ponte Secco Cavalier Cristiana cap. 41. e 42.* dove avverte l' Uomo Nobile, che stia lontano dal maritarsi con persone ignobili, dalle quali sogliono nascere Figliuoli d' animo basso, e vile, e per lo più somiglianti alle Madri negli spiriti; inferendo con questo avvertimento la grave ingiuria, che in tal caso apporta l' Uomo nobile (*come soggiunge il medesimo Crescenzi tratt. della Nobiltà lib. 1. cap. 16. num. 2. v. 3.*) alla sua descendenza, oltre al gran pregiudizio, che ne risulta a proprj Genitori, e agli altri suoi Congiunti di sangue.

Nè pare, che osti il dire, che gli allegati Scrittori parlando dell'Uomo Nobile, intendono del Gentiluomo, o vero Cavaliere; perchè se si considera, come si dee la condizione del Cittadino Fiorentino, il quale sia visto di Collegio, e che per le sue onorate azioni, & altre degne prerogative de' suoi Antenati accompagnate, oltre a Parentadi tutti riguardevoli, da molti Beni di fortuna, non si sa vedere, come gli si possa negare giustamente il carattere di Nobile, massime allora, che per le suddette sue qualità vien riguardato da tutti con distinta stima, e rispetto, come di simili persone vien affermato da

Pro-

Digitized by Google

Professori delle Materie d' onore; e specialmente *dal Muzio lib. 3. cap. 9. dall' Attendolo lib. 1. cap. 6., e 13., dal Conte Romei della Nobiltà, dal Tasso, Dial. del Forno, e da altri molti appresso il Birago lib. 2. cons. 41., e 42.*

Il che maggiormente procede nel caso nostro, nel quale la Madre del Cittadino è di famiglia Patrizia Fiorentina; onde soggiungo coll' istesso *Crescenzi detto tratt. lib. 1. cap. 15. num. 6.*, che quanto più illustri sono le Donne, che entrano in una Casa; tanto più illustri sono il Marito, e la descendenza di d. Casa; e ciò perchè è tale lo splendore, che apportano alle Famiglie le Donne illustri, e grandi, che le nobilitano, e rendono di maggior pregio; con questo divario, che se il Marito sia Nobile, lo fanno Illustrissimo; se ignobile, gli danno riguardo degno, & una tal Nobiltà sopra a quelli della sua condizione. Il che stimo potere bastare per far conoscere la notabile disparità, che è fra il suddetto Figliuolo di Cittadino nato di Madre Nobile, e la la Figliuola d' un Plebeo nata di Madre Contadina. Rimettendomi &c.

Io P. Domenico Magni mano propria.

FINIS.

IN-

INDICES DUOS

INDEX I.

Rerum & Auctorum, qui in Muſcettulæ Diſſertatione, & Append. citantur: Numerus prior paginam, poſterior cum præfixo n. numerum deſignat.

A

ABbas (Stephanus) 80. n. 309.
Abelly (Ludov.) 4. n. 7.
Acacius 65. n. 237.
Æquitas ſervanda 78. n. 297.
Albertus M. 3. n. 6.
Albicius (Cardinalis) 140. n. 339.
Alexander (Nat.) 5. nu. 7. & 125. n. 313.
Alexandri II. reſponſum 55. n. 186.
S. Ambroſius 10. nu. 23. & 26. nu. 57. & 54. n. 181.
Amicus 4. n. 7. & 51. n. 159. & 61. n. 214.
Andreas (Joa.) 56. n. 188.
S. Antoninus 74. n. 287.
Averſa 25. n. 50. & 51. n. 152. & 63. n. 225. & 79. n. 304.
S. Auguſtinus 2. n. 1. & 17. n. 33. & 64. nu. 234. & 54. n. 181.
Azorius. 24. n. 48. & 79. n. 302.

B

BAbba 145. n. 346.
S. Baſilius 10. n. 22.
Barboſa 36. nu. 81. & 43. nu. 119. & 58. nu. 196. & 144. n. 343.
Baſſæus 24. n. 48.
Bellarminus 17. n. 33. & 3. n. 6. & 54. n. 180.
Del Bene (Thomas) 16. n. 31. & 37. n. 90. & 54. n. 153. & 59. n. 205. & 63. n. 226.
Bertonius 146. n. 347. & 149. n. 350.
Bonacina 37. n. 88. & 40. n. 109. & 42. n. 115. & 50. n. 151. & 80. n. 306.
S. Bonaventura 23. n. 47. & 46. n. 131. & 130. n. 324.
Boſſius 24. n. 48. & 31. nu. 68. & 37. n. 91. & 51. n. 156. & 59. n. 203. & 60. n. 211. & 66. n. 242.
Buſembaus 133. n. 329.
Butrius 141. n. 340.

C

CAbaſſutius 5. n. 7.
Cacheranus 63. n. 227.
Cæleſtinus (S. Petrus) 3. n. 6.
Cajetanus (Card.) 143. n. 342. & 148. n. 349.
Calvinus 15. n. 30.
Cathechiſmus Rom. 36. n. 56.
Canones. Cap. *Aliter* 6. nu. 13. Cap. *Ubi non eſt de Deſponſ. Impub.* 131. n. 325. Cap. *Videtur* 7. nu. 13. Cap. *Cum cauſſa* 13. num. 29. Cap. *Cum in tua* 34. num. 78. Cap. *Mulier* 64. num. 233. Cap. *Inter opera* 124. n. 312. & ſeq. Cap. *Sufficiat* 20. nu. 37. Cap. *Gemma* 21. n. 39. Cap. *De Neptis* 20. n. 38. Can. *Non eſt culpandus*. 127. n. 318. Canones aliquot expenduntur. 141. n. 340. & 18. n. 36. & ſeq. Canones veteres prohibent nuptias cum quacumque polluta 68. n. 252. & ſeq. Ubi Canones a Theologia diſſentiant, utrum iis deferendum. 136. n. 334. & 137. n. 337. & 144. n. 344. Quid ſi diſſentiant a jure civili. 140. num. 339. quid Canones deſponſalib. 48. n. 137. Conciliatur Canonicum jus & Civile. 16. n. 31. & ſeq. Canonici juris finis 139. n. 338.
Concilia Aquiſgranenſe 68. n. 252. Aurelianenſe 9. nu. 16. Colonienſe 10. nu. 18. Mediolanenſe 10. n. 20. Toletanum 9. n. 17. Auximana Synodus 38. nu. 98. Catanenſis 38. nu. 101. Faventina 38. n. 102. Moguntina 22. n. 19. Monopolitana 38. n. 97. Montis Regalis 38. n. 103. Mazarienſis 39. n. 104. Panormitana 38. n. 100. Veronenſis 38. n. 96. Synodi multæ congeſtæ 38. num. 95. & ſeq.
Caſtropalaus. 51. n. 163. & 143. n. 342.
Chryſoſtomus illuſtratur 124. n. 312. & fuſe 128. n. 319.
Ciarlinus 74. nu. 286. & 77. n. 295.
Coninck. 51. n. 160.
Corduba 73. n. 276.
Cottonus 51. n. 155.
Covarruvias 35. n. 52. & refellitur 17. n. 33.
De Cruce (Joa.) 80. n. 308.

D

DEnuntiationes omittere culpa eſt permittentis 42. nu. 113. Diſpenſare eis licite non poteſt Ordinarius 35. num. 81. ad 94. & fuſe 42. num. 113.
Dicaſtillo 23. n. 48. & 27. n. 58. & 37. n. 87. & 61.

Digitized by Google

& 61. nu. 214. & 62. nu. 220. & 63. n. 230. & 65. nu. 236. & 71. n. 261. & seq. & 79. n. 303. & 143. n. 342.
Duardus. 24. n. 48.
Duhamel 135. n. 332.

E

Episcopi, & Pastorum omnium obligatio impediendi Nuptias impares qualis. Dubio 3. per totum: unde emergat 39. n. 106. dispensans denunciationibus peccat lethaliter 35. n. 81. ad 94.
Engel (Ludov.) 5. n. 7. & 36. n. 224.
Estius (Gulielmus) 4. n. 7.

F

Fagnanus 13. n. 29. & 16. n. 31. & 10. n. 27. & 25. nu. 51. & 142. n. 340.
Fagundez 4. n. 7. & 66. n. 246.
A S. Fausto (Barthol.) 78. nu. 301.
Felinus 53. n. 174. & 56. n. 188.
Filiifam. vide *Parentes*, & *Nuptiæ*, & *Sponsalia*.
Famam qui lædit suam, peccat: magis qui lædit alienam 27. n. 58.
Florentius 5. n. 7.
Fontanella 14. n. 30.
Fragosus 14. n. 30. & 16. n. 31.
Forenses nostri indicati 35. n. 80. & 41. n. 112. & 39. n. 107. & 37. n. 91. n. 83. n. 85. n. 87. n. 79. n. 78. n. 66. n. 68. n. 121. sponsalia esse nulla a num. 169. ad 178.

G

Gennettus 15. num. 7. & 39. n. 105.
Gesualdus 24. n. 48.
Gibalinus 51. n. 162. & 64. n. 231. & 66. n. 243. & 71. n. 263. & 139. n. 338. & 140. n. 339.
Giribaldus 24. n. 48.
Gobat 51. n. 158. & 61. n. 217. & 62. n. 221. & 73. n. 279. & seq. 78. n. 295.
Gonzalez 11. num. 29. & 77. n. 294.
De Graffis 73. n. 277.
De Grassis 63. n. 227.
Gratianus 149. n. 350. & 69. & seq. n. 252. & seq.
Gregorius Magnus 69. n. 253.
Grotius 57. n. 294.
Guttierez 14. n. 30. & 40. n. 108. & 58. n. 195. & 36. n. 83. & 52. n. 171. & 74. n. 283.

H

Henriquez 37. n. 93.
Hermen. 5. n. 7.
Hieronymus illustr. 124. n. 312. fuse 127. n. 318.

I

Indignæ & Impares Nuptiæ v. *Nuptiæ*.
Impedimenta quot 130. n. 323. ad 329. quale inter Corruptam & seductorem a n. 289. ad 292. Impedimentum, & coactio quid, & quando locum habeant 148. n. 350. Impedientes conjugium non excommunicantur, sed cogentes ad hæc vel illa conjugia 43. n. 124.
Illicita res promissa non obligat 61. n. 214. seq.
Jure suo cuique licet uti. Hæc reg. explic. 28. n. 63. ad 67.
Indulgentiæ alteri non præjudicant. 115. n. 314.
Jordanus (Pax) 36. nu. 84. & 63. n. 223. & 74. n. 284.
De Joriis 6. n. 10.
A S. Joseph 4. n. 7. & 24. n. 48.
Isambertus 5. n. 7.
Ivo Carnotensis 7. n. 13. & 69. n. 254.
Jueninus 5. n. 7.
Jurisjurandi vis 48. n. 140. jusjurandum assumit naturam contractus 49. num. 141. In re peccaminosa non obligat 54. nu. 179. etsi peccaminosa sit venialiter 56. n. 187. jurejurando vergenti in pejus non standum 57. n. 191. de juratis sponsalibus. Vide Sponsalia.

K

Konig. 61. n. 214. & 63. n. 222. & 78. n. 296. & 139. n. 338.

L

Laurea (de) 25. n. 48. & 35. n. 81. & 37. n. 94. & 41. n. 111. & 51. n. 154.
Layman. 50. n. 147. & 63. n. 226.
Leander. 5. n. 7.
Ledesma 16. n. 31. & 17. n. 34. & 3. n. 6. & 138. n. 337.
LEGES aliquot 64. nu. 236. l. *Quod si Ephesi* ff. de eo quod certo loco 78. n. 297. & l. *Legem* C. de Nat. lib. 67. n. 250. & Auth. *Ut eum* de App. 13. n. 30.
Libertas in Nuptiis qualis, 63. & seq. n. 230. & seq. Non minuitur ab Episcopo impediente impares nuptias a n. 114. ad 124. neque per obligationem filiorum erga parentes 16. n. 32. & seq. Libertatis prætextus dispungitur 28. n. 63. & seq. & fuse 42. n. 114. & seq
Lopez 73. n. 275.
De Lugo 27. n. 58.
De Luca. 25. n. 53. & 28. n. 66. & 30. n. 68. & 52. nu. 170. & 60. n. 211. & 78. n. 297. & 148. n. 348.

Digitized by Google

M

Malum majus vitandum hæc reg. explic. 146. n. 347. & 159.
Mancinus 65. n. 238.
Mariana 59. n. 204.
De Marinis 53. n. 177. & 58. n. 197. & 14. n. 30.
Marchant. 5. n. 7. & 72. n. 270.
Martinon. 5. n. 7. & 42. n. 118.
Maſtrius 5. n. 7. & 52. n. 165.
Megal. 4. n. 7. & 28. n. 66.
Menochius 35. n. 78. & 37. n. 85. & 43. n. 121. & 59. n. 201.
Mezger. 24. n. 48.
Merheſius 4. n. 7.
Meretricem ducere non cuique licet 124. n. 312. probatur 125. n. 315. infamia in his nuptiis quando ſublata 126. nu. 316. morti damnatus meretricem ſi duceret, liberabatur 126. n. 317. ducens quando lucretur indulgentias. Ibid.
Molina refellitur 55. n. 182. & 60. n. 209. & 65. n. 239.
Molpheſius 40. num. 107. & 66. n. 245.

N

NAldus 4. n. 7. & 72. n. 268.
Navarrus 25. n. 51. & 52. n. 169. & 72. n. 265.
Neuſſen (P. Brunus) 24. n. 48.
Nicolaus I. Pont. Max. 7. n. 13.
Nuptiæ. Qui matrimonium miniſtrat illicite contrahentibus peccat 40. n. 110. & ſeq. Nuptias invito Patre Eccleſia ſemper deteſtata eſt Dub. I. per tot. Nationes omnes deteſtantur 8. n. 15. ad 20. & jus civile 11. n. 28. ad 30. ergo impediendæ 44. n. 126. obedire Patri neceſſitas eſt non tantum decentiæ 10. n. 27. & ſeq. & 36. n. 54. ad 57. cauſſæ quæ ab eo excuſant 21. n. 41. impar Matrimonium ratum poteſt diſſolvi a Pont. 58. n. 201. Conjugii initii ingratiis Parentum Diabolus auctor eſt 54. num. 180. Myſteria in Nuptiis p. 1. n. 1. cum polluta nubere antiquitus nemo poterat. 51. nu. 152. & ſeq. Familia habet jus impediendi nuptias quæ in ſuum dedecus vergunt 44. nu. 126. Epiſcopi obligatio circa Nuptias qualis. Dub. 3. per tot. Unde emergat 39. n. 106 Indignæ nuptiæ vel impares quæ 29. nu. 68. Prælati his debent obſiſtere 34. n. 77. peccant ſi diſpenſant denunciationibus 35. n. 81. Municipales regnorum leges puniunt filios fam. 11. n. 28. ad 30. indignæ Nuptiæ retardandæ ne, an in totum impediendæ 144. & ſeq. n. 345. & ſeq. & 148. nu. 350. Parochus qui adſiſtit peccat 41. n. 111. & ſeq. ut inſani coercendi ſunt filii fam. etiam per conjectionem in vincula 41. n. 112. & n. 106. peccat filius indigne nubens 26. n. 54. ad 58. & 40. n. 108. & 40. nu. 110. Sacrilegium ex indignis nuptiis a n. 69 ad 71. Diſparitas quæ 129. n. 321. Mala quæ ex imparibus nuptiis oriuntur 58. n. 193. Sanctitas nuptiar. procuranda 40. n. 110. Scandalum vitandum n. 78. & ſeq. officium Prælati n. 95. ad 107. Orientalis Eccleſia quid de Nuptiis 7. n. 14. Peccato obſtandum in nuptiis n. 334. ad 342. SS. Patres quid de filiis fam. a n. 2. ad 25.

O

OSeæ factum explic. 129. nu. 318.
Opatovius (Adam) 24. nu. 48. & 37. n. 89. & 51. nu. 157. & 59. n. 206. & 64. nu. 232. & 65. n. 238.

P

PArentum nomine qui veniant 44. n. 126. eorum damnum n. 298. ad 306.
Paleottus 13. n. 29. & 18. n. 36. & 38. n. 99.
Panormitanus 34. n. 78. & 139. n. 338.
Paris 63. n. 227.
Pax Jordanus vid. Jordanus.
Praxis Eccleſiæ n. 240. ad 250. & 65. 239.
Promiſſio turpis non obligat 50. n. 147.
Pallavicinus 134. n. 331. & 144. n. 344. & ſeq.
Pignatellus 35. n. 79. & 53. nu. 176. & n. 104. & n. 199.
Platellius 5. n. 7.
Perez 52. n. 166.
Philiartus 72. n. 266.
Philippi (Maurlitius) 4. n. 7.
Phirrhingus 25. n. 51.
Piton. 144. n. 345. & 146. n. 347.
Politus 5. n. 8.
Poteſtas (Felix) 133. n. 329.

R

RAynaldus 126. n. 316.
Rebell. 5. n. 8. & 37. n. 92. & 40. n. 108. & 50. n. 149.
Reginaldus 24. n. 48. & 51. nu. 161. & 59. n. 207. & 72. n. 272.
Riccius 35. n. 80. & 63. n. 227.
Rota 25. n. 53. & 75. nu. 288. & 49. num. 143. & 58. nu. 200. & 63. n. 228. & 144. n. 345. & 167. ad 390.
Rub. (Paulus) 58. n. 194.
Rupertus Abbas 10. n. 24.

S

SAnchez 16. n. 31. & 59. num. 202. & 132. n. 327. & refellitur 55. n. 182. & 65. n. 239. & 73. n. 282.

Digitized by Google

Sayrus 24. n. 48. & 66. nu. 244. & 73. n. 278.
Salmanticenſes 23. n. 46. & 35. n. 81. & 52. n. 164.
Salmero 135. n. 333.
Salon. 59. n. 208.
Serius 23. n. 48. & 72. n. 269.
Segura 36. n. 82.
Silvius 4. n. 7.
A S. Spiritu (Antonius) 43. nu. 120. & 72. 267.
Sponſalia definiuntur 45. n. 130. ſunt contractus 46. num. 132. obligentne in foro externo ibid. Pejerat qui ſe devincit ſponſalib. indignis 50. n. 147. exheredationis timor cauſſa eſt cur irritentur ſponſalia filiifam. a n. 211. ad 213. exempla de hoc genere 61. n. 216. Sponſalia filior. fam. eſſe nulla multi autumant a nu. 169. ad 178. Epiſcopi eſt irritare ſponſalia a n. 219 ad 239. quid ſi ſint jurata . 49. n. 143. & 147. n. 348. Jus Civile quid de ſponſalib. 47. n. 136. & ſeq. debet probari quod ſponſus ſit juratus 48. n. 140. nuda ſponſalia quam obligationem pariant a n. 127. ad 129. quam vero jurata 147. n. 348. non poſſunt eſſe illicita ſimul & valida . 55. n. 182. ſponſalia irritandi cauſſæ 62, num. 218. quid Juriſconſulti noſtri 52. n. 169. & ſeq.
Stuprum, quid, & ejus pœna 68. n. 251. Actor in ſtupro quis ſit 76. n. 293. & 78. n. 299. ſtuprator ad quid compellatur 69. n. 255. quid ſi voto caſtitatis adſtrictus. 75. num. 290. quando non teneatur nubere a n. 256. ad 310. Sponſalia etiam ſtupro confirmata inter impares diſſolvuntur n. 119. & ſeq. & a n. 293. ad 297. quid antiquitus a nu. 252. ad 254. filiifam. facilè ſeducuntur 76. n. 293. & ſeq. ſeductor fictus perinde habetur ac verus 70. nu. 256. qui caſus excipiantur . 75. n. 289. ad 292. in ſponſaliorum binorum concurſu & ſtupro cum altera, quænam præponderent. 76. num. 291. damnum reparari poteſt ſine nuptiis. 78. n. 297. Stupratæ nubere antiquitus nemo poterat 68. n. 252. Impedimentum quale inter corruptam, & ſeductorem a n. 289. ad 292. Gregorius Magnus quid de ſtupratis 69. n. 253. dotare aut nubere mos eſt ex Moſe profectus 69. n. 255.
Suarez 148. n. 349.

T

TAmburrinus 72. n. 271.
Tertullianus 10. n. 21.
Texeda 50. n. 150.
Tellez 53. n. 172. & 66. n. 247.
Tridentinum expl. 135. n. 333. & 141. n. 349. deteſtatur has nuptias 55. a n. 240. ad 250. & 6. a n. 11. ad 14. & 41. n. 111. quid libertatis nomine intellexit. 43. n. 123. & ſeq. quid de diſſenſu parentum decreverit 130. n. 322. & 151.
Tiraquellus 58. n. 198.
S. Thomas 16. n. 32. & 17. n. 35. & 27. n. 58. & 64. n. 236. & 148. n. 349. & 137. n. 336. & 142. n. 342. & 46. n. 134. & 56. nu. 187. & 130. n. 324. & 133. n. 330.
Toletus 23. n. 48. & 72. n. 264.
Tranchedinus 35. n. 80.
Trullenc. 72. n. 273.
Turpis obligatio non tenet 50. n. 147.

V

VAllenſis 140. n. 339.
De Valentia 73. n. 274.
Valſechius Virginius 179. & ſeq.
De Velaſco 80. n. 309.
Vidal. 5. n. 7.
A S. Vincentio 4. n. 7. & 42. nu. 116. & 50. n. 148.
Votum num teneatur adimplere filiusfam. 64. n. 233. voto caſtitatis adſtrictus quid ſi nubat 137. n. 335. & 141. n. 340.
Vvindech. 137. n. 337.

Z

ZAulis (de) 34. n. 78. & ſeq. & 53. n. 175. & 58. n. 199.
Zypæus 4. n. 7. & 53. n. 173. & 66. n. 241. & 74. n. 285.

Digitized by Google

INDEX II.

In Adnotationes, Mantiſſam, Diatribas: Numerus abſolute poſitus paginam; no. Adnotationes, n. numerum deſignat, ill. eſt illuſtratio.

A

Actiones Arbitrariæ quales. 79. no. 54.
Albaſpinæus 83.
Aldobrandinus notatur. 30. no. 23.
Alexii Comneni conſtitutio explic. 102. n. 2.
Ἀντίφωνα in Nuptiis. v. Nuptiæ.
Apulejus explic. 31. no. 23. & 92. no. XII.
Athenæi locus. ill. 113. no. III.

B

Balſamon ill. 7. no. 4.
Baſilius ill. 108. no. VI. & 84. n. 5.
BENEDICTUS XIV. Pontifex Max. laudatur 100. n. 32.
Boethio lux affertur 112. n. 4. & 86. no. VIII. & 114. n. 7.
Brouwerus refellitur 109. no. VI.

C

Canones illuſtrati. Cap. *Tua nos* late expon. 18. no. 17. Cap. *Sufficiat* expon. 20. n. 18. Can. *Lex divina* ill. 106. no. IV. Can. 54. Illiber. expl. 82. n. 3. & 101. per totam Diatr. I. Can. *Si quis* 107. no. VI. Can. Trullanus uſui reſtitutus apud Græcos 102. n. 4. Can. Baſilii de Nuptiis filiorum fam. 7. no. 4. & 84. nu. 1.
Canonicum jus non pari paſſu procedit circa nuptias & ſponſalia 85. n. 7. & ſeq.
Captivitas quid medio ævo notet. 9. no. 4.
CAROLI Regis laus 97. n. 24.
Cauſidicor. allegationes notantur. 137. no. 61.
Cenſuris parce utendum. 48. no. 34.
Cherithuth ideſt repudii libellus *diffarreationi* reſpondet. 118. & no. VI.
Chryſoſtomus ill. 20. no. 17. & 93. no. XV.
Cicero ill. 111. n. 3. 119. no. VI.
Cinciæ legi ſeu *imperfectæ* aſſimilatur lex Tridentina de nuptiis fil. fam. 12. & ſeq. & 16. no. 14. & 90. no. XI.
Clandeſtinar. nuptiar. duo genera 66. no. 45. & 15. no. 12.
Coemptio reſpondet Hebræor. *nummulo* 116. n. 11. & ſeq.
Confarreationis etymon a *Farre* diſpungitur, novum traditur. 117. & ſeq. n. 12. & no. V.
An quod Italis *l' Appuntamento per le nozze*. 117. no. V. Sponſalior. eſt ſynonimum. 119. n. 13. & 111. n. 2. reſpondet Libello Hebræor. 116. n. 12. & no. V. quo ſenſu ſolis Pontificibus conveniret. 112. n. 4. an idem ac coemptio 111. num. 3.
Conjugium v. Nuptiæ. Cur. ita dictum 29. no. 23.
Convenire verbum connubiale quid 120. n. 15. & ibi no. VIII.
Cujacius antinomiam Paulli ut ſolvat. 11. no. 5. expl. Cujacius 11. & ſeq. no. 5. notatur. 84. no. V.

D

Denuntiationum finis ex Trid. quis 36. no. 28.
Digna uxor quæ. 29. no. 23.
Diffarreatio quid 117. n. 12. & ibi no. V.
Dionyſius notatur. 111. no. V.
Dos ſolvenda viduæ vitiatæ 68. no. 46. Dotis nomen ex Heb. arceſſitur. 121. n. 16. Dos pretii loco erat. 115. n. 8.

E

Epiſcopi quæ cautio in Nuptiis filior. fam. 39. no. 30. & 7. no. 4
Ennius ill. 83. no. III.
Euripides ill. 19. no. 17. & 30. no. 23. & 87. no. VIII.
Εὐτέλης quid 31. no. 23.
Exempla irritationis Nuptiar. filior. fam. 8. no. 4. & 12. no. 6.

F

Fagnanus notatur. 16. no. 14. expl. 96. notatur 91. no. XII.
Far. Conjectio de eo nomine. 117. no. V.
Φαρραίκια quæ? 117. no. V.
Feſtus notatur. 118. no. VI.
Feuretus notatur. 12. no. 5.
Flammei uſus ab Heb. petitus 122. n. 17.
Filiifam. v. Nuptiæ, & Parentes.

Digitized by Google

G

Gellius ill. 19. no. 17. & 82. n. 2. & 88. n. 10. & 114. n. 7.
Gothofredus ill. 11. no. 5. refellitur 88. no. X.
Gratianus illuſtr. ac ſimul notatur. 91. no. XII.

H

Heineccius notatur paſſim Diatr. II. & præcipue n. 3. 4. & 7.
Heſychius ill. 93. no. XV.
Honeſtatis impedimentum quale, & cujus antiquitatis. 96. n. 23. & 209. num. 30. & præcipue 107. no. VI.
Homerus ill. 19. no. 17.
Horatius ill. 64. no. 44.

I

Sanuario (Joſeph Aurelius de) laudatur 78. no. 53.
Iguvina Tabulla ill. 110. no. I. & 117. no. V.
Illiberis duplex 105. no. II.
Impedimentum Honeſtatis vid. Honeſtas. Patrii diſſenſus: vid. Parentes. Raptus: vid. Raptus. Seductionis: vid. Seductio.
Imperfecta quo ſenſu lex Tridentina de Nuptiis 12. no. 5. & 16. no. 14. & 90. n. 25. & no. XI.
Imperfecta & *minus perfecta* legis diſcrimen 12. no. 5.
Impares aut indignæ nuptiæ. Vid. Nuptiæ.
Joſeph Heb. notatur 70. no. 48.
Juvenalis ill. 120. n. 14.
Juveninus notatur 11. no. 5.
Jusjurandum de re illicita non adigit 81. no. I.
Κύριος quid 8. no. 4.

L

Laertius ill. 30. no 23.
Lex. lex Julia duplex 67. no. 46. Caroli V. lex 14. no. 7. Liutprandi lex 13. no. 7. Muſcoviticæ leges *ibid.* Saxonicæ *ibid.* Conſtantini Imp. lex 104. no. I.
Leges quæ illuſtrantur. Baſilicor. lex 103. n. 5. & 104. no. I. lex Tridentina 12. no. 5. & 16. no. 14. & 91. n. 12 L. 2. de Rit. Nupt. expl. 11. no. 5. Leges aliquam multæ ili. 29. no. 23. & porro aliæ 120. & ſeq. n. 15. & no. VIII. l. 2. ff. de Lib. Exh. 97. no. XVIII. l. 12. ff. de R. Nup. & l. 14. eod. 107. no. VI. l. C. Th. de Nup. 76. no. 51. l. 3. ff. de Bon. poſſ. con. tabb. 13. no. 7. l. unica C. de raptu Virg. 15. no. 12. l. 4. C. de Act. empt. 88. no. X. Lex 7. de Sponſalibus, quæ ſponſalia irritat facta inconſulto patre, a Tridentino non abrogata. 89. n. 13. L. 16. C. de Don. ant. Nupt. 104. n. 8. Alexii Novel. 108. no. VI. & 109. n. 16. v. Pragmaticæ. Libertas falſa quæ 16. no. 15. & 18. no. 17.
Libellus. Heb. cui reſpondeat ritui apud Rom. 116. & ſeq. quando eo utebantur Romani 119.
Ludicræ artes quæ. 29. no. 23.

M

Maamar Heb. quid, 118. Matrimonium v. Nuptiæ.
Matrimonium quid proprie: 11. no. 5.
De Marca notatur. 105. no. II.
Mariana notatur *ibid.*
Matrisfam. & *Matronæ* differentia 114. n. 7.
Mendoza refellitur. 82. n. 3.
Meretricum ſecta 116. no. 57.
Modeſtinus ill. 108. no. VI.
Moraliſtarum laus 132. no. 58. & 137. no. 61.
Muſcettulæ laus. 98. n. 27.

N

Nonius Heineccio non intellectus 83. no. III. & 112. n. 5.
Nuptiæ. *Injuſtæ* & *illegitimæ* aut *illicitæ* quæ 11. no. 5. & 121. n. 17. Alamannor. leges de Nuptiis 13. no. 7. Ἀπροφθαι in Nuptiis cur data 87. no. IX. pretii loco erant 115. n. 8. Cinciæ legi in quo aſſimiletur lex Tridentina de Nuptiis 12. no. 5. & 16. no. 14. & 90. n. 15. Clandeſtinar. nuptiar. duo genera 66. no. 45. & 15. no. 12. Cur ſolus conſenſus ſufficere dicatur ad nuptias 32. no. 24. Conſummatio Matrimonii duplex ibidem. Finis Nuptiar. 2. no. 2. Græci quid de Nuptiis imparibus. 29. no. 23. Impares nuptiæ quæ 13. no. 7. & 29. no. 23. Ratæ tantum poſſunt diſſociari a Pont. Max. 58. no. 40. Patri nubendum ſuadent Ethnici 30. no. 23. Impares damnatæ Heb. Græcis & aliis Gentib. 29. no. 23. Pulchritudo non debet impellere ad nuptias impares. 29. no. 23. In jus civile offenditur per Nuptias impares. Nuptiæ parabiles & æquales ſemper laudatæ viris meliorib. 30. no. 23. & ſeq. Hebræi cur Chananæis non poterant nubere 29. no. 23. Ritus Nuptiales ab ipſis derivati 116. n. 11. tres uxorem acquirendi modi indidem fluxerunt *ibid.* & 81. & ſeq. Inſtrumentum nuptiale 116. Myſteria in nuptiis no. I. Benedictio Sacerdotis perficit Nuptias 32. & ſeq. no. 24. qui ſint ejus Sacramenti Miniſtri. *Ibid.* Cupidinis Nuptiæ cum Pſyche cur nullæ. 31. no. 23. Sponſalia pro Nuptiis in lege Moſaica. 103. n. 4. *Uſus* in Nuptiis quid 115. n. 9. Nuptiæ maturandæ. 20. no. 17. & 92. no. XII. malis artib. non conciliandæ. 29. no. 23. 76. no. 51. Nuptiar. tria genera apud Heb. Rom. v. Sponſalia. De Nuptiis filiorfam. v. Parentes.

Oscu-

Digitized by Google

O

Osculi in ſponſalibus origo 104. n. 8. apud Latinos ſublatum: apud Græcos hodieq. in uſu 106. n. 13. & no. III. & IV. in Hiſpania antiquitus uſurpatum. 105. ſeq. n. 11. & ſeq. Conſtantini lex de Oſculo 104. n. 8.

P

Paragium unde 38. no. 23. Parentes quid in Can. Illiber. 105. n. 12.
Parentum nomine qui veniant 22. no. 21. Videndum, diſſentiant jure an injuria 96. n. 23. quid de iis jure veteri 83. no. III. & ſeq. & no. 4. & 115. & ſeq. Impedimentum dirimens olim erat patrius diſſenſus 12. no. 6. quid hodie apud Gallos 15. no. 12. Interdicto exhibitorio & prohibitorio male conveniuntur parentes 91. no. XVIII. Ab Hebræis eſt poteſtas patria in nuptiis. 122. n. 18. qualis hodie apud Græcos 109. n. 16. & 12. no. 6. Qualis olim apud Rom. 83. no. III. Qualis apud nos. 91. no. XII. 94. n. 20. & 149. & ſeq. Qualis apud Proteſtantes 91. no. XII. Pœnæ filior. fam. nubentium. 13. no. 7. & 31. no. 23. & 89. nu. 13. 14. no. 4. Corruptores fil. fam. & ſervor. puniuntur 76. no. 51. Ambroſii locus de Nuptiis filior. fam. 19. no. 17. Fornicatio erat antiquitus, ſi puellæ nuberent invito patre: ſi ſervi, invito domino. 7. no. 4. & 89. ſeq. Votum filiifam. Vide *Votum*. Lex civilis irritat nuptias filior. fam. at non diſſociat. 11. no. 5. Paulli antinomia *ibid.* In Nuptiis voluntas filii in manu Patris 18. n. 36. Pater poterat abducere filiam nuptam ab invito genero 13. no. 7. Quando non parendum Patri. 18. & ſeq. no. 17. & no. 4. Spurii erant filii ſuſcepti per nuptias invito Patre initas 11. no. 5. Tutorib. eadem poteſtas ac patria 19. no. 17. v. Nuptiæ de ſponſalib. filior. fam. v. Sponſalia.
Patres & patria poteſtas: vid. Parentes.
Paulli antinomia 11. no. 5. 82. num. 1.
Peræ & Sportæ differentia 113. no. III.
Perjurii quando adſit periculum. 39. no. 30. & 99.
Philo notatur 121. no. VIII. & no. 1.
Platus ill. 83. no. III. & 86. no. VII. 111. no. I.
Pœnitentiariæ praxis 77. no. 52.
Pollus ill. 113. no. II.
Πολυανδρίας multa habebatur ratio 11. no. 5.
Pragmatica *Per excellentem* exponitur 93. n. 19. & ſeq.
Procacia quid 88. no. x.
Pruta apud Heb. quid 116. n. 11. & ſeq.

Q

QUIRINI Cardinalis laus 120. num. 14.

R

Reiffenſtuel notatur 55. no. 39. Raptus quid 15. no. 12. quale impediment. *ibid.*
Reſonare in ritib. ſponſal. quid 112. num. 5.
Ritus vox Etruſcæ originis. 111. no. I.
Rite quid 111. & ſeq. no. I.

S

Acciperio quid 113. n. 5.
Seductionis impedimentum quale 15. no. 12.
Servius explanatur 86. no. VIII. & 112. n. 4. & 114. n. 7. & refutatur 117. no. V.
Sophocles ill. 87. no. VIII.
Scripturæ plures illuſtrantur. p. 1. no. 1. & 29. no. 23. & 116. n. 11. 12. & 69. no. 48. 91. no. XII. & 102. n. 4.
SPINELLI Cardinalis laus 98. n. 27.
Sponſalia interdum cum nuptiis confunduntur. 82. n. 3. In ſponſalibus filior. jus Romanum quale 82. n. 2.
Sponſalia apud Græcos qualia 85. n. 8. Sponſalia cum venditione emptione comparantur 85. no. VII. & 87. n. 10. & no. X. Quid de iis Tridentinum 89. n. 13. Actio ex ſponſu qualis quando detur. 85. no. VII. & 95. n. 21. & 92. no. XIII. Sponſalia ſunt contractus. 93. no. XIV. & XV. Trium generum ritus ſponſalitii. 114. n. 7. & 90. n. 11.
Sponſores non debent prorſus compelli 48. no. 34. Adulterii accuſari ſponſa poterat ab ſponſo Heb. 77. no. 52. Sponſalia in Can. Il. lib. cujuſmodi 101. n. 1. & apud Græcos 103. n. 7. & 8. Unde nomen Sponſaliorum de futuro 107. no. V. Sponſaliorum affinitas qualis 107. n. 15. Sponſio & Confarreatio ſynonyma. 119. n. 13. Συναλλαγμα Sponſalia proprie notat. 93. no. XV. De Arrhis ſponſalitiis. 47. no. 33. Sponſalia inito patre invito quale impedimentum ad novas nuptias. 99. n. 30. Sponſalia pro Nuptiis in Moſaica lege. 102. n. 4. In Sponſalibus filior. quale jus Romanis 82. n. 2. Sponſalia ut irritent Parentes ſufficit eorum juſta & nuda voluntas. 95. n. 21. quam in juſtam eſſe incumbit ei probare, cujus intereſt. 95. num. 22. Stylus tribunalium laicorum. qualis 96. & ſeq. n. 24. & no. VXIII. Curiæ Eccleſiaſticæ qualis 98. n. 26.
Spondeo unde 119. n. 13. & no. VII.
Stipulationes turpes non obligant. 81. no. I.
Stuprum cum qua virgine non committitur. 68. no. 46. Solonis lex de Stupro *ibid.* Sponſalia de

Digitized by Google

de futuro quando per copulam transibant in de præsenti 77. no. 52. dotare aut nubere mos est ex Mose profectus 69. no. 48.

T

TAcitus ill. 111. no. I. & 112. num. 3.
Talmudicorum mores illustrati . 116. n. 11.
Terentius ill. 18. no. 17.
Tertulliani locus expl. 105. nu. 10. & 111. no. I.
Theophilus ill. 87. no. IX. & 107. no. VI.
Thomasius refellitur 85. no. VII. & 110. num. 1.
Tribonianus defensus 110. n. 1.
Tridentinum exponitur. 16. no. 14. & 13. no. 5. & 90. n. 14. & n. 13. & 109. no. VI.
Cur induxerit banna 36. & no. 28.

V

VEnditio in Nuptiis 85. no. VII. & VIII. & 87. no. X.
Vinnius expl. 12. n. 5. & 88. no. X.
Vossius refellitur 111. no. I.
Votum sponsalib. æquiparatur non Nuptiis. 91. & seq. no. XII. Votum filior.fam. Num. XXX. exponitur 92. seq. no. XII.
Usus in Nuptiis quid. 115. n. 9.
Ulpiano lux adfertur. 118. no. V. & 12. no. 5. & 115. no. VI. & 112. nu. 4. & 114. no. IV. & 92. no. XII. & 115. n. 7.

FINIS.

Digitized by Google

DISCEPTATIO
JURIDICO-CANONICA
DE SPONSALIBUS
ACADEMICORUM
ABSQUE CONSENSU PARENTUM CONTRACTIS

CUM

APPENDICE
DE IN INTEGRUM RESTITUTIONE MINORUM

CONTRA SPONSALIA

Et Selectis ex Jure universo positionibus, in Alma Catholica & Electorali Universitate Ingolstadiensi pro obtinenda summi gradus Juridici licentia Publicæ concertationi exposita

A PAULO JOS. LUD. AUGUSTIN,

RATISBONENSI JUR. UTR. CAND.

PRÆSIDE

P. FRANCISCO XAV. ZECH.

Digitized by Google

In omnibus rebus & dictis, quod præstantius sit, seligi, reprehendendum non est. Atque tunc quidem, ut aliquid sequare, aut declinandum censeas, non eorum, qui aliquid aut faciunt, aut dicunt, habenda ratio: sed eorum, quæ fiunt ac dicuntur, cognoscendus status est. *LEO Imper. Novell. XVIII.*

Digitized by Google

ARTICULUS I.

Determinatur ſtatus Quæſtionis.

Sponſalia de futuro. 1. *Obligant ſub gravi.* 2.
Solvuntur ex nova emergente cauſſa. 3.
Aut ſuperveniente impedimento matrimonii. 4.
An ob diſſenſum parentum reſcindantur. 5. *Sponſalia Academicorum.* 6.
Cæteroquin honeſta? 7.

1. NOMINE Sponſalium intelligitur *mutua promiſſio futuri matrimonii*: Ab hac promiſſione per Leges Civiles licet impune recedere, invita etiam altera parte, adhibita renuntiationis formula; *conditione tua non utor* (*a*). Plenæ libertatis ad matrimonium requiſitæ rationem habent Legislatores Civiles: unde etiam pœnam ſponſalibus adjicere prohibent (*b*).

2. Legibus civilibus hac in re adverſatur æquitas naturalis & Canonica. Cum enim Sponſalia ineantur ſtipulatione mutua, obligant plane ex juſtitia, & quidem ſub culpa gravi, cum negotium ſit magni momenti, gravisque injuria inferatur parti repudiatæ. In omnibus contractibus libertas requiritur: nihilominus etiam ex principiis Legum Civilium contractus initio ſunt voluntatis, poſtea neceſſitatis (*c*). Neque lædi cenſetur libertas per vincula, quæ quis ſponte ſibi injecit. Supponendum igitur, quod Sponſalia rite contracta obligent ſub gravi.

3. Eadem tamen certitudine ſupponendum eſt, a Sponſalibus rite contractis & validis utrumvis contrahentem poſſe, etiam invita altera parte, reſilire, quando poſt contractum ſponſalitium nova cauſſa ſupervenit, quæ redderet matrimonium notabiliter moleſtius, aut a principio exiſtens impediviſſet ſponſalia contrahi. Nam promiſſio non obligat ultra promittentis intentionem: intentio autem promittentium matrimonium, non cenſetur tendere in obligationem indiſſolubilem pro caſu novæ emergentis cauſſæ, quæ induceret novam matrimonii ineundi difficultatem. Quidquid ſtatuatur de aliis promiſſionibus, certe in ſponſalibus hæc cauſſa diſſolvendæ obligationis ſufficere debet, cum ſponſalia ad mutuum amorem ordinentur, & ad indiſſolubilem vitæ ſocietatem, cui plurimum obſtant ejusmodi ſupervenientes circumſtantiæ, moleſtius matrimonium reddentes.

4. Pari ratione Sponſalia diſſolventur, ſi ex nullo contrahentis crimine, neque ex propria voluntate ſuperveniat impedimentum vel dirimens, vel impediens matrimonium. Non opus eſt, ut nos immittamus in quæſtionem, ad quid teneatur ille, qui poſt ſponſalia contracta ex crimine proprio occaſionem dedit impedimento e. g. Affinitatis; aut qui impedimentum impediens libere poſuit e. g. Votum ſimplex. His ſepoſitis, ſi impedimentum vel dirimens, vel impediens præter voluntatem contrahentium ſuperveniat, ſimulque vel poteſtas, vel obligatio removendi impedimentum penes ſponſos non ſit; legitima ſubeſt ratio diſſolvendi ſponſalia, quæ ſtante impedimento implere non licet. Expediti enim Juris eſt, eos qui ad ali-

(*a*) L. 1. C. de Sponſalib. L. 2. in fin. C. de repud. L. 2. §. 2. ff. de Divort.

(*b*) *Si cautio pœnam ſtipulationis continens fuerit interpoſita, ex utraque parte nullas vires habebit, cum in contrahendis nuptiis libera poteſtas eſſe debeat.* L. 5. C. de Sponſal.

(*c*) *Sicut initio libera poteſtas unicuique eſt habendi, vel non habendi contractus: ita renuntiare ſemel conſtituta obligationi, adverſario non conſentiente, nemo poteſt.* L. 9. C. de O. & A. L. 17. §. 3. ff. commodat.

Digitized by Google

aliquid faciendum se obligant, ultra teneri, quam ut ad id præstandum faciant, quantum est in se (*a*): quod autem in potestate alicujus non est, quamvis alias possibile sit, pro impossibili habetur (*b*). Unde id solummodo inquirendum hoc loco est, an *dissensus parentum*, præter exspectationem contrahentium post sponsalia superveniens, præstet sufficientem causam dissolvendi sponsalia.

5. Parentes intelligimus eos, quorum potestati, vel curæ subjiciuntur liberi. Cum Leges ob patriam potestatem consensum requirere videantur (*c*): dubitant nonnulli, an matris consensus sit necessarius. Verum Lex Naturalis & Divina, quæ liberos obligat ad exquirendum parentum consensum in contrahendo matrimonio, non fundat se in potestate patria: reverentia parentibus debita; periculum ne malitiosis hominibus via aperiatur liberos sub prætextu matrimonii curæ & vigilantiæ parentum subducendi; discrimen, in quod conjiciatur patrimonium multa industria pro conservatione familiæ congestum; solicitudo denique, ne in re gravissima, & nunquam retractanda, inconsultius quid liberi admittant contra decus parentum & agnatorum; hæ similesque rationes æque pugnant pro matre, quæ curam filiorum gerit. Quidquid igitur de patris consensu statuetur, sumendum etiam est de consensu matris, saltem quando hæc mortuo patre liberos curæ suæ commissos habet. Viventis autem patris voluntas haud dubie præferenda est voluntati matris, cum ille tanquam dominus & caput familiæ sua præcipue cura commodis filiorum invigilet. Parentum e vivis decedentium Jus & potestas ad avos superstites devolvitur.

6. Porro quamvis ad omnes liberos generaliter extendi tractatio hæc possit; lubet tamen ad solos *Academicos*, qui scilicet in publica Academia ad studia incumbunt, eandem restringere, tum quod conditio spei plena, eorum libertatem pluribus insidiis exponat; tum quod plerique extra conspectum paternum proniores sint ad periculosas familiaritates contrahendas; tum quod ejusmodi amatoria commercia plurimum impediant studiorum assiduitatem, magno Reipublicæ & familiarum detrimento.

7. Non tamen quæstionem movere dignamur de Sponsalibus inter eas personas, ex quarum dispare conditione, aliarumque circumstantiarum qualitate aliud præsumi non possit, quam contigisse omnia jocigratia, vel fradulenta deceptione. Quæstio igitur versatur *de sponsalibus Academici cum puella honesta, serio & plena libertate, nulloque intercedente dolo, inconsulto tamen & inscio parente contractis*. Non nimitimur opinionibus Doctorum, sed Juris æquitati & rationi.

ARTI-

(*a*) *Ea duntaxat, quæ naturâ sui possibilia sunt, deducuntur in obligationem*. L. 83. §. 5. ff. de Verb. oblig.

(*b*) *Nec ad rem pertinet, quod jus mutari potest, & id quod nunc impossibile est, postea possibile fieri: non enim secundum futuri temporis jus, secundum præsentis, æstimari debet stipulatio*. L. 137. §. 6. ibid.

(*c*) L. 2. ff. de Rit. Nuptiar.

Digitized by Google

ARTICULUS II.

De valore Sponſalium, inſciis parentibus ab Academico contractorum.

Valet matrimonium ſine parentum conſenſu. 8. *Doctrina Gallorum,* 9. *Et Germanorum.* 10. *Obligatio ad matrimonium, inconſultis parentibus ineundum reddit Sponſalia invalida.* 11.

Conditio de requirendo conſenſu reddit conditionate valida. 12.

Si abſtrahatur a conſenſu parentum, ſponſalia ſunt illicita: 13.

Valida tamen: 14. *Nonnunquam etiam licita.* 15.

Conſilium patris exquirendum eſt: conſenſus non omnino neceſſarius eſt. 16.

Oritur exinde publica honeſtas. 17.

8. QUamvis Sancta Dei Eccleſia ex juſtiſſimis cauſſis matrimonia, ſine conſenſu parentum contracta, ſemper deteſtata ſit, atque prohibuerit: nihilominus Synodus Tridentina (*a*) anathemate damnat eos, qui falſo affirmant, matrimonia a filiisfamilias ſine conſenſu parentum contracta, irrita eſſe, & parentes ea rata, vel irrita facere poſſe.

9. Ordinationes Regum Galliæ valorem ejuſmodi matrimoniis denegant, ſcilicet quoad ſucceſſionem filiorum in bonis parentum, alioſque effectus civiles conjugii. Epiſcopi & Theologi Galliæ firma hæc eſſe matrimonia in ratione Sacramenti, conſtanter aſſerunt, & judicant: Parlamenta tamen regni, eorumque Advocati omnimodam nullitatem contractus matrimonialis ex defectu conſenſus paterni acriter defendunt. Ne iſti adverſari omnino videantur Concilio Tridentino, quod quidem quoad omnes diſciplinæ articulos receptum in Gallia non putant, matrimonia abſque conſenſu parentum aut tutorum inita, ad impedimentum *Raptus* revocant, dum non quidem violentia corporali de loco in locum perſona rapitur; ſed tamen blanditiis, ſolicitationibus, voluptatis illecebris, & ſub prætextu amoris, filius aut filia furtive ſubtrahitur obedientiæ parentum, & ad matrimonium inducitur iis artibus, quæ honeſtatem conjugii dedecent. Hunc raptum æque noxium, eodemque modo puniendum exiſtimant, quo caſtigatur *Raptus* violentus. Cenſent igitur, Decretum Concilii Tridentini vim ſuam obtinere in genere, cum non ſimpliciter & neceſſario requiratur conſenſus parentum ad matrimonium, ſi forte hi ſint abſentes, impediti &c. item ſi filii jam ſint Majores, licet adhuc in poteſtate patris. Huic tamen regulæ Concilii ſubjungunt exceptiouem in caſu, quo occurrit *Raptus* vel violentiæ, vel ſubornationis. Ex his facile eruitur, quid Galli ſentiant de ſponſalibus, & promiſſione futuri matrimoni: majori utique jure talem promiſſionem declarant irritam, quando abſque conſenſu parentum eſt inita.

10. Huic doctrinæ Gallorum nequaquam innituntur Catholici in Germania, qui juxta Synodi Tridentinæ Decretum, matrimonia etiam inſciis parentibus contracta, pro ratis & validis habent. Circa ſponſalia autem, quæ *de futuro* dicimus, non omnes æque conſentiunt. Pro majore claritate tres caſus diſtinguimus, & breviter, quid ſentiamus, exponimus.

11. A. Juri naturali & Divino adverſantur filii, qui tam grave negotium, quale eſt obligatio ad matrimonium, & multo magis ipſum matrimonium, inconſultis parentibus aggrediuntur, quod Eccleſia ſemper deteſtata eſt & prohibuit. Igitur ſi eo animo ſponſalia ignaris parentibus contrahant, ut etiam iis incon-

(*a*) Seſſ. 24. Decret. de Reform. matr. C. 1.

Digitized by Google

inconsultis matrimonium ineant, hæc sponsalia absque ulla sententia judicis erunt nulla & invalida. Non enim potest dari efficax obligatio ad illicitum: consequenter non possunt dari sponsalia obligantia ad matrimonium, illicito modo contrahendum, quale esset matrimonium inconsultis parentibus ineundum. Toties nempe sponsalia sunt invalida, quoties præseferunt obligationem ad matrimonium illicitum. Habemus quidem singularem Constitutionem Juris Canonici (*a*) qua conditiones & modi turpes propter matrimonii favorem pro non adjectis habentur, subsistente firmiter ipso matrimonio: unde forsitan arguere quis posset, dicta sponsalia obligare quidem ad matrimonium, non tamen ad illicitum modum contrahendi illud. Verum cum hæc constitutio solummodo loquatur de matrimonio; sponsalium autem tantus favor non sit, qualem in jure habet matrimonium actu contractum: ideo sponsalia eodem cum aliis contractibus jure censentur, quos conditio turpis adjecta vitiat. (*b*) Dein quidquid sit de conditionibus extrinsecis stipulationi adjectis, & ante contractum matrimonii implendis; certe modus illicitus contrahendi matrimonium, seu sponsalitiam promissionem illicite implendi, stipulationi adjectus, afficit ipsum matrimonium promissum, & reddit illicitum, consequenter promissionem invalidam.

12. B. Si sponsalibus absque præscitu parentum initis expressa conditio de consensu parentum requirendo adjiciatur, valebunt sponsalia, non absolute, sed conditionate: deficiente autem conditione, negato scilicet consensu parentum, cessat omnis obligatio, quod constat ex communibus principiis actuum conditionatorum. Non enim aliam esse sponsalium aut matrimonii naturam, tradit Urbanus III. (*c*) his verbis: *super eo, quod postulasti, utrum ille, qui in quandam mulierem consensit; si pater ejus suum præstaret assensum, sit ad consumandum matrimonium compellendus: respondemus, quod cum consensus liber dici non possit, qui in alieno arbitrio reservatur, ac conditionem ipsam canonica non improbent instituta; nisi voluntas patris postmodum intercedat, nequaquam cogendus est ad matrimonium contrahendum.*

13. C. Quodsi sponsalia insciis parentibus ineantur, nulla consensus petendi, vel non petendi mentione adjecta, valida erunt sponsalia. Peccare ejusmodi filios non dubitamus, cum rectæ rationi & reverentiæ parentibus debitæ adversentur, subeundo gravissimam obligationem, ex qua rei domesticæ & totius familiæ ac posteritatis emolumentum sæpissime dependet, iis inconsultis, quorum consiliis regi, quorum cura sustentari debent. Exemplo primorum conjugum docuit Deus, qua ratione copulari connubia velit. Adamus, dum adhuc erat Creatoris sui voluntati plenissime subjectus, non ipse sibi Evam, pulchritudine ejus illectus, in conjugem assumpsit; sed Deus *adduxit eam ad Adam* (*d*), & vitæ sociam dedit: tunc demum vinculo matrimoniali tam sancte connexo, exclamare licuit: *relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ* (*e*). Hoc exemplo informati Viri pii veteris Legis non aliter matrimonia inierunt, quam eorum nutu & opera, quos ex præcepto naturali & Divino secundum Deum sibi præcipuo honore colendos existimabant. Isaaco ad mandatum Abrahami uxor quæritur; nec datur Rebecca, nisi Bathuelis patris permissu (*f*). Ismaeli de patris potestate dimisso, conjugem deligit mater (*g*). Jacobo præcipit pater, ex qua gente uxorem sumeret (*h*). Esau quoque, ne offensum haberet patrem, uxorem adsciscit ex ejus progenie, Ismaelis filiam (*i*). Sichem, filius Hemor, amore Dinæ

(*a*) C. fin. de Condit. appos.
(*b*) L. 27. ff. de Verb. oblig. L. 27. §. 4. ff. de pact. §. 24. Inst. de inutil. stipul.
(*c*) C. 5. de condit. appos. (*d*) Genes. II. 22.
(*e*) Genes. XXIV. 3. 51.
(*f*) Ibid. XXVIII. 2.
(*g*) Ibid. 24. (*h*) Ibid. XXI. 21.
(*i*) Ibid. 9.

Digitized by Google

Dinæ æstuans, petiit, ut pater acciperet sibi puellam hanc conjugem (*a*): eumdemque ritum & veteris & novæ Legis tabulæ observatum, ac observandum passim tradunt (*b*). Quibus conformes sunt Sacri Canones (*c*), & Leges Civiles (*d*), ex generali præsumptione, *quod plerumque pietas paterni nominis consilium pro liberis capit* (*e*).

14. Utut hæc sint veriſſima, valida tamen esse ejusmodi Sponsalia censemus. Pietatem graviter lædit filius, qui in tali negotio voluntatem parentum non exquirit: imprudenter agit, qui eorum providum consilium non sequitur: quod autem ejusmodi filius ex imprudenti contractu nullam omnino obligationem subeat, persuadere nobis non possumus. *Multa fieri prohibentur, quæ si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem* (*f*). Unde Leges varia suppeditant auxilia Senatus-Consultorum, Restitutionis in integrum &c. quibus subvenitur contra obligationes incaute initas: vana autem & inania essent hæc subsidia, si ejusmodi actus nullam haberent firmitatem, nec obligationem inducerent. Sive igitur ipsam promissionem Sponsalitiam respiciamus, quæ in mutuo consensu de futuris nuptiis consistit; sive personam filiifamilias consideremus; plane non apparet ratio statuendi, quod ad ipsam sponsalitii contractus substantiam & valorem consensus parentum requiratur. Licet filius subesse debeat patri: libertas tamen major circa matrimonium, quam circa alios contractus, concedenda ipsi est, cum jugum, quod per matrimonium imponitur, portare ipse per totam vitam suam debeat, grave haud dubie, si absque maturo consilio; longe graviſſimum autem, si mere ex alieno arbitrio illud subeat. Plurimum discriminis est inter mancipium & filium, qui etsi potestatem patris revereatur, omne tamen futuræ suæ vitæ arbitrium illi permittere non tenetur, cum tanta potestas nimium præjudicaret filiorum tranquillitati.

15. Unde multi excusant liberos a consilio parentum exquirendo circa Sponsalia, si prævideant, parentes siniſtris intentionibus ductos, absque ulla rationabili causa se opposituros honestiſſimis filiorum votis, durumque ingrati matrimonii jugum imposituros, ut propriæ ambitioni, vel avaritiæ satisfaciant. Ut in ejusmodi circumstantiis filius ineptis parentum votis se immolet, seque pro omni vita sua infelicem reddat, nullo sane jure obligatur: nequaquam tamen filius hac in re deberet sibi ipsi facile credere, sed prudentum virorum consilium exquirere. Hæ enim circumstantiæ rariſſime evenient in Academicis, de quibus præsens agit Dissertatio. Nam studiorum tempore a connubialibus negotiis, quæ mentem nimium dissipant, animum avertere, & iis potius intellectus & voluntatis dotibus ornare se debent, quæ ad munia Reipublicæ utilia gerenda aptos reddant. Palladis artes præcocem Venerem restinguant necesse est: de stabili fortuna sua soliciti prius sint, antequam de augenda familia cogitent.

16. Fixum igitur maneat, Consilium quidem patris regulariter exquirendum; Consensum tamen ejusdem non omnino esse necessarium: & hinc Academicum insciis parentibus sponsalia contrahentem, graviter lædere pietatem & reverentiam parentibus debitam: per se tamen Sponsalibus hisce obligari, nisi justa ab

(*a*) Ibid. XXIV. 4.
(*b*) Exod. XXI. XXII. XXXIV. 16. Deutero. VII. 3. Judic. XIV. XXI. Tob. VI. & VII. Jerem. 6. 1. Corinth. VII. 38.
(*c*) C. 1. XXX. q. 3. C. 22. §. fin. C. 13. XXXII. q. 2.
(*d*) §. 1. Inſtit. de Nupt. L. 2. & 18. ff. de Rit. nupt. L. 7. & 12. C. de Nupt. L. un. §. 1. verſ. oportet. C. de Rapt. Virg. L. 5. cum auth. ſeq. C. de Repud.
(*e*) L 22. §. 4. ff. ad Leg. Jul. de adulter.
(*f*) C. 16. de Regulis.

Digitized by Google

lis refiliendi causa, vel eæ circumstantiæ superveniant, in quibus matrimonium licite contrahi non possit. Nam sponsalia contrahentes, eo præsumuntur animo esse, ut nolint se obligare pro casu, quo matrimonium esset illicitum, vel emergat rationabilis recedendi causa.

17. Obiter hoc loco notandum, ex ejusmodi Sponsalibus, quorum valorem asserimus, oriri impedimentum publicæ honestatis, neque posse talem sponsum, consentientibus parentibus, animum adjicere ad desponsandam sororem prioris suæ sponsæ, nisi legitima auctoritate dispensetur.

ARTICULUS III.

An Dissensus parentum sit justa causa resiliendi a Sponsalibus clandestine contractis.

Parentes non debent filiis invitis obtrudere Sponsam certam: 18.
Possunt retrahere a persona certa; 19.
Non quidem ex imprudenti motivo: 20.
Aut ob solam injuriam non petiti consensus: 21.
Sed ex rationabili causa. 22.
Talia Sponsalia possunt rescindi. 23.

18. Duos casus distinguere oportet, unum quidem, quo parentes ad conjugium certæ personæ filium impellunt; alterum, quo eundem a connubio certæ personæ retrahunt. Pro priori casu nec jus, nec ratio præcipit filiis cæcam obedientiam parentibus præstandam, si alienum ab obtrusa sponsa animum gerant. Largius quam verba sonant, oportet extendere licentiam dissentiendi a patre, quam Juris-Consultus filiæ concedit (*a*); *si indignum moribus, vel turpem Sponsum ei pater eligat*. Plures æque graves possunt esse causæ, ex quibus liberis liceat modeste repugnare paternæ voluntati, in contrahendis nuptiis cum certa persona. Etiamsi quis per sponsalia etiam jurata sibi imposuisset obligationem ducendi certam personam, nihilominus Judex Ecclesiasticus monere potius, quam cogere deberet ejusmodi Sponsum, *cum libera debeant esse matrimonia*, & *coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere* (*b*). Multo minus potest filius paternis jussis compelli ad certam personam, cui propria voluntate fidem prius non dederat, in matrimonium ducendam: matrimonia enim amore & animorum conjunctione coalescere debent, quam invitis filiis nunquam inserent paternæ machinationes. Si tamen filius ex sola reverentia patris Sponsam offerentis, non ob minas, non ob metum, qui in virum constantem cadat, uxorem ducat, sponte eam duxisse censetur, cum talis reverentia non obsit libertati (*c*). Hac ratione optime conciliantur sententiæ Juris Consultorum, juxta quas *non cogitur filius-familias uxorem ducere* (*d*): & *velle non creditur, qui obsequitur imperio patris* (*e*). Nihilominus tamen, *si patre cogente*, (id est, suadente & consulente) *duxit uxorem, quam non duceret, si sui arbitrii esset, contraxit tamen matrimonium, quod inter invitos non contrahitur*: *maluisse hoc videtur* (*f*).

19. In

(*a*) L. 22. de sponsal.
(*b*) L. 26. §. 2. ff. de pignorib.
(*c*) L. 4. ff. de R. J.
(*d*) C. 17. de sponsal.
(*e*) L. 22. ff. de rit. nupt.
(*f*) L. 22. ff. de rit. nupt.

Digitized by Google

19. In ſecundo caſu, quo parentes filium a certa quadam perſona retrahunt, præſumptio plerumque pugnat pro parentibus, cum libertas matrimonii non reſtringatur nimium, ſi illud cum certa quadam perſona non permittatur. Leges Eccleſiaſticæ, quæ prohibent & irritant matrimonium inter varias perſonas, non cenſentur injuriam inferre libertati nubentium: ſimiliter etiam parentes relinquunt ſufficientem libertatem, quamvis cum certa quadam perſona impedire matrimonium conentur. Libera debent eſſe matrimonia, id eſt, non pœnis adſtringenda, non metu extorquenda, non minis tyrannicis aut verberibus urgenda: iniqua vero vis inferri non cenſetur, ſi parentes nolint, ut femina ſibi minime probata filium, moribus noſtris plerumque per nuptias emancipandum, blanditiis ſuis poteſtati patriæ ſubtrahat, ac ſibi invitis nepotem & heredem procreet. Concilium Tridentinum, quando libertatem matrimonii violari prohibet (*a*), loquitur de dominis temporalibus & magiſtratibus, qui mentis oculos terrenis affectibus, atque cupiditatibus ita excæcatos habent, *ut viros & mulieres, ſub eorum jurisdictione degentes, maxime divites, vel ſpem magnæ hereditatis habentes, minis & pœnis adigant cum iis matrimonium invitos contrahere, quos ipſi domini vel magiſtratus illis præſcripſerint.* Hæc nequaquam extendenda ſunt ad parentes, quibus omnia jura poteſtatem tribuunt ſe opponendi liberorum nuptiis, quas juſta de cauſa improbaverint.

20. Advertimus tamen, hanc ipſam parentum repugnantiam triplici modo poſſe contingere. Primo quidem parentes aliqui, ſolis privatis ſuis emolumentis intenti, ex imprudenti reſpectu obſiſtunt honeſtiſſimis Sponſalibus, quæ ſana ratio improbare non poteſt, eo ſolum intuitu, ut ſaltem indirecte compellant liberos obſecundare ſuis affectibus, vel ne ſumptus facere cogantur, abjecta omni cura de futura filiorum ſorte. Ejuſmodi parentes ſentire merentur vim Conſtitutionis Cæſareæ (*b*), his verbis conceptæ: *Qui liberos, quos habent in poteſtate, injuria prohibuerint ducere uxores vel nubere; vel qui dotem dare non volunt: ex Conſtitutione Divorum Severi & Antonini, per Proconſules, Præſideſque Provinciarum coguntur in matrimonium collocare & dotare: prohibere autem videtur, & qui conditionem non quærit.* Diſſenſus ex ejuſmodi motivo poſitus non poteſt infringere firmitatem Sponſalium. Si igitur parentes non habeant, quod matrimonio filii prudenter opponant ægre ferre non poſſunt, ſi iſte, audito quidem eorum conſilio, non tamen exſpectato conſenſu, fidem per ſponſalia datam exſolveret: imo tenebitur ſtare promiſſis, cum irrationabilis parentum voluntas plane non ponat rationabile impedimentum.

21. Alia ratione nonnunquam ſe ſponſalibus opponunt parentes, ſola injuria hac ducti, quod conſilium ſuum non fuerit requiſitum. Habent in tali caſu parentes, cur offenſi animi ſenſum prodant erga liberos; illaque ſubſidia, quæ ad facilitanda matrimonii onera viventes forte contuliſſent, ſubtrahant: ac immaturis conſiliis extra orbitam errantes ope ſua deſtituant. Variæ Conſtitutiones talem caſtigationem paſſim permittunt & probant (*c*) Ut autem ipſe contra-

(*a*) Seſſ. 24. c. 9. de reform. matr.

(*b*) L. 19. ff. de Rit. Nuptiar.

(*c*) CAROLUS V. & ſtatus Imperii in Comitiis Auguſtan. Anno 1548. Erklarung bonber Religion. Art. 21. §. 9. & 10. declarant, matrimonia non eſſe dirimenda ob diſſenſum parentum: permittunt tamen Magiſtratibus, ut conſtituant, qua ratione parentes inobedientiam liberorum caſtigare poſſint, vel exheredatione, vel ſaltem diminutione dotis. In novo Codice Bavariæ p. 1. c. 6. §. 4. ſtatuitur, liberos, etiam æquales nuptias inſciis parentibus contrahentes, nec dotem, nec alia matrimonii ſubſidia poſſe exigere a viventibus parentibus, modo liberi fuerint adhuc ſub poteſtate patria vel parentum curatela: filius etiam non compleverit annum 30um, filia autem annum 25tum ætatis: nec interea parentes honeſtas ipſorum nuptias impediverint.

Digitized by Google

tractus ſponſalitius ex *ſola* neglectæ pietatis culpa infirmetur, ratio convincens non apparet.

22. Demum contingere poteſt, & plerumque in Academico Sponſalibus Clandeſtinis irretito contingit, ut parentes juſtiſſimam habeant cauſſam ſe opponendi. Sicuti enim ad ejuſmodi Sponſalia cæcus fere impetus juveniles animos abripit: ita etiam per ea futuræ ſorti filiorum, quam parentes ſolicite curant, remora injicitur, parentumque curæ ac ſumptus ſperato effectu fruſtrantur. Conditionis aut ætatis nimia inæqualitas, defectus competentis dotis, propenſiones ſponſæ ad ſuperfluas vanitates, educatio curis œconomicis parum aſſueta, & quod his temporibus ſummopere conſiderari oportet, neglectus Patronorum favor, aliæque ſimiles rationes graviſſimam negandi conſenſus cauſſam parentibus præbent, manumque & curam ſuam ſubtrahendi filio, debitæ reverentiæ oblito, ſimulque in ſuam propriam perniciem præcipit. Quanta autem mala inde poſtulent, quotidiana docet experientia. Naſci neceſſe eſt diſſidia, non tantum inter conſoceros, ſed etiam inter ipſos ſponſos, quorum unus in alterum paternæ indignationis culpam referet; reumque aget neglectæ melioris conditionis. Quæ autem major Sponſalia reſcindendi cauſſa eſſe poterit, quam juſtus timor diſſidiorum & ſcandalorum? Leviores aliæ cauſſæ rumpendi vinculum Sponſalitium paſſim admittuntur, quando ſcilicet notabiliter difficilius fore matrimonium præſentitur: cur non æque ſufficiat rationabilis parentum diſſenſus, ex quo tot mala, diſſidia, triſteſque eventus ominari licet? Paſſim Leges & Provinciarum ſtatuta graves pœnas ejuſmodi filiis, abſque præſcitu parentum matrimonia contrahentibus irrogant: niſi has leges injuſtitiæ damnemus, fateri oportet, matrimonia invitis rationabiliter parentibus illicite, nec ſine gravi culpa poſſe contrahi: an igitur obligatio ad tale infauſtum matrimonium adeo firma & ſancta erit, ut nullo remedio infringi poſſit?

23. Ex hucuſque deductis fixum firmumque ſit, rationabilem parentum diſſenſum congruam & potentiſſimam eſſe cauſſam reſcindendi ſponſalia inſciis parentibus inita.

ARTICULUS IV.

An Sponſus poſſit propria auctoritate recedere a Sponſalibus abſque præſcitu parentum initis.

Propria auctoritate nonnunquam poſſunt reſilire ſponſi: 24.
Regulariter auctoritate Judicis Eccleſiaſtici 25.
Propria auctoritate non poſſunt recedere, 26.
Qui contraxerunt inſciis parentibus. 27.
Quid faciendum, 28.
Si Sponſa urgeat impleri contractum; 29.

24. Conceditur Sponſo vel Sponſæ, ut propria auctoritate a Sponſalibus etiam publice notis recedant, ſi cauſſa recedendi ſit notoria, & tam de facto, quam de jure certa. Quid enim opus eſt fatigare Judicem, ejuſque officium pro reſcindendis Sponſalibus implorare, ſi vulgo conſtet, Sponſam edidiſſe Profeſſionem ſolemnem in ordine Religioſo, vel matrimonium cum alio contraxiſſe, aut de commiſſa fornicatione in judicio eſſe damnatam?

25. E contra Si Sponſalia paſſim ſint nota; cauſsa autem recedendi ſit quidem certa, minime tamen publica; tunc ſaltem ad removendum ſcandalum interponi deberet officium Judicis. Imo etiam ad evitandam injuriam alterius id fieri debet, ſi forte cauſſa ſit dubia: cum nemo abſque legitima cauſsæ cognitione, in dubio ſpoliari debeat jure ſibi quæſito ad hoc, ut impleatur fides data.

26. Ex

Digitized by Google

26. Ex his tamen principiis præsens quæstio non dirimitur. Sub alia ratione considerari negotium debet. Nempe per ipsum contractum Sponsalitium, inscii parentibus initum, detexit hic Sponsus Academicus præceps animi consilium, & immoderati affectus impetum: unde ipsius judicio relinqui non potest discessus a Sponsalibus; cum eadem levitate, qua contraxit sponsalia ab iis recedere præsumatur: opus igitur erit matura causæ cognitione & majore auctoritate, quæ in hoc negotio penes Judicem Ecclesiasticum residet.

27. Insuper filius ex dissensu patris non potest opponere exceptionem contra Sponsalia: foret enim hæc suæ improbitatis confessio, quod pii & morigeri filii officium in petendo consensu paterno neglexerit: propriæ autem turpitudinis allegatio non est audienda (*a*). Dein agitur in hoc casu de jure tertii, scilicet patris, quod non proficit filio (*b*). Si enim pater se non opponeret, sponsalia retinerent suam firmitatem (§. XIV.) Demum multa intervenire possunt, quæ, non attento dissensu parentum, sinunt firma esse Sponsalia (§. XV.) Opus igitur est prævia causæ cognitione, ut ob dissensum decernatur rescissio.

28. Id facile indulgeri potest ejusmodi Sponso, ut cognito dissensu parentum, moras trahat, donec conveniatur a Sponsa coram competente Judice. Si vero parentes, accedente libera voluntate filii, aliud ejusdem matrimonium procurent, Sponsa autem conscia dissensu paterno, novis sponsalibus se non opponat: præsumitur hæc agnoscere infirmitatem prioris contractus, & juri per Sponsalia quæsito renuntiare.

29. Si vero Sponsa, cui Academicus fidem de matrimonio contrahendo inscii parentibus dedit, impleri promissionem exigeret, deberet illa primum privatim moneri, ne jus suum contra leges & rationem ex Sponsalibus quæsitum urgeat, sed sponte in eorum dissolutionem consentiat. Si admonitio hæc effectu careat, deberet illa juxta doctrinam Christi (*c*), reperiri coram uno alterove prudente viro, & rerum perito: dein etiam extrajudicialiter ad Ecclesiam deferri. Demum si sponsa obfirmet animum, & in Judicio Ecclesiastico Sponsum ad implenda Sponsalia urgeat: pater *interveniendo* rem omnem Judici aperiat, justas dissensus sui causas alleget, & in libelli conclusione Judicis officium imploret, in eam fere sententiam, ut filium ab obligatione Sponsalium absolvat, & absolutum pronuntiet. Judex causa cognita, & partibus auditis, officio suo non deerit.

ARTICULUS V.

An Judex Ecclesiasticus habeat ex dissensu parentum legitimam causam sponsalia per sententiam dissolvendi.

Judex Ecclesiasticus ad instantiam parentum, legitime decernit rescissionem: 30.
Cum sponsalia dissolvi possint 31.
Ex legitima causa. 32.
Raro sufficit consensus parentum præsumptus: 33.
Sæpius consensus tacitus: 34.
Aut ratihabitio subsequens. 35. *His deficientibus, ad interventionem patris* 36.
Rescindenda sunt Sponsalia. 37.

30. GRavissima imminere mala ex matrimonio invitis parentibus contrahendo; justamque se opponendi causam parentibus suppetere, abunde ostensum est (§. XXII.);

(*a*) L. 30. C. de Transact. L. 5. C. de ser- vo pignori dato &c. L. 4. §. 7. ff. si servit. vindicet. (*b*) L. 4. §. 7. ff. si XVII. 3. (*c*) Matth. XVIII. 16. Luc. XVII. 3.

Digitized by Google

(§. XXII.): quis dubitet de poteſtate, imo obligatione Judicis, ejuſmodi Sponſalia diſſolvendi? Sententia jus reddit partibus: cum igitur parentes in circumſtantiis poſitis jus optimum habeant reſciſſionem petendi; plane etiam Judex legitime procedet, ſi hanc reſciſſionem decernat. Plurima enim mala animarum, quæ ex ejuſmodi inauſpicatis matrimoniis oriuntur, nemini magis incumbit avertere, quam Judici Eccleſiaſtico, illi præcipue, cujus officium imploratur. Non permittent ſupremi animarum Paſtores Epiſcopi, ut Tribunalium ſuorum ſententiis confirmetur irreverentia filiorum contra parentes; exacerbentur parentes contra liberos; foveantur diſſenſiones & inimicitiæ familiarum; malaque per benedictionem Sacerdotalem invehantur, illis imminentia, quibus parentes maledicunt (*a*). Abſit, ut Eccleſia benedictionem impertiatur *tali conjugio, imo potius contagio* (*b*), quod ſubjacet maledictioni eorum, quos liberi ſecundum Deum præcipuo honore colere obſtringuntur.

31. Tenet quidem univerſa Eccleſia Cattolica, Matrimonii vinculum adeo firmum eſse, ut etiam ob graviſſima mala impendentia diſſolvi ab homine non poſſit. At vero ſponſalia, quibus de contrahendo matrimonio fides datur, ex multis variiſque rationibus diſſolvi poſsunt & ſolent. Pulchræ faciei deturpatio, dotis amiſſio, aliæque leviores cauſsæ, quæ matrimonium reddere poſsent moleſtius, jus & occaſionem præbent petendi & impetrandi a Judice Eccleſiaſtico reſciſſionem ſponſalium: quidni eandem vim obtinebit prudens & rationabilis parentum diſſenſus, qui ipſa natura dictante, contractibus filiorum ſummopere obſtat, & graviſſimis incommodis matrimonium gravat. Præceptum illud, quo homo ſeparare prohibetur, quod Deus conjunxit, ad præſens negotium aptari non poteſt: de nuptiis legitime contractis id intelligitur; nequaquam autem de ſponſalibus, quæ, ſi clam parentibus ineantur, plerumque non conjungit Deus, ſed impotens libido.

32. Non accedimus quidem opinioni eorum; qui ad diſſolvenda ſponſalia ſolam illam ſufficere injuriam cenſent, qua pater ſe affectum conqueritur per ſponſalia filii ſe ingnaro inita (§. XXI.). Rationabilem diſſentiendi cauſsam in patre requirimus, maturo Judicis Eccleſiaſtici examine diſcutiendam: *nam patria poteſtas in pietate debet, non atrocitate conſiſtere* (*c*). Sicuti circa ſponſalia Academicorum, gravia momenta diſſentiendi vix deeſſe parentibus poſſunt; ita quoque Judici Eccleſiaſtico nec voluntas, nec auctoritas deerit, infauſtas nuptias etiam interdicto ſuo, ſi opus fuerit, impediendi, parochoſque inhibendi, ne aſſiſtant matrimonio, quod Deus & Eccleſia damnat.

33. Nec tamen adeo rigide expreſſum conſenſum patris, ſponſalibus filii præmittendum exigimus, ut non quandoque ſufficere cenſeatur conſenſus vel tacitus, vel præſumptus, aut etiam ratihabitio ſubſequens. Conſenſus præſumpti illuſtre exemplum præbet hiſtoria Tobiæ com Sara Raguelis filia nuptias celebrantis, proxeneta Angelo, patre quidem ignorante, ſed plane non invito; utpote de cujus voluntate Tobiam certum reddebant tum perſonarum qualitates, tum fideliſſimi comitis adhortationes. Eventus probavit, prudentiſſime fuiſſe præſumptum aſſenſum patris. Quam raro in ſponſalitio Academici contractu angelus proxeneta, ſocer parentibus amiciſſimus, Sara non ſolum opibus, ſed etiam caſtitate aliiſque virtutibus ornatiſſima intervenit: tam raro locum habebit conſenſus parentum præſumptus; tam raro etiam parentes eadem animi hilaritate nuntium de ejuſmodi ſponſalibus excipiunt, qua Tobias ſenior filii nuptiis applaudebat.

34. For-

(*a*) *Benedictio patris firmat domos filiorum: maledictio autem matris eradicat fundamenta.* Eccl. III. 11.

(*b*) L. 2. C. ſi nupt. ex reſcript. petant.

(*c*) L. 5. ff. De Lege Pomp. de Parricid.

Digitized by Google

34. Forte frequentius allegare licebit consensum parentis tacitum; qui de nimia familiaritate filii cum puella quadam monitus, nec curam, nec auctoritatem suam opponit: qui munuscula, mutui amoris tesseras submministrat, vel ad ea procuranda pecunias concedit: qui uti factum meminimus, blanda patris, aut soceri nomina ab ipsa sponsa benevole acceptat. Ejusmodi circumstantiæ tacitum parentis consensum indicant, quem si revocare velit, ejusdem cum filio levitatis arguetur, nequaquam in judicio audiendus. Leges enim in ejusmodi negotio volunt, *intelligi semper patrem consentire, nisi evidenter dissentiat* (*a*). *Quod* autem *semel placuit, amplius displicere non potest* (*b*).

35. Denique consensum, qui prævie debuisset exquiri, supplet ratihabitio subsequens, ex vulgatis Juris regulis (*c*). Non enim consensum paternum pro forma substantiali contractus sponsalitii requirimus: unde ad firmitatem sponsalium sufficit, modo dissensus parentum non opponatur, aut modo fiat quidpiam, ex quo approbatio arguatur. Quando igitur pater intelligit, filium sponsalium vinculo illigatum, coram Judice ad observantiam promissi conveniri, & condemnari; absque mora *interveniendo* vim sententiæ impediat: si enim hanc in rem judicatam abire sinat, & postea demum, quando Judex executione robur judicato addere intendit, intervenire velit, audiendus non est, cum ipsius silentium pro approbatione habeatur, juxta communes interventionum leges (*d*).

36. Si vero parentes opportuno tempore, re adhuc integra, ex justa caussa, sponsalibus nunquam a se nec expresse, nec tacite comprobatis se opponant; sane ea, quæ hucusque diximus, sufficere censemus ad Judicem Ecclesiasticum in vota parentum flectendum, ne profanari patiatur magnum matrimonii Sacramentum, ad quod infausto vinculo traheret promissio ad omnibus legibus damnata, non obstantibus gravissimis statutis, quæ connubia filiorum invitis parentibus contracta in quibusdam Provinciis, saltem quoad effectus civiles habent pro nullis; in aliis vel exheredatione, vel diminutione dotis, aliisque pœnis coercent. Temerarium enim esset, has leges Divinis oraculis & sacris Canonibus prorsus conformes, injustitiæ damnare.

37. Persuadebit sibi forte nonnemo, locum in tali negotio habere illud Pontificis (*e*), quod pater in caussis spiritualibus filii se intromittere non habeat: imo inferet, sicut filius ad instantiam patris absolvi non debet a voto ingrediendi Religiosum ordinem, ita neque eundem absolvendum esse a vinculo Sponsalium. Fingere sibi adversarios censeretur, qui ejusmodi argumenta sibi opponit, nisi passim legeremus in libris. Sacri Canones permittunt, ut Minores sine curatore, filiifamilias sine assensu patris agant suas causas spirituales in Tribunalibus Ecclesiasticis, cum ob summam æquitatem, quæ in hisce Tribunalibus dominatur, non attendendi sint apices juris, nec tantum sit periculum impingendi in varios errores, quibus ætas minor est exposita. Nihil ista ad præsens negotium: præterquam enim quod Sponsalia, etiamsi tractentur in Tribunalibus Ecclesiasticis, non habeant rationem caussæ spiritualis; non exigimus, ut filius ad standum in judicio requirat assensum patris, vel patrem assistentem habeat: sed juxta nos pater agit suam propriam caussam; conqueritur, jus suum violatum, imminere periculum scandalorum, turbationem familiæ &c. Non defendit filium, sed amaras contra eum querelas defert, suoque jure petit, ut Judex Ecclesiasticus rescissis Sponsalibus juri paterno assistat, & scandala avertat. Paritatem voti cum Sponsalibus tunc demum instituere licebit, si per Sponsalia, æque ac per votum ingrediendi religionem, servitium Dei intendatur: simulque per ingressum in Religionem

(*a*) L. 7. in fin. ff. de sponsalib. L. 5. C. de nuptiis. (*b*) C. 21. de R. J. in 6. (*c*) L. 60. ff. de R. J. C. 10. eod. in 6. (*d*) C. 15. de sent. & re jud. (*e*) C. 3. de Jud. in 6.

Digitized by Google

nem æque ac per matrimonium familia turbetur, diffidia foveantur, aliaque enascantur mala, quæ justam causam præbent parentibus se opponendi Sponsalibus filii. Nec hæ, nec aliæ similes rationes non absterrent, quo minus ad quæstionem hoc articulo propositam pronuntiemus, Judicem Ecclesiasticum habere ex dissensu parentum legitimam causam Sponsalia per sententiam dissolvendi.

ARTICULUS VI.

An eodem modo dissolvi possint Sponsalia jurata.

Juramentum non firmat Sponsalia. 38.
Invitis parentibus contracta. 39.
Nec opus habet speciali relaxatione; 40.
Quia censetur involvere conditionem. 41.
Qua deficiente non obligat. 42.

38. NOtum est, Juramentum non esse vinculum iniquitatis: absit igitur, ut assumpto per filium temere Dei nomine, adimatur parentibus potestas omni jure competens; foveaturque inobedientia liberorum in tali actu, qui ex alia multiplici ratione dissolutioni est subjectus. Fatemur, multos actus, quos Leges firmitate destituunt, sustineri tamen ob reverentiam Divini Nominis, quando absque læsione conscientiæ servari possunt. At vero conventio contra jus tertii inita, & innumerorum malorum prodroma, adeo non roboratur adjecto juramento, ut potius majorem Tribunalis Ecclesiastici detestationem mereatur.

39. Ita sentit summus Pontifex, harum controversiarum peritissimus, Benedictus XIV. qui (*a*) omittit quidem disputationem de valore talium sponsalium absque consensu parentum contractorum: *certissimum tamen esse*, ait, *ipsa illicite fieri, culpam admitti, cognitaque parentum dissensione, solvi posse, licet jusjurandum intercesserit*. Gloriæ sibi ducent Judices nostri Ecclesiastici, si tantum Ducem in definiendis controversiis sequi possint, qui, ut ipse fatetur, per plures annos in causis ad Matrimonium spectantibus implicitus fuit, non unius Civitatis aut Diœcesis, sed universi Catholici orbis, cum in sacra Concilii Congregatione Secretarium ageret. Postea ad Archiepiscopatum Bononiensem, promotus, non tantum hanc suam Diœcesim, sed etiam post adeptum Pontificatum iterata editione Institutionum suarum, orbis universi Judices Ecclesiasticos iisdem principiis imbuit.

40. Adeo indiscreto zelo nonnulli religionem juramenti revereri videntur, ut propemodum etiam Herodem temerario suo juramento obstrictum somnient, ad caput Joannis Baptistæ in disco tradendum puellæ. Nos econtra adeo nihil firmitatis ex Juramento Sponsalibus, quæ hoc loco infectamur, accedere nobis persuademus, ut necessariam non esse relaxationem ejus credamus, quando Sponsalia ex cognito parentum dissensu, legitime dissolvuntur. Siquidem in malis promissis rescindenda fides potius. Si enim votum, vel juramentum filiæ, quæ est in domo patris sui, vel mulieris, non habet firmum robur, quando pater vel maritus contradixerit (*b*): quanto minus rata esse debet promissio homini facta contra leges Divinas & humanas, quam parentis judicium prudenter corrigit? Juramentum enim accedens contractui fortitur naturam & conditiones illius (*c*): Sponsalia autem habent tacitam conditionem, si causa non superveniat legitima ad ea dissolvenda: hac conditione non impleta, juramentum plane non adstringit, nulla desiderata relaxatione.

41. Erut-

(*a*) Instit. Eccl. 46. (*b*) Numer. XXX. (*c*) L. fin. C. de non numer. pecun.

Digitized by Google

41. Eruitur hæc doctrina ex Decretali Innocentii III. (*a*), qui decidit, fas esse absque perjurio a Sponsalibus juratis recedere ob subsequentem fornicationem redditque rationem, quia subintelligitur conditio, si alter contra desponsationis leges non venerit. Licet enim in hoc casu, de quo Innocentius loquitur, possit juramentum absque peccato observari, minime tamen obligat, eo quod deficit tacita conditio, quæ inest, si res in eodem statu permanserit (*b*). Ex his tamen non infertur, omnia talia juramenta, uti & ipsa Sponsalia, esse conditionata. Nam conditiones, quæ tacite insunt, & vel ex natura negotii, vel ex dispositione legis subintelliguntur, non reddunt actum conditionalem (*c*) Unde, ut dictum (§. XVII.) ex talibus Sponsalibus nascitur impedimentum publicæ honestatis, quod non contingeret in Sponsalibus vere conditionalibus, quando conditione deficiente evanescunt. (*d*)

42. Firma igitur sit responsio ad propositam quæstionem, quod juramentum Sponsalibus contra voluntatem parentum adjectum, non obstet, quo minus eadem post cognitum patris dissensum auctoritate Ecclesiastica rescindantur.

ARTICULUS VII.

An ob dissensum parentum rescindi possint Sponsalia, quæ præcessit, vel secuta est imprægnatio.

Imprægnatio 43. *Obligat ad matrimonium* 44.
Cum seducta: 45.
Secus, si puella seducat: 46.
Quæ meretur potius pœnam, 47.
Quam favorem. 48.
In praxi tres casus distinguendi. 49.

43. VAriæ, nec levis momenti quæstiones huc referri possent: sed hærere lubet intra arctos terminos propositæ materiæ. Unde non loquimur de illis locis, ubi præsentia Parochi & testium non requiritur ad matrimonii valorem; ac proin matrimonium de præsenti contractum præsumitur, copula carnali inter sponsos interveniente (*e*). De eo solum casu quæstio nostra versatur, in quo post secutam imprægnationem totum negotium manet intra limites Sponsalium de futuro.

44. Expedita multorum erit responsio, ejusmodi Sponsum claro Sacrorum Canonum textu, omnique jure tum naturali, tum Divino obstringi ad ducendam imprægnatam, etiamsi serius promittendi matrimonii animus abfuerit; multo magis, quando accessit promissio seria, forte etiam juramento firmata. Omnem dubitandi locum tolli censent per Canonem (*f*), ex ipsis fontibus S. Scripturæ (*g*) desumptum his verbis: *si seduxerit quis virginem nondum desponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam & habebit uxorem. Si vero pater virginis dare noluerit, reddet pecuniam, juxta modum dotis, quam virgines accipere consueverunt.* Optio igitur non esse videtur penes parentes Sponsi fornicantis, sed penes parentes violatæ, qui si nuptias elegerint, debebit fornicator matrimonium cum puella inire, aut saltem judex illum ad hoc condemnare.

45. Justissima sane lex, quæ Divino consilio ex veteribus tabulis in Codicem Canonum est illata? caute tamen notanda vox est, *si seduxerit quis virginem &c.* aut pro-

(*a*) C. 29. de Jurejur.
(*b*) C. ne quis. 14. §. 2. XXII. q. 2. L. cum quis. 38. pr. ff. de solut.
(*c*) Doctores, ad L. 3. ff. de Legat. 1.
(*d*) C. un. §. 1. de Sponsal. in 6.
(*e*) C. 30. de Sponsal.
(*f*) C. 1. de Adult.
(*g*) Exod. XXII. 16. 17. Deuteron. XXII. 28. 29.

Digitized by Google

prout in Deuteronomio profertur, *si invenerit vir puellam virginem, & apprehendens concubuerit cum illa &c.* Si diversas esse has leges ponimus, priori phrasi Moyses seductionem dolo malo factam; altera apertam vim illatam intelligit, qui sensus magis patefit in prioribus verficulis: *si in agro reperierit vir puellam, quæ desponsata est, & apprehendens concubuerit cum ea, ipse morietur solus: puella nihil patietur, nec est rea mortis: quoniam sicut latro consurgit contra fratrem suum, & occidit animam ejus, ita & puella perpessa est.* Stuprum violentum hoc loco non attingimus: dolo malo seductam puellam intelligere debemus, ut locus sit allegato Canoni, & quidem non ante sententiam Judicis, cum ipsa lex Divina mox adjiciat, id habere locum, *si res ad judicium venerit.* (a)

46. Jam vero ad experientiam provocamus, an Academici puellas, an potius puellæ Academicos *seducant*. Quantæ blanditiæ, quantæ circumcursationes, quantæ invitationes, quam lascivus ornatus corporis, donec in rete pertrahant? quam curiose advenientium nomina, genus, patria exquiruntur! quanta affabilitate habitatio clancularis congressibus apta offertur! quam largiter munuscula mittuntur! quam commodæ horæ etiam ad templa frequentanda seliguntur! Ejusmodi virgines seductas dicemus? scilicet seducta fuerat etiam illa, de qua Salomon (b) *ornatu meretricio, præparata ad capiendas animas, garrula & vaga, quietis impatiens, nec valens in domo consistere pedibus suis: nunc foris, nunc in plateis, nunc juxta angulos insidians* .... quæ juvenem *irretivit multis sermonibus, & blanditiis labiorum protraxit illum* &c. &c. En elegantem imaginem multarum puellarum, cum quibus Academici Sponsalia ineunt, & mulieribus blanditiis ad concubitum pelliciuntur.

47. Parentes harum puellarum lamentantur: fatigant tribunalia: accelerari nuptias postulant: cum tamen potissima culpa plerumque in ipsos recidat, qui non solum dissimulant, sed etiam fovent clancularias familiaritates, & nocturnos congressus filiarum cum Academicis. In lege Mosaica (c) ponitur casus, quo puella, hucusque in paternis ædibus commorata, amissæ virginitatis arguitur & convincitur. Quid juris? An inquirendum Deus præcipit, quis injuriam intulerit, ut puellam in matrimonium accipiat, & juxta hodiernum loquendi modum, honori suo restituat? Nequaquam. Audiamus formam judicii & sententiæ a Deo dictatam: *ejicient eam extra fores domus patris sui, & lapidibus obruent viri civitatis illius & morietur: quoniam fecit nefas in Israel, ut fornicaretur in domo patris sui.*

48. Non quidem cruenta sunt hodie Judicia fori Ecclesiastici, de quo præcipue hic sermo est: discimus tamen, quam gravi censura animadvertendum sit in ejusmodi feminas, quæ vel ipsæ seducunt, vel certe seduci optant, dum contra insidias juvenum non adhibent media, quæ ad manum sunt. Non excusamus juvenes hac puellarum petulantia inescatos sicuti non excusamus Adamum, Evæ blanditiis ad violanda præcepta Divina pertractum: cautela tamen opus est, ne favendo lascivientibus mulierculis, foveamus utriusque sexus libidinem. Soboli innocenti, ex flagitiosa hac familiaritate prognatæ, nolumus eripere patrem de ejusdem alimentis solicitum: sed petulanti feminæ non audemus addicere maritum in prostituti pudoris præmium.

49. Si quis igitur consilium nostrum in tali negotio exquireret, solicite discutiendum diceremus, an puella *seducta* fuerit; an potius ipsa juvenem *seduxerit*, vel saltem æquali levitate uterque in crimen inciderit? Pro primo casu sententiam contra seductorem dictat Judici allegatus Canon, nisi ea conditionis disparitas, aliæve circumstantiæ interveniant, ut seductæ puellæ parentes ipsas nuptias exigere prudenter non possint. Si vero puella seductionis rea deprehendatur, sibi imputare debebit vitium non tam ab alio illatum, quam propria culpa contractum; quod

(a) Deuteron. XXII. 28.
(b) Proverb. VII.
(c) Deuteron. XXII. 21.

Digitized by Google

plerumque præſumendum eſt, quando ejuſmodi virgines in domo paterna, quæ facile ſecuritatem contra inſidias præſtabit; vel in clancullariis aut nocturnis conventibus, quos pudor virgineus abhorrere debet, vitium paſſæ ſunt. Demum in tertio caſu æqualis levitatis, nova cauſſa præbetur parentibus averſandi ejuſmodi Sponſam, cum probro familiæ ſuæ vitiatam æque, ac vitioſam: nec credent parentes, jus ſibi per libidinem ſponſorum ereptum, quod etiam non obſtante Juramenti religione, ipſis integrum diximus ad petendam ſponſalium ſe inſciis contractorum diſſolutionem. Ex his non obſcure reſponſum colligitur ad quæſtionem in hoc Articulo propoſitam.

ARTICULUS VIII.

An Sponſus ob diſſenſum parentum recedens a Sponſalibus, teneatur ſolvere pœnam Sponſalibus adjectam, vel perdat arrhas.

Pœna, 50. *Non obſtante Lege Civili*, 51.
Adjici poteſt Sponſalibus, ſolvenda 52. *A reſiliente abſque juſta cauſſa*. 53.
Et ab eo, qui Sponſalia inſciis parentibus contraxit: 54.
Perditis etiam arrhis. 55.

50. DIximus, Sponſalia contra rationabilem voluntatem parentum inita, reſcindenda eſſe auctoritate Judicis Eccleſiaſtici, niſi Sponſa lubens, volenſque cedat jure ſuo. Sive igitur mutuo conſenſu, ſive auctoritate Judicis diſſolvatur Sponſalium nexus, quem Sponſa firmum optaret; reſtat enodanda difficultas de datis arrhis, & de pœna forte pro firmando contractu Sponſalitio adjecta recedenti.

51. Pœnam Sponſalibus adjici non poſſe, indubitatum eſt ex mente Legum Civilium (*a*). Contraria autem conſuetudo vim harum Legum infregit. Quod ex conſuetudine fieri ſolebat, in legitimam Conſtitutionem traduxit LEO Imperator, *ut in Sponſalibus conſtituta pœna exigatur* (*b*). Quamvis hujus Imperatoris Novellæ Conſtitutiones paſſim receptæ non ſint, ſufficit tamen ejus auctoritas ad declarandam conſuetudinem, Legibus Romanis contrariam, quæ eo promius recipi debet, quo conformior eſt æquitati naturali, & aliorum contractuum conditioni, qui adjectionem pœnæ non reſpuunt.

52. Neque obſtat Deciſio Gregorii IX. (*c*) qui Sponſalitiam ſtipulationem propter pœnæ interpoſitionem improbat. Nam ille agit de Sponſalibus, ante ſeptennem ætatem Sponſorum, ſtipulatione parentum initis, quæ proin nullam omnino obligationem inducebant; ſed dependebant a futuro conſenſu liberorum, quo non ſecuto parentes non ſtringebantur ſua ſtipulatione. Qui enim alienum factum promittit, non ad aliud ſe obligare cenſetur, quam ut præſtet, quantum eſt in ſe: cum igitur matrimonium copulari debeat propria Sponſorum voluntate, nulla culpa in parentibus reſidet, ſi liberi reſpuant matrimonium, conſequenter nec pœnam tenentur ſolvere ejuſmodi parentes, etiamſi ſtipulationi eam adjecerint. Tenemus igitur, pœnam regulariter Sponſalibus adjici poſſe, & ſolvi debere reſilientibus.

53. Cum tamen pœna locum non habeat, ubi culpa non præceſſit, ideo tunc demum pœnam perſolvendam plerumque ſtatuunt, quando alterutra pars abſque juſta cauſſa reſilire intenderit. Diſſenſum parentis pro juſta reſiliendi cauſſa agnovimus: unde fluere videtur, dato hoc diſſenſu nullam ſolvendam eſſe pœnam, quæ Sponſalibus fuerit adjecta.

(*a*) L. 5. C. de Sponſal. L. 134. pr. ff. de Verb. oblig.
(*b*) Novella 18. LEONIS Imp.
(*c*) C. Gemmi. 29. de Sponſalib.

Digitized by Google

54. Verum cum ex supra dictis Sponsus Academicus contra Sponsalia inscüis parentibus contracta, actionem intentare non possit, totumque agendi jus patri competat: hinc etiamsi interveniente patre ab obligatione Sponsalium absolvatur, nihilominus justissime in pœnam contractui Sponsalitio a se ipso adjectam condemnatur, tum ut levitas juvenilis coerceatur, tum ut injuria Sponsæ, ejusque familiæ forsan illata, resarciatur. Gravari quidem non debet pater, nisi ipse indulgentia sua culpam incurrisset: filii tamen peculium, si quod habet, merito in prædam cedet: hoc deficiente, si pater ex futura hæreditate suppeditare nihil velit, improvida Sponsa remittenda erit ad conveniendum Sponsum pro eo tempore, quo iste propriis bonis ditabitur. Frequenter deprehendimus, ejusmodi puellas pecuniis potius, quam nuptiis Academicorum, quas sperare non possunt, inhiare, & ob id de gravi summa a resiliente in pœnam sibi solvenda stipulari: hanc autem ex arbitrio suo moderabitur Judex, & cognita mulierculæ malitia, fisco potius aut piæ causæ adjudicabit.

50. Pariter arrharum nomine datum repeti non poterit, nisi arrha ex bonis patris sumpta fuerit. Licet enim alias, quando matrimonium legibus est prohibitum, nihil arrharum nomine sponsos pati oporteat, *quasi nullo facto, utpote sine caussa* arrhæ sint præstitæ (a): nihilominus in terminis nostræ quæstionis Sponsus ex Sponsalibus temere contractis obligatur, nec meretur singularem favorem, nisi per aliud juris remedium succurratur. Patre igitur ad rescissionem agente, filius merito levitatem suam luet, perditis etiam arrhis.

ARTICULUS IX.

An Satisfactio debeatur Sponsæ ab Academico ratione expensarum, impediti alterius matrimonii &c.

Damnum emergens feret Sponsa: 56.
Sponsus solvet litis expensas. 57.

56. SI quas expensas occasione Sponsalium cum Academico, ignaris ejus parentibus contractorum, Sponsa fecerit, compensari eas frustra postulat. Non enim debuisset sibi inviolabilem clancularis conventionis firmitatem promittere, nec nimium fidere nexui, qui a Sponsi parentibus facile rumpi possit. Unde, excepta pœna conventionali, quam ipse Sponsus sibi dictaverat, non dispicimus, quid resarciendum sit ejusmodi puellis, quando de impeditis aliis nuptiis, infamiæ nota, gravibusque damnis toleratis conqueruntur. Sibi imputent, quæ fecerunt. Si quædam obtendat ignorantiam & bonam fidem: sustinere tamen debebit patienter qualecunque damnum, cum ingens commodum hac ratione præstetur Reipublicæ, reliquis ex unius damno sapere doctis: nihil enim magis cæterarum procacitatem excitat, atque confirmat, quam si uni has clancularias conventiones bene cessisse deprehendant; cum multæ non tam conjugio, cujus obtinendi spem prudenter sibi formare non possunt; quam pingui lytro pro redimenda Sponsi libertate offerendo inhient.

57. Si de expensis litis moveatur quæstio, cavere quidem solent Judices, ne lite inter fratres aut alios proximos agnatos, item inter Sponsos agitata, partem victam condement victori in expensas, cum hac condemnatione odia nimium exacerbentur. Hæc tamen cautela locum folummodo obtinet, quando pro valore Sponsalium pronuntiatur: secus se res habet, quando ad dissolutionem pervenitur. In præsentis quæstionis casu expensas judiciales merito feret filius Sponsus, qui toti

lui

(a) L. 5. C. de Sponsalib.

Digitized by Google

liti culpabilem cauſſam dedit: Nam reſcindendo Sponſalia, non ipſi favet Judex; ſed patri, ſuo jure reſciſſionem petenti. Si filius peculium non habeat, poterunt hæ expenſæ a patre ſubminiſtrari, ex portione hereditaria aliquando detrahendæ: Non tamen vana ſemper eſt ſuſpicio, ipſos parentes, utpote a culpa minime immunes, a damno quoque non debere eſſe immunes, dum filiis a prima adoleſcentia periculoſam indulgent familiaritatem cum altero ſexu, eoſque vanitatibus innutritos, abſque ullo fræno tanquam indomitos pullos ad Academias mittunt, ægre etiam laturi, ſi de vana & parum pudica filiorum converſatione admoneantur.

ARTICULUS X.

An Sponſus datam per Sponſalia fidem implere cupiens, ſperare poſſit ab Epiſcopo diſpenſationem in denuntiationibus, ex hac ipſa cauſſa, ne parentes re cognita poſſint impedimentnm ponere.

In denunciationibus. 58. *A Concilio Lateranenſi, & Tridentino imperatis.* 59.
Epiſcopus diſpenſare poteſt: 60.
Raro tamen diſpenſabit ex hac cauſſa, ut matrimonium occultetur parentibus: 61.
Non enim volet dare occaſionem gravibus malis, 62.
Ex ejuſmodi clanculario matrimonio exorientibus. 63.
Optatur fructus ex hac Diſſertatione. 64.

58. LOcuti ſumus hucuſque de iis fere Sponſis, qui agnita ſua imprudentia; & damnato præcipiti conſilio, paternis monitis obedientiam præſtituri, a vinculo Sponſalium liberari optant: de iis nunc dicendum, qui vinculum ſuum amant, implere datam fidem deſiderant, & ideo clandeſtinos ſuos amores celari optant, ne parentum machinis a dilecta Sponſa abſtrahantur.

59. Concilium Lateranenſe (*a*) matrimonium contrahendum publice in Eccleſiis proponi debere ſtatuit. Synodus Tridentina (*b*) ter a proprio contrahentium parocho tribus continuis feſtivis diebus id fieri præcipit. Quodſi aliquando probabilis fuerit ſuſpicio, matrimonium tot præmiſſis denuntiationibus, malitioſe impediri poſſe, tunc ex diſpenſatione, non Parochi, ſed Epiſcopi, aut pro recepto more, ejuſdem Vicarii Generalis, vel una tantum denuntiatio fiat, vel ſaltem parocho & duobus vel tribus teſtibus præſentibus matrimonium celebretur. Licet autem denunciationes in tali caſu ſaltem ante matrimonii conſummationem ſuppleri deceat; id tamen ipſum prudentiæ & judicio Ordinarii S. Synodus relinquit, ut prædictæ denuntiationes prorſus remittantur, ſi Ordinarius ipſe id expedire judicaverit.

60. Contingere poteſt, ut etiam ab ipſis parentibus malitioſum obſtaculum ponatur, & honeſtiſſima filiorum conjugia iniquis machinationibus pervicaciter impediantur: quæ tamen ſi contracta jam fuerint, ſuſtinebuntur etiam a parentibus minime conſultis, quando nullum ſupereſſe remedium viderint, ipſum perfectum matrimonium diſſolvendi. Poteſt igitur Epiſcopus ex latenti aliqua ratione, ſibi tantum cognita, pro aliquo caſu denuntiationes remittere, cum in cauſſa ſuo arbitrio relicta, rationem ulli reddere non teneatur; quamvis hoc ipſum arbitrium non debeat eſſe omnino liberum & abſolutum, ſed ad prudentiæ & judicii regulas ordinatum.

61. Si hunc caſum injuſti impedimenti, a patre malitioſe ponendi, evidenter prævifum excipiamus; ſperare filius non poteſt remiſſionem denuntiationum. Hæc

(*a*) C. fin. de clandeſt. deſponſat. (*b*) Seſſ. 24. C. 1. de reform. matrim.

Digitized by Google

enim remissio efficeret, ut filius absque consilio parentum nuptias celebraret, quod omni juri & rationi repugnat. Nec facile fingi aut supponi potest *malitiosum* impedimentum; nam dolus & ejusmodi malitia non censetur reperiri in patre, qui suo jure utitur, dum consilium filio præbet in contrahendis nuptiis, filius autem insciis parentibus matrimonium contrahens, gravem ipsis injuriam infert, quam parentes juste propulsant. Accedunt ea omnia incommoda, quæ ex matrimonio ignaris parentibus inito evenire solent, dissidia scilicet inter patrem & filium, inter utramque familiam, ipsosque conjuges, remissio primi amoris æstus, demum facti sui improvidi pœnitentia ductos: subtractio dotis, exclusio e domo paterna, diminutio hereditariæ portionis &c. quorum auctorem se dici non sustinebit Episcopus, præsertim cum vix alia graviora mala imminere possint, si parentum consilium, quod absolute sequi non tenebitur filius, ante perfectum contractum exquiratur.

62. Plane impudens censeri Sponsus poterit, qui extra circumstantias rarissime contingentes, ad crimen suum perficiendum, ad evertenda decentiæ naturalis, & reverentiæ parentibus debitæ repagula, ad Decalogi leges infringendas, abuti velit Episcopali potestate. Timeo, ne loco dispensationis gratiosæ, acerbam temeritatis reprehensionem reportet. Principes nostræ Bavariæ (*a*) securos reddunt subditos suos, quod nolint conciliare vel promovere nuptias liberorum absque consensu parentum. Haud dubie summi animarum Pastores non minus, ac Princeps sæculares urgebunt accuratam observantiam juris naturalis, inculcabuntque doctrinam Apostoli (*b*): *filii obedite parentibus vestris in Domino: hoc enim justum est. Honora patrem tuum, & matrem tuam, quod est mandatum primum in promissione: ut bene sit tibi, & sis longævus super terram.* Unde ejusmodi Sponsus nuptiis suis clam parentibus benedici ex concessione Episcopali desiderans, majori jure, quam Patriarcha Jacobus, timet, ne inducat super se *maledictionem pro benedictione.* (*c*)

63. Certe summus Pontifex Benedictus XIV. (*d*) gravissimis verbis admonet Episcopos, *ut personarum matrimonium secreto contrahere petentium diligens fiat inquisitio, an sint filiifamilias, quorum nuptiæ Patri juste dissentienti sint invisæ: ab Episcopali etenim munere nimium esset alienum, facilem præberi filio inobedientiæ occasionem.* Nam facilitati in remittendis denuntiationibus referenda esse ait *secreta matrimonia contracta a filiisfamilias contra patris juste dissentientis voluntatem: ex quibus quam gravia incommoda exoriri soleant, neminem latet.* His verbis sanctissimi, in his negotiis expertissimi, & ad universos Ecclesiæ Episcopos scribentis Pontificis, ut plura addamus opus non est. Propria conscientia convincet ejumodi Sponsos se nullum mereri favorem ad improvida sua consilia perficienda, quorum non multo post tempore sera pœnitentia subibit.

CONCLUSIO.

64. Mirabitur nonnemo, quod ad Academicos hanc Dissertationem dirigamus; cum passim in ii locis, ubi celebriores Academiæ visuntur, ejusmodi sponsalia, insciis vel invitis parentibus contracta explodantur, ut adeo opus non sit, eadem scriptis Dissertationibus insectari. Gratulamur his Literarum Emporiis sapientissimas Constitutiones. Si tamen vel unica sit Academia, ad quam Auditores frequentes confluant ex variis Diœcesibus, quarum observantia in hoc negotio non sit omnino eadem: pro tali certe loco superflua non erit ejusmodi Disputatio: sed potius optandum, ut pro rei gravitate majus pondus his foliis adjiciatur.

(*a*) *Erklarung der Landsfreyheit p. 3. tit. 11.*
(*b*) Ephes. VI. 1. 2.
(*c*) Genes. XXVII. 12.
(*d*) In Const. ad omnes Episcopos data 17. Nov. 1741. quæ incipit: *Satis vobis compertum*, & continetur in ejus Bullario tom. 1. Const. 35.

Digitized by Google

ciatur. Consultum nempe foret, ut Princeps, in cujus ditione Academia sita est, cum vicinis Episcopis consilia opportuna conferat, vel etiam Summi Pontificis mentem exquirat. Mirum enim dictu est, quanta Juventutis studiosæ pernicies ex ejusmodi amatoriis negotiis ortum trahat, facile evitanda, si puellæ certiores reddantur, se ex his clancularis Sponsalibus nullum jus firmum obtenturas esse.

APPENDIX.

De in integrum Restitutione Minorum contra Sponsalia.

Matrimonio utpote caussæ arduæ 1. Præmitti debet seria deliberatio. 2. Præcipue tempore Sponsalium. 3. Contra hæc conceditur Minoribus Restitutio. 4. Quia eadem cum aliis negotiis pugnat ratio. 4. Imbecillitas Judicii. 5. Major in Sponsalibus. 6. Gravis læsio. 7. Eadem Sponsalium natura, ac aliorum contractuum. 8. Gravitas negotii. 9. His non obstat 10. Fortius Sponsalium vinculum. 11. Nec spiritualitas negotii. 12. Nec favor caussæ 13. Non deficit æquitas. 14. Nec læsio. 15. Nec obest privilegium alterius partis. 16. Consequenter sicut contra alios contractus. 17. Ita etiam contra Sponsalia peti potest Restitutio. 18.

1. MAtrimonium inter negotia graviora, maximeque ardua numerari, nemo negabit. Per nuptias enim perpetuum vitæ consortium, omnis fortunæ & infortunii communio inducitur: simulque Reipublicæ tum sacræ, tum profanæ cives procreantur ac educantur, magno vel emolumento, vel detrimento futuri. Unde liquet, non tam singulorum, quam ipsius Reipublicæ plurimum interesse, ut non sine magna & matura deliberatione ineantur matrimonia, idque eo magis, quo arctiori vinculo absque spe dissolutionis ligantur conjuges. Communes enim Juris regulæ; quod tamdiu societas duret, quamdiu consensus partium integer perseverat (*a*): quod in societate nemo compellatur invitus detineri (*b*), quod dissociemur renuntiatione (*c*): hæ, inquam, regulæ locum non habent in societate conjugali, quam dissolvi leges Divinæ & humanæ prohibent.

2. Hæc difficultas, & malorum inde facile pullulantium periculum non tam post contractum & consummatum matrimonium, quando nulla remedii spes supereſt; quam tempore Sponsalium ob oculos versari debet, quando scilicet de futuro matrimonii vinculo agitur, via tamen adhuc patente, se tanto oneri subducendi, & perpetuas totius vitæ calamitates avertendi. Unde ipse Summus Pontifex post contracta Sponsalia neminem ad contrahendas nuptias cogendum esse censet, cum coactiones difficiles soleant frequenter exitus habere (*d*).

3. Quamvis nulla detur necessitas, nec obligatio, Sponsalia matrimonio præmittendi; ex communissimo tamen, & plane non sine gravi ratione introducto usu, de contrahendo matrimonio prius conveniri solet, antequam illud rite copuletur: ut intra Sponsalium tempus, animorum conjunctio inter Sponsos magis firmetur, majorque sit opportunitas, futuram connubii cum hac persona sortem perpendendi. Sicut religiosi Ordines indissolubili votorum vinculo præmittunt unum alterumve probationis annum; ita etiam matrimonio præmittuntur Sponsalia, ut si interim, perpensis omnibus, faustum fore conjugium conjiciatur, promptiore voluntate & animi præparatione, Sponsi collum jugo huic per se duro & gravi subjiciant.

(*a*) L. 5. C. pro socio. §. 4. Inst. de societ.
(*b*) L. fin. C. comm. divid.
(*c*) L. 4. §. 1. ff. pro socio.
(*d*) C. 17. de Sponsalib.

ciant. In hunc ſenſum intelligi poteſt illud S. Auguſtini: *inſtitutum eſt, ut jam pactæ Sponſæ non ſtatim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam non ſuſpiraverit Sponſus dilatam* (a) Quamvis enim naturalis æquitas exigat, ut pacta, etiam ſponſalitia, ſancte ſerventur: nihilominus omnes leges ex variis rationibus permittunt diſceſſum a Sponſalibus, ubi præſertim graviora diſcrimina ex ipſa ſocietate conjugali probabiliter metuenda ſunt.

4. In hunc calamitatis ſcopulum, & malorum voraginem præcipites plerumque agit ætas *minor*, longiori rerum experientia & maturo judicio deſtituta, ac hoc ipſo alienis inſidiis & propriis cupiditatibus magis expoſita. In aliis negotiis præbent leges ſingulare beneficium *læſis ætate minoribus*, qui ſcilicet vigeſimum quintum, aut juxta Statuta Bavariæ vigeſimum primum ætatis annum nondum egreſſi ſunt. His conceditur *Reſtitutio in integrum* pro declinando gravi præjudicio, & corrigenda læſione, ita ut ad illam ex officio Judicis obtinendam, non oporteat probare aliud, quam læſionem & ætatem minorem. Huic beneficio an etiam locus detur contra Sponſalia a minore inita, examinandum ſumimus. Non ignoramus, quid ex præconceptis opinionibus Juriſconſulti non pauci doceant, quid Tribunalia deciniant: nemo tamen prohibebit, quin ſalva erga Doctores & Judices reverentia, mente minime præoccupata in Juris rationem indagemus. Ne autem latius, quam pro anguſtis, quos nobis præſtituimus, limitibus, evagetur diſcuſſio, nolumus examinare generalem Prætoris clauſulam: *ſi qua mihi juſta cauſſa eſſe videbitur* (b): ſed quæſtionem ad id ſolum reſtringimus, an contra Sponſalia omnino valida, nulloque vitio laborantia, peti poſſit Reſtitutio in integrum *ex capite ætatis minoris*. Secundum leges Romanas quidem reſtitutione opus non eſt, cum juxta diſpoſitionem hujus Juris etiam abſque juſta cauſſa impune a Sponſalibus diſcedere liceat (c): procedit igitur quæſtio de Jure hodierno, etiam Canonico, quod pro utroque foro grævem imponit obligationem Sponſis ad complendum matrimonium.

5. Omiſſis ambagibus, & ſuppoſita communi notione, ac doctrina de Sponſalibus & Reſtitutione in integrum, pro ſolutione propoſitæ quæſtionis, cenſemus, conſiderata juris ratione & legum ſpiritu, non denegandum eſſe Sponſis minoribus auxilium ætatis, ſi juſtæ circumſtantiæ, aliis etiam negotiis communes, illud poſtulare videantur. Movemur ad ita ſentiendum I. Quia Legum & Canonum doctrina de Reſtitutione in integrum ex capite ætatis omnino generalis eſt, æque Sponſalibus, ac aliis contractibus conveniens. II. Nec apparet ratio convincens, quæ ab hoc beneficio Sponſos minores removeat. Utrumque exactius ponderemus.

6. Reſtitutionis beneficium conceditur minoribus ob imbecillitatem judicii, captionibus expoſitam. Perpendi merentur verba legis (d): *Cum inter omnes conſtet, fragile eſſe & infirmum hujuſmodi ætatum conſilium, & multis captionibus ſuppoſitum, multorum inſidiis expoſitum, auxilium eis Prætor hoc edicto pollicitus eſt, & adverſus captiones opitulationem* his verbis: *quod cum minore, quam viginti quinque annis natu geſtum eſſe dicetur: uti quæque res erit, animadvertam*. Sacri Canones hunc Legum civilium favorem ex capite minoris ætatis nec improbant, nec reſtringunt: ſed fovent (e), & ad Eccleſias, quæ jure minorum utuntur, extendunt (f): imo etiam in negotio matrimoniali indulgent Majori ex juſta cauſſa (g).

7. Quis autem ignorat, juvenes & puellas minoris ætatis, in hoc Sponſalium negotio

(a) C. 39. XXVII. q. 2. ex lib. VIII. Conf. C. 3.
(b) L. 1. §. 1. ff. Ex quib. cauſ. major.
(c) L. 5 C. de Sponſalib.
(d) L. 1. ff. de minor. 25. ann.
(e) C. 8. de in integr. reſtit.
(f) Eod. tot. tit. extra, in 6. & Clement.
(g) C. 4. x. eod.

Digitized by Google

negotio longe magis, quam in aliis contractibus, captionibus & insidiis exponi: non accedente quidem dolo malo, facile tamen capi blanditiis, donis, amorisque illecebris, ut pro infirmitate consilii, huic ætati propria, sine matura deliberatione, & futurorum consideratione in contrahendas nuptias promissione præpropera consentiant, accedentibus præcipue persuasionibus amicorum, suo forte commodo invigilantium? Cum igitur eadem judicii imbecillitas in Sponsalibus intervenire soleat, ob quam leges restitui Minores volunt, plane generalem legum doctrinam, de Sponsalibus quoque intelligendam esse, non dubitamus, idque eo magis, quo pronior est juvenilis ætas, ut voluptatis & amoris illecebris succumbat, quibus fortissimi Samsones vix resistunt.

7. Læsionem probare debet Minor, qui restitui petit: hæc etiam in negotio Sponsalium frequenter absque longa investigatione in oculos incurrit. Absterso scilicet glaucomate, quod blanditiæ & assentationes obduxerant, deprehendit Sponsus mores Sponsæ, quos antea parum curiose observaverat, a suæ vitæ usu alienos; ipsam in otio & vanitate educatam, curis domesticis minime aptam; dotem oneribus matrimonii sustinendis nequaquam sufficere; nullum per has nuptias sibi parari aditum ad officia vel dignitates, quæ his temporibus potissimum Hymenæo duce reperiuntur; offensam potius gravem incurri eorum, quorum patrocinio & affinitate ad altiora promovendus esset; consequenter per futurum matrimonium conditionem suam fieri notabiliter deteriorem. Hæc & similia jam ante conventionem initam fuisse cognita, vel facile potuisse cognosci ponimus: si tamen ex lubrico ætatis, & consilii infirmi facilitate, mature perpensa non fuerunt; cur Judex imploratus deneget auxilium ætatis, quod leges Minoribus læsis liberaliter concedunt, nullo Juris Ecclesiastici canone in causa Sponsalium limitatum? cur tam prompte contra pacta subvenitur, ex quibus diminutio bonorum imminet: & tamen irretitus Sponsalibus sine auxilio relinquitur, ex quorum consummatione totius vitæ salus & incolumitas dependet?

8. An forte alia Sponsalium, alia cæterorum contractuum natura & conditio est? Matrimonium sane ex natura sua indissolubile, proin restitutionis incapax est: Sponsalia vero ex variis rationibus rescinduntur, & a Pontifice (*a*) comparantur aliis societatibus, quæ etiam mutuo consensu tolli possunt. Eadem igitur Sponsalium, quæ aliorum contractuum, indoles est: eadem consilii infirmitas, imo major, quam in aliis contractibus; eadem imprudentia & levitas in Sponsalibus intervenire potest & solet: damna & detrimenta æque gravia, ac ex aliis pactis, imo multo graviora ex præcipitatis Sponsalibus & secuturo infausto matrimonio consequuntur: cur igitur non eadem, imo majore facilitate beneficium ætatis indulgeatur contra Sponsalia, quod leges concedunt contra alias conventiones?

9. Grave negotium agi per Sponsalia, bonique publici rationem inde pendere, non diffitemur. An propterea vim eorum per restitutionem non enervandam esse censeamus? Imo promoveri hoc intuitu potius facilitatem in concedenda Restitutione contra Sponsalia ex capite minoris ætatis credimus. Tota negotii gravitas, & boni publici ratio in Sponsalia derivatur ex matrimonio, ad quod ineundum Sponsalia obligant: inde suadetur, non facile debere adstrui irrescindibilem obligationem ex infirmo judicio natam, ad matrimonium, ex quo plurima mala, etiam in detrimentum Reipublicæ redundatura, pullulare prævidentur. Imo minoris ætatis favor præfertur utilitati publicæ, sperandæ ex inviolabili firmitate illorum actuum, quos maximæ autoritatis & gravissimi ponderis esse censemus. *Rei judicatæ* tanta est efficacia, ut jus faciat inter partes, & perpetuam firmitatem habeat (*b*): non minor est autoritas *Transactionum*, contra quas nec imperiale rescri-

(*a*) C. 2. de Sponsalib.
(*b*) L. 2. 4. 6. C. de re jud.

Digitized by Google

reſcriptum prævalet (*a*): inſignis favor ex utilitate publica *Uſucapioni* tributus eſt: & tamen adverſus *rem judicatam* (*b*), & *Tranſactionem* (*c*) Minoribus auxilium ætatis competit: ac in eorum favorem ordinariæ *Uſucapionis* leges limitantur (*d*): hacque ratione quodammodo bonum publicum offenditur, & ſalus Reipublicæ detrimentum capit in favorem ætatis minoris. Quæ autem Lex, quis Canon, quæ Conſtitutio Sponſalibus, in quorum diſſolutione non niſi privatum alterius jus læditur, tantam firmitatem adjecit, ut contra ea Minores ex capite ætatis a læſione immunes præſtari non poſſint, aut debeant?

11. Cum igitur in Sponſalibus minorum, imbecilitas judicii variis expoſita inſidiis (§. VIII.); damnum etiam graviſſimum ex matrimonio timendum (§. VIII.) ſæpe concurrant: natura autem Sponſalium diverſa non ſit ab aliis contractibus (§. IX.); nec utilitas publica prævaleat (§. X.): hinc merito concludimus, Reſtitutionem in integrum contra Sponſalia, eadem facilitate concedi debere, qua contra alios contractus indulgeri ſolet. Supereſt, ut alterum datæ reſponſionis momentum (§. V.) expendamus, ſcilicet, nullam apparere rationem convincentem, quæ ad hoc beneficio Sponſum minorem removeat.

12. Perſuadent ſibi nonnulli, fortius vinculum in Sponſalibus deprehendi, quam in aliis contractibus: & hinc uti contra matrimonium, ſic etiam contra Sponſalia, quæ matrimonium initiatum dicuntur, denegandum eſſe omne ætatis auxilium. Verum, plane non apparet, unde major firmitas concilietur Sponſalibus, quam aliis pactis aut contractibus: ad ſervanda omnia pacta naturali vinculo adſtringimur; æquitas tamen exigit, ut ætatis infirmitati ſubveniat Prætor. Sponſalium autem & matrimonii diverſitas quoad diſſolutionem vinculi, adeo aperta eſt, ut ulteriore declaratione non indigeat; cum ex plurimis cauſſis reſilire a Sponſalibus liceat, invita etiam altera parte: matrimonii tamen firmitas, urgentibus licet iiſdem cauſſis, immota perſiſtat.

13. Credet nonnemo, Sponſalia eſſe negotium ſpirituale & Eccleſiaſticum, humano arbitrio prorſus exemptum, quod propterea ſolum in foro Eccleſiaſtico tractatur, nequaquam cum reliquis negotiis mere civilibus, contra quæ Reſtitutio in integrum datur, conferendum: nam juxta commune adagium in ſacris Canonibus (*e*) fundatum, in ſpiritualibus minor pro majore habetur. Hæc magna animi fidentia jactantur. Sed diſpicere non poſſumus, quid ſpiritualitatis Sponſalia in ſe contineant: quod eorum cauſſa in foro Eccleſiaſtico agitetur, nullam ſpiritualitatem arguit, qualis in matrimonio ratione Sacramenti adſtruitur: ideo ſolum Conſiſtoria Eccleſiaſtica cauſſam Sponſalium ad ſe trahunt, quia viam ſternunt ad matrimonia. Id tantummodo inde deducitur, Reſtitutionem in integrum ex capite ætatis contra Sponſalia non a Magiſtratu Laico, ſed ab Eccleſiaſtico concedendam eſſe. Quod autem Minor in ſpiritualibus pro majorenni habeatur (præterquam quod huc non pertineat, cum Sponſalia ſpiritualibus negotiis non annumerentur) nequaquam generale, ſed multis æquivocationibus obnoxium adagium eſt, eoque maxime ſenſu intelligi debet, quod certo reſpectu, & *ſecundum quid* Minores in ſpiritualibus ſeu Eccleſiaſticis cauſſis paria jura cum majorennibus habeant, maxime quæ ſolemnia negotii & formam proceſſus concernunt. In allegato Canone id ſolum conceditur, ut Minor in negotiis ſpiritualibus per ſe ſtare poſſit in judicio abſque Curatore: qui favor non debet detorqueri in ejus præjudicium. Unde ſi in hoc ipſo tribunali ex lubrico ætatis læditur, Reſtitutione ipſi ſubvenitur; cum unum beneficium non excludat alterum, & etiam Majori in negotio matrimoniali ex juſta cauſſa Reſtitutio concedatur (*f*). Dein dari locum Reſtitutioni in negotio Beneficiorum Eccleſiaſticorum, quod plane ſpirituale eſt, facile oſtendi poſſet.

14. Dum

(*a*) L. 16. 19. 20. C. de Tranſact. (*b*) L. 7. C. ſi adverſ. rem jud. (*c*) L. 1. & 2. ſi adverſ. Tranſact. (*d*) L. 3. C. quib. non objic. long. temp. præſcript. L. un. C. ſi adverſ. uſucap. (*e*) C. 3. de Judic. in 6. (*f*) C. 4. de integr. reſtit.

Digitized by Google

14. Dum nos favendum credimus ætati minori; alii opponunt favorem cauſſarum matrimonialium, quæ cauſſæ liberratis æquiparantur (*a*): cum igitur in cauſſa libertatis ob maximum ejus favorem non detur Reſtitutio ex prærogativa minoris ætatis (*b*): conſequens eſſe putant, ut neque in cauſſa Sponſalium Reſtitutioni locus ſit: Exiſtimant ſaltem, ſi etiam non deeſſent argumenta Reſtitutionem indulgentia, Judicem tamen moveri potius debere rationibus Reſtitutionem diſſuadentibus, cum in dubio pro favorabiliori cauſſa, ejuſque conſervatione pronuntiandum ſit. Bellus ſane favor hic eſt, quem Judex concedere deberet Sponſalibus, cum tanto minoris ætatis præjudicio! Favor matrimonii non debet contra invitos impendi Sponſalibus: favent Leges & Canones matrimonio, ne contractum diſſolvatur; ne contrahendo injuſti obices ponantur: at vero ut ex imprudentia & judicii infirmitate capti, contra voluntatem ſuam ad matrimonium ineundum compellantur, nec eis communi ætatis auxilio ſubveniatur, adeo non ſapit favorem, ut potius favendum ſit Reſtitutioni, quæ ex capite ætatis etiam contra negotia maxime favorabilia locum habet. Favent jura mulieribus, ne fidejuſſione obſtringantur; favent rei judicatæ; favent transactioni: nihilominus contra hæc omnia datur Reſtitutio minoribus. Non omne igitur, quod favorem aliquem meretur, excludit Reſtitutionem in integrum ex capite ætatis. Si libertati majorem favorem impendunt Leges; male argumentum ducitur ad Sponſalia, quæ, niſi ſuccurratur, in calamitoſam captivitatem, & graviſſima vincula nolentem compingunt. Unde pronuntiandum potius eſt pro Reſtitutione, qua Minor laqueis Sponſalium imprudenter irretitus in libertatem aſſeritur, ac ob hanc ipſam cauſſam longe favorabilior eſt, quam vinculum Sponſalium. Evidentius hæc patent, ſi conſideremus ex una parte, quam graves & plenæ probationes de impedimento requirantur ad matrimonii jam contracti diſſolutionem: ex altera parte, quam leves probationes, imo præſumptiones ſufficiant ad illud impediendum, ne contrahatur (*c*): nequaquam enim eundem favorem habet obligatio ad ineundum matrimonium, quem habet obligatio permanendi in matrimonio jam contracto.

15. Videbitur forte noſtra concluſio minus conformis æquitati, ex qua tamen fundamentum Reſtitutionis in integrum unice petendum eſt (*d*). Nam ex hac doctrina orirentur inſignia ſcandala; plurimique eadem abuterentur, ut vix unquam ſecure Sponſalia poſſint contrahi, cum plerumque alterutra pars ſit intra annos minoris ætatis conſtituta. Nos tamen credimus, eandem æquitatem, vel omnino majorem urgere ad concedendum beneficium ætatis contra Sponſalia, quæ Prætorem movet circa alia negotia. Inanem ſcandali umbram, quæ non in omnibus aliis pactis & negotiis Minorum occurrat, fingunt aliqui in Reſtitutione conceſſa contra Sponſalia. Nobis contra graviſſima ſequi ſcandala videntur, quando Sponſi conſenſum leviter & temere ex imprudentia ætatis poſitum, implere inviti coguntur per actuale matrimonium, ubi per totam vitam nil niſi calamitates, fortunarum diſpendium, & animorum diſſenſionem exſpectare licet, magno detrimento Reipublicæ, cujus tranquillitatem vehementer turbant infauſta conjugia. Poſſe nonnullos hac doctrina & benignitate Prætoris abuti, facile concedimus: propterea tamen legitimus uſus non eſt tollendus; niſi Reſtitutionem in integrum, cum aliis ejuſmodi juris favoribus, ab omni foro removere velis. Prudenti arbitrio Judicis confidunt leges, ne ipſis Minoribus beneficium hoc fiat noxium; nemo enim cum ipſis vellet contrahere, ſi his contractibus firmitas ineſſe non ſciretur. Ex prudenti legum cautela (*e*) *non ſemper ea, quæ cum minoribus geruntur, reſcindenda ſunt, ſed ad bonum & æquum redi-*

(*a*) C. fin. de ſent. & re judic.
(*b*) L. fin. C. ſi adverſ. libert. L. 9. ff. de Minorib.
(*c*) C. 22. de Teſtib.
(*d*) L. 1. & 7. ff. de in integr. reſtit. L. 1. ff. de Minorib.
(*e*) L. 24. §. 1. ff. de Minorib.

Digitized by Google

vedigenda ſunt; ne magno incommodo hujus ætatis homines afficiantur; nemine cum his contrahente, & quodammodo commercio eis interdicetur. Itaque niſi aut manifeſta circumſcriptio ſit, aut tam negligenter in ea cauſa verſati ſunt, Prætor interponere ſe non debet. Hoc moderamine æquitas conſtabit Reſtitutioni, cui locus non erit, niſi gravis immineat læſio: hac accedente nihil æquius, quam ut auxilium minori ætati feratur.

15. At vero ex his ipſis argumentum contra noſtram aſſertionem formari poteſt. Nam ad concedendam Reſtitutionem ex capite ætatis, læſionem quandam ſeu captionem præſupponi manifeſtum eſt (*a*): læſio autem vix alia concipi poteſt, quam in patrimonio, cujus diminutio, vel neglectum augmentum demum læſionem parit. Talis læſio in Sponſalibus occurrere non videtur, in quibus non agitur de commercio rerum & bonorum, ſed de conſortio, ſobolis procreandæ gratia inito; de amore conjugali; de fide ſponſalitia &c. proin Reſtitutioni locus non erit contra ipſa Sponſalia, quamvis facile concedatur Reſtitutio contra dotem immodice conſtitutam, vel ſimilem læſionem in bonis. Qui ſibi ita perſuadet, læſionem, pro Reſtitutione requiſitam, non occurrere in Sponſalibus, næ ille vehementer fallitur! Grave præjudicium ex infauſto matrimonio imminens, indeque timenda clades patrimonii & bonorum, talem tantamque læſionem frequenter ſecum trahit, ob quam merito ſuccurrendum eſt Minoribus, qui *ſua facilitate decepti, aut quod habuerunt, amiſerunt; aut quod adquirere emolumentum potuerunt, omiſerunt: aut ſe oneri, quod non ſuſcipere licuit, obligaverunt* (*b*). Tale onus ſunt Sponſalia, & obligatio ad matrimonium, unde quietis, fortunarum & propriæ ſalutis diſpendium imminet. Sane etiam contra factum temere in ſe ſuſceptum, ſcilicet contra onus arbitrii, ſuccurritur Minori, *ſi temere auditorium receperit* (*c*): in quo tamen vix cauſſa bonorum verſatur: quanto magis contra deſponſationis factum temere initum dabitur Reſtitutio, quod longe plus periculi in ſe continet.

16. Tam altas in mente quorundam radices fixit contraria opinio, ut ubique nodum in ſcirpo quærant. Advertunt, ſæpiſſime utrumque contrahentium in minore ætate eſſe conſtitutum: utrumque igitur ratione ætatis eſſe privilegiatum: privilegiatus autem contra privilegiatum non utitur privilegio: conſequens putant, ut Sponſus Minor non poſſit petere Reſtitutionem in integrum contra Sponſam Minorem. Dein ſi Sponſus Minor, qui læſum ſe credit, per modum actionis petat reſtitui ex capite ætatis: Sponſa itidem Minor per modum exceptionis eodem remedio utetur, cum Sponſalium diſſolutio ipſi forſitan æque noxia ſit, ac noxia eſt eorum obligatio Sponſo. Hoc verborum luſu potiſſimam Reſtitutionis vim liceret eludere. Communis illa regula, quod privilegiatus contram privilegiatum non utatur privilegio, in alio ſenſu non poteſt intelligi, quam ſi uterque ſit ſaltem *æque* privilegiatus. Fuſe hoc explicant, qui de privilegiis ſcribunt. Minor lædens nequaquam habet privilegium contra minorem læſum: imo læſio non attenditur, quam per Reſtitutionem alter incurrit ex eo ſolo, quod debeat carere emolumento initæ conventionis, cum ad id ipſum tendat Reſtitutio, ut omnia reducantur ad priſtinum ſtatum. Unde ſi Sponſus Minor petat reſtitui contra conventionem cum Sponſa minore initam; Sponſa non poteſt ſe læſam conqueri ex eo quod debeat carere optato, ſuiſque rebus proficuo matrimonio; ſed patienter tolerabit, ſe in priſtinum ſtatum reduci: nec ullum privilegium obtendere poteſt, cum ipſa agat de lucro captando, Sponſus aute de damno vitando.

17. Quando Reſtitutionem Minoris contra Sponſalia admittimus, fatemur ſponte, multas occurrere poſſe circumſtantias, in quibus deneganda ſit hæc Reſtitutio: iſtæ vero communes erunt etiam aliis negotiis. Unde mentionem peculiarem de iis

non

(*a*) *Minoribus in integrum reſtitutio, in quibus ſe captos probare poſſunt, competit.* L. 5. C. de in integr. reſtit. minor.

(*b*) L. 44. ff. de Minor.

(*c*) L. 41. ff. de recept. qui arbitr. recep.

Digitized by Google

non facimus, cum propositum nequaquam sit integram de Restitutione doctrinam hoc loco tradere. Id enim solum ostendendum sumpsimus, a reliquis negotiis, in omnibus Minori Restitutio in integrum ex capite ætatis conceditur, non excipienda esse Sponsalia, quæ de futuro dicimus. Similiter ex communibus principiis infertur, hoc auxilium Minoribus non esse denegandum, etiamsi Sponsalia cum consensu Curatorum vel Agnatorum contracta sint (*a*). In quibusdam locis, quamvis id jure civili communi non obtineat (*b*), Curatoris consensus ad valorem Sponsalium desideratur: ibi igitur sine consensu Curatoris Sponsalia essent invalida, consequenter Restitutione non indigerent. Si vero cum ejus consensu a Minore contrahuntur, supereſt beneficium ætatis; quia consensus Curatoris plus non præstat, quam ut Sponsalia sint valida. Idem etiam de consensu parentum dici debet: quamvis enim in Sponsalibus consensus parentum initis, læsio nequaquam præsumatur; hanc tamen præsumptionem veritas, probata captione, tollit atque elidit; cum maxime parentum persuasio captionis causam continuere potuerit, ut filius ad consentiendum pronus esset, atque facilis, quæ facilitas ei auxilium ætatis suppeditat.

18. Paucis ut absolvamus omnia: in negotio Sponsalium Restitutio in integrum ex capite ætatis habet locum, cum omnibus illis extensionibus & limitationibus, quas Leges, earumque Interpretes in aliis negotiis fuse recensent. Nam Legum, Canonumque doctrina de Restitutione in integrum æque Sponsalibus, ac aliis contractibus convenit (§. VI. X.): Nec apparet ratio, Sponsos minores ab hoc beneficio removens: non vinculum fortius (XII.): non spiritualitas negotii (XIII.): non favor causæ (XIV.): non defectus æquitatis (XV.): aut læsionis (XVI.): nec demum privilegium alterius partis (XVII.): proin ex Legum, Canonumque spiritu Sponsus Minor, qui notabiliter se læsum deprehendit, petere potest Restitutionem in integrum contra Sponsalia: ex quo æquitatis spiritu Restitutio hæc deneganda sit, prudentissimo Judicis Ecclesiastici arbitrio relinquimus.

(*a*) L. 2. & 3. C. si Tutor vel Cur. interven.
(*b*) L. 20. C. de Nuptiis. L. 20. ff. de Ritu nupt.

FINIS.

NOI

Digitized by Google

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova.

AVendo veduto per la Fede di Reviſione, ed Approvazione del P. *F. Filippo Roſa Lanzi*, Inquiſitor Generale del Santo Offizio di *Venezia* nel Libro intitolato: *Franciſci Mariæ Muſcettulæ Archiepiſcopi Roſsanenſis Diſſertatio Theologico-Legalis &c. Cum additione Diſceptationis R. P. Franc. Xav. Zech Stampato*, non v' eſſer coſa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Atteſtato del Segretario Noſtro, niente contro Principi, e buoni coſtumi, concediamo Licenza a *Franceſco di Niccolò Pezzana* Stampator di *Venezia*, che poſſi eſſere ſtampato, oſſervando gli ordini in materia di Stampe, e preſentando le ſolite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 19. Febbraro 1771. M. V.

(Sebaſtian Zuſtinian Rif.

(Alviſe Vallareſſo Rif.

(Franceſco Moroſini 2. Kav. Proc. Rif.

Regiſtrato in Libro a Carte 88. al Num. 732.

Davidde Marcheſini Segr.

Adi 10. Marzo 1771. M. V.

Regiſtrato al Magiſtrato Eccel. contro la Beſtemmia in Libro a Carte 40.

Andrea Gratarol Segr.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA

Digitized by Google